INTRODUCTIONIS
AD VITAM
INTERIOREM
ET PERFECTAM

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM TRANSLATÆ

TOMUS SECUNDUS,

Varia monita & responsa complectens.

Juxta principia in primo Tomo præmissa.

EDITIO TERTIA.



CORRERIÆ CARTUSIÆ,

Per CLAUDIUM FAURE, Typographum & Bibliopolam Gratianopolitanum.

M. DC. LXXXXV.

Cum Approbationibus, & singulari Regis Christianissimi licentia.

INDEX

CAPITUM IN HOC SECUNDO Volumine contentorum.

INTRODUCTIO



INTRODUCTIO
AD VITAM INTERIOREM & perfectam.
PARS SECVNDA.

Observationes & monita circa praxim vitæ interioris.

CAPUT PRIMUM.

Circa veram vitam spiritualem, & in quibus consistat; cuidam Præpositæ Monasterij.

Hodiè magnum spiritûs festum celebratur, venerabilis in Christo soror: est enim Pentecostes. Patrémque obnixè rogo qui simul cum verbo, sancti Spiritûs principium est: ut te participem sui ignis & flammarum efficiat, illóque Spiritu principali confirmet quem desiderabat Psalmista. At spero etiam me per preces tuas obtenturum quod Epistolæ tuæ respondeam: in qua ingenuè expressum video desiderium perfectionis quâ flagras pro te, & pro tibi commissis.

Deus semper æqualiter bonus & mirabilis est, etiam quando piis animabus abscondit dona quæ eis erogat; hoc enim medio eadem dona conservat & auget, clàm sic impellendo eas ad pietatis ejus viscera pulsanda & urgenda: ac si nihil adhuc ab eo recepissent. Delectat ergò Deum ejusmodi pia importunitas; & ideò audacter potes ei dicere te à petendo, & importunè agendo non cessaturam: donec securiorem te effecerit de tuo in eum amore, & te totam illius esse.

Desiderium, quo flagras, trium magnorum donorum sapientiæ, pietatis, & fortitudinis; indicium mihi est, quòd ea velit tibi concedere abundanter: sed modo forsitan abscondito, & qui tibi ignotus erit. *Si quis vestrum* (inquit D. Jacobus Apostolus) *indiget sapientia; postulet ab eo qui dat omnibus affluenter & non improperat: & dabitur ei.* Quod

de sapientia hìc dicit Apostolus; pietati & fortitudini etiam convenit; cùm Deus utrarúmque sit æqualiter liberalis largitor. In promptu ergò est utrasque obtinere : cùm ad hoc opus tantùm sit fervida & assidua oratione. Dummodò autem illas recipias & habeas; id sentire & cognoscere quid importat?

In vanam gloriam facilè laberemur, si nos apertè videremus sapientia & fortitudine præditos; & ad dona Spiritus sancti æquè pertinet notum nobis facere quid desit nobis : ac facultatem præbere eorumdem donorum actus exercendi. Ditant quidem animam quæ humilis est : sed simul efficiunt ut timeat apertè agnoscere quod habet : quia statim atque id perspicit, timore illud perdendi corripitur. Indè est quod S. Franciscus diceret Deo, ut si quid ei donare vellet, illud sibi custodire, & servare curaret : ne concessum amitteret. Estque effectus diffidentiæ ab humilitate procedens: quæ est veluti vas in quo Deus dona sua reponit ut ea nobis tribuat.

Donum sapientiæ, est dispositió animæ immissa quâ habilis fit ad dignoscendum verum bonum; illúdque præponendum, judicio & æstimationi rationis, & proposito bonæ voluntatis, his omnibus quæ boni quidem specimen habent, sed cum tempore transeunt & pereunt. Doni illius ope gustatur quam bonus sit Deus; & quam bona sint omnia quæ ad unionem cum illo conducunt: illúdque ad cætera contemnenda inducit, non quidem semper secundum naturalem sensum, sed secundum rationem fide illuminatam & roboratam.

En quid est donum illud sapientiæ, quod tibi à me explicari postulas; at æstimatio passionum in quibus actualiter versaris, doni pietatis verus effectus est: ostendens tibi & probans *pietatem* (secundum Apostoli effatum) *utilem esse ad omnia*, quia ad omnia ferenda & agenda disponit. Donum autem fortitudinis efficiet, ut similitudinem filij Dei benè portes & referas in præsenti doloris statu in quo versaris; illúmque glorifices, onus illud generosè portando : id enim fortitudini nativum est. Sicque illius ope omnia superando pro ejus amore qui dilexit te, & dedit animam suam pro te : particeps efficieris consolationis, dilectionis Christi, ejusque auxiliorum in hac mortali vita quam toleras, & gloriæ ejus in immortali, quam expectas.

1. ad Timot. cap. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit. Si autem filij & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi : si tamen compatimur ut & glorificemur.* Ad Rom. cap. 8. Hæc sunt Spiritus sancti oracula ex quibus magnam consolationem haurire debes; cum Deus per infirmitates tibi immissas, illorum effectus in te velle adimplere satis ostendat; auxilia verò quæ tibi præstat in eo statu, undè tot resignationis affectus, & bona proposita nascuntur, plus consolationis mihi inferunt : quam si scirem te spiritualibus deliciis ita perfusam esse, ut paradisi gaudia in hac vita prægustares. Enim verò subditum esse Deo in doloribus & omne studium

adhibere ad ei placendum in ejusmodi statu; illud sanè est quod cæteris in hac vita præferri debet: & revelationibus præcellit.

His infirmitatibus admoneris, ni fallor, dies peregrinationis tuæ brevi esse finiendos; sed indè consolemur secundum Apostoli verba: *& tantò magis, quantò viderimus appropinquantem diem.* O quanta erit tunc consolationis causa aliquid pro Deo pertulisse; & se immunem effecisse per abnegationis studium ab adhæsione cuilibet creaturæ: imò & ipsi vitæ. Quisquis ille est, *ingredietur sepulchrum in abundantia meritorum* & spei: eritque ei non modica consolatio de vicina morte cogitare. O quàm è contrà amara est mortis memoria his qui nimiam pacem habuerunt in substantia sua: & tranquillè quieverunt in bonorum pereuntium fruitione. Animosè ergò agamus, Venerabilis Soror, cum beatam æternitatem extremo ferè digito tangamus; in qua metemus non deficientes: si in hac vita mortali bonum faciamus non deficientes. Si in abundantioribus lachrymis hìc seminemus: in majori exultatione illic metemus. Nunc verò ad quæstiones à te mihi propositas veniamus.

Ad Hebr. c. 10.

Iob. cap. 5.

Illorum sensum & dirigendi modum approbare non possum qui terrorem piis animabus semper incutiendum esse arbitrantur, eisque semper insinuandum quod nihil benè agant; & tùm S. Scripturæ authoritate, tùm validis rationibus ad id moveor: quod etiam variis experimentis damnorum quæ indè oriuntur, confirmatur. Deus ipse minatur punitionem Prophetis Israël. *Pro eo quod mœrere fecistis*, inquit, *cor justi mendaciter, quem ego non contristavi.* Et alibi commendat, *dicite justo quoniam benè: quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Hac Sacrorum verborum authoritate ratiocinium nostrum debet comprimi; nemini enim dubium esse potest optimam regendi formam illam esse: quæ Deum imitatur in ejus agendi & loquendi modis.

Ezech. cap. 13.

Isaia c. 3.

Instabis & dices, de justis ibi agitur; numquid in illorum classe me adscribere audebo? Ad quod respondeo. Neminem unquam justum fuisse in hac vita qui alicui non fuerit obnoxius peccato; & si opus esset ad justum cõstituendum, ut esset liber ad omni peccato; nemo unquam justus repertus fuisset secundum consuetum ordinem gratiæ cælestis: & ad hoc opus esset specialissimâ gratiâ, simili ei quæ S. Virgini Deiparæ concessa est. Quoties ergò in sacris literis fit mentio de justo; id semper intelligendum est de eo qui levia quidem peccata committit, sed in minori quo potest numero: & ea detestatur peccata, quæ Deum à se dividunt.

Justi ergò præteriti temporis, homines erant sicut & præsentis: & ideò verba illa utrisque debent applicari. At si rationem ipsam humanam consulamus; docebit nos timores & suspiciones indiscriminatim immissos valere tantùm ad dejiciendos debilium animos; ostendet, ægrotos in majorem nauseam conjici; atque à cibis capiendis amplius

removeri, si eis non proponantur eo modo & ea mensura recipiendi quæ illorum status ferre potest. Instruet tandem nos ipsa ratio, operarij animum potius frangi quam erigi, si ei ostendatur grave aliquod pondus à terra levandum : nec ei simul tradantur industriæ & instrumenta quorum adminiculo id facilè præstare valeat. Eadem ergò ratione concludendum est bonum regendi modum requirere ut piis animabus quidquid spem omnia vincendi, & in bono crescendi concitare potest : semper proponatur & suadeatur.

Dæmon & natura corrupta ad id tendunt ut exaggeratis virtutum exercendarum difficultatibus ab eis retrahant : & homo satis ex se debilis est & propensus ad nauseam virtutis concipiendam. Hi ergò virtutis & sanctitatis hostes eos exploratores imitantur qui à Moyse ad explorandam terram promissionis missi fuerunt qui tot exaggerationibus statum terræ illius populo Israël depingebant habitatorum proceritatem, urbes ad cælum usque, ut ajebant, muratas, & eos vincendi difficultates : ut populus ille insensatorum exploratorum verbis dejectus de regressu in Ægyptum deliberaret : illosque lapidare vellet qui à concepto timore eum retrahere nitebantur.

Ille ergò regendi modus qui terrendi & difficultates objiciendi usum sequitur : idem facere mihi videtur quod dæmon & natura corrupta. Cùm è contrà bonum & laudandum regimen imitari debeat Caleb & Josue, qui viderant habitatores & urbes terræ promissæ sicut & alij : & longè & diversè de illis loquebantur. Ita enim difficultates quas alij insuperabiles exponebant, complanabant & de hostibus qui debellandi erant, loquebantur ut quidquid dicerent ad erigendos & roborandos auditorum animos tenderet ; & ad illos replendos spe & fiducia plenæ victoriæ cum Dei auxilio reportandæ. Primi ergò quasi gigantes eosdem homines efferebant, quos alij pigmæos reputabant illi easdem urbes inexpugnabiles ostendebant : quas hi quasi villas & pagos apertos aspernabantur. Et satis indicat scriptura quod populus ille Dei indignationem non incurrisset, magnáque damna & fatigationes devitasset : si verbis & sensui postremorum acquievisset. Indè ergò boni regiminis spècimen assumendum est. Et considerando quod cum animabus ex se debilibus agendum sit : his omnibus utendum est quæ eas provocare & accendere apta sint ad virtutum praxim & quodlibet bonum amplectendum. Si studium Christianarum virtutum quasi nativum animæ alimentum proponatur illarum quidem excellentia & sublimitas demonstrari debent : sed simul & statim media exponenda sunt, quibus ad praxim deducantur eáque explanari tàm rationabili, & viribus humanis accommodato modo : ut auditor persuadeatur illarum praxim esse cum Dei auxilio valdè possibilem. Sicque fit ut ille prudens dirigendi modus longè distet ab imprudentia illorum qui urgentes ægrotum ad comedendum : cum non juvant ad nauseam superandam.

Si de tentationibus & difficultatibus quæ in via virtutis occurrunt ſermo ſit: ſimul explicare debet qualia ſint gratiæ cæleſtis auxilia; & inſinuandum, modo auditoris captui accommodato, omnia nos poſſe in eo qui nos confortat: & ideò opus tantùm eſſe bonâ voluntate. Ex hoc agendi modo auditor animatur ad vincendum: ſicut è contrà ſi tantùm difficultates exponerentur: in animi dejectionem facilè decideret, non ſecùs ac ille operariùs, de quo ſupra, à quo trabes in altum elevandæ peterentur: nec inſtrueretur de modo quo per rotulos & machinas induſtriâ diſpoſitas æquè facilè moventur, ac ſi eſſent levia ſarmenta. Ex iſtis ſatis conjicies, Venerabilis Soror, quid à te requiram: tàm quoad propriam directionem, quam ad alias dirigendas.

Quoad fervorem ſpectat, fatendum eſt multos in hac re decipi; credunt enim ſe fervore carere, nec de fervidis illis eſſe de quibus tam frequens apud ſpirituales fit mentio: niſi in ſe ſentiant magnam cordis & imaginativæ vis commotionem: ſed ejuſmodi fervor non ille eſt qui deſiderari & requiri debet. Bonus fervor is eſt qui in ratione & voluntate reſidet; quæ ferventes ſunt: quamdiu vivo & forti Dei deſiderio tenentur, & ad virtutes aſpirant. Fervor ille ſenſibilis cordis & imaginationis paſſionibus participat; & facilè ad exceſſus, inquietudines & inconſtantiam perducit: niſi prudenti diffidentiâ & mortificatione frænetur. Hunc ergò non magni pendas: ſed voluntatis fervorem in magno habeto pretio.

Attende & cura hebetare acumen animi & ſubtilitatem illam ex habitu aſſumptam nimis profundè reflectendi in ſtatum animæ ſuæ occultum, id eſt qui non eſt evidens nec apertus; ſed ad id tantùm attende quod ſive per opera, ſive per voluntaria deſideria, ſive per negligentias cognitas ſeſe prodit: & quod ſupereſt, Deo committendum eſt, qui ſolus novit occulta tenebrarum quibus in hac mortali vita obnoxij ſumus.

Noſti veterem conſuetudinem fœminarum quæ ſpeculum in zona ſuſpenſum deferebant; ut ejus adminiculo minus compoſita in capite agnoſcerent: & repararent ad placitum. At ego, Venerabilis Soror, aliud ſpeculum tibi traditurus ſum, quod ſpeculum veritatis meritò vocatura es, quia verbis Chriſti compactum eſt: & ſuadeo tibi ut frequenter & magno ſtudio eo utaris. Complectitur enim quaſi in ſynopſi omnem Evangelij praxim; & ibi reperies quidquid deſiderare potes, ut benè ornata in oculis Dei appareas, ac permaneas: nec opus ſit tibi alibi vagari & quærere, aut tàm ſubtiliter ratiocinari circà praxim amoris ejus, qui ea ſimplicitate pollet quâ fons undè manat ſimplex eſt & purus. Chriſti ergò verbis illud ſpeculum tibi compono.

Sine me nihil poteſtis facere. S. Ioan. c. 15.

Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve. S. Mat. c. 11.

S. Ioan. c. 15. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.*
S.Mat. c. 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.*
S.Mat.c.7. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.*
S. Ioan. c. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.*
S.Mat.c.9. *Confide filia, fides tua te salvam fecit.*
S. Mat. c. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.*

En speculum quod tibi offero, ut cum tranquillo desiderio, & intima oratione te in illo frequenter conspicias; & si ad illud sæpè adducas interiora animæ tuæ, actúsque tuos: ibi illorum defectus deteges & quid tibi desit. Excitabit in te speculum illud verum perfectionis desiderium; excellentiam ejus tibi manifestando: & modum quo ad eam benè pergas. Tuum tantummodò erit tranquilla & fiduciali pœnitentia delere nævos animæ tuæ quos oculis tuis subjiciet; cum firmo proposito ex plena in Deum fiducia compacto, iis te ornandi virtutibus quæ te gratam ejus oculis efficiant: quasque speculi illius adminiculo cognosces. At ut in hac re juvéris, magísque proficias: en profero tibi formulam examinis à te peragendi in singulos articulos.

In primum ubi dicitur, *Sine me nihil, &c.* Considera an non aliquam præsumptionem de teipsa nutrias: & si totum à Deo speres & expectes.

An defectus tui in impatientiam, aut animi dejectionem non te conjiciant: uterque autem propriæ opinionis fructus est.

In secundum. *Discite à me, &c.*

An aliquid in tuo cogitatu aut conversatione nutrias, quo te in propria opinione alicui præferas.

An te ipsam & proximum in infirmitatibus in spiritu lenitatis ferre studeas.

In tertium. *Mandatum novum, &c.*

An propter Deum diligas.

An in tua dilectione æquitatem & æqualitatem serves.

An absque adhæsione te & proximum diligas.

An diligas sicut Christus dilexit te, benefaciendo his qui te lædunt; exemplis & verbis proximum ad Deum trahendo; consolationem, quam vales, ei impertiendo; excusando quidquid excusari potest; nec de ejus actibus nisi servatis veræ charitatis regulis judicando: tùm demum eum juvando.

In quartum. *Qui vult venire post me, &c.*

An quidquid tibi ex dispositione Providentiæ accidit cum ea animi resignatione recipias, quæ nec naturæ aversionibus, nec proprij sensûs contradictionibus velit attendere.

An voluntas tua Dei voluntati se conformet, in his quæ tibi pœnalia sunt.

An aliquam voluntariam adhæsionem creaturis habeas.

An illis inspirationibus fideliter obtemperes quæ te movent & excitant ad praxim consiliorum Christi & Regularum tuæ professionis. Id autem observa circà adhærentiam creaturis. Quantumlibet putes te liberam esse ab adhæsione alicui rei creatæ; noli tibi fidere : sola enim privatio rei veritatem probare potest. Facilè est credere, naturalem affectum non hærere rei quamdiu ea pótitur; at privatio è vicino illum interrogat : & tunc apparet ex ejus responsis, id est moribus qualis sit. Atque eo experimento anima agnoscit veritatem : atque opere demonstrat an fidelis sit.

In quintum. *Petite & accipietis, &c.*

An orationem exactè & studiosè facias.

An in ea sedula sis & persistas non obstante ariditate.

An plus adhæreas voluntariè his quæ tuo gustui spirituali sapiunt, quam statui in quo te constitutam reperis.

An fidelis sis in exercitio cor & mentem ad Deum interdiu sæpiùs elevandi.

An in necessitatibus ad eum recurrere studeas sicut Filius ad Patrem; & ea fiducia quam meretur tantus Pater.

In sextum. *Veri adoratores, &c.*

An cultus quem Deo exhibes conjunctus sit ei bonæ voluntati quâ tota ejus esse percupias.

An id totum quod habere potes ab ejus Spiritu expectes; tuúmque spiritum sæpiùs ei reportes & offeras ut illum sustentet, reparet, & repleat. Hæc praxis à nobis reputanda est magis necessaria & frequentiùs repetenda : quam cibus & potus. Spiritus enim hominis adinstar instrumenti cujus acumen facilè hebetatur, & ideò ad fabrum refertur ut denuò acuetur : ad supremum etiam opificem debet referri ut reparetur. Solus autem ille qui Pater Spirituum est, potest nostrum reparare & renovare.

An aspires ad imitandam occultam Christi vitam, solisque Dei oculis apparere & placere peroptes; nec ea requiras quæ oculis hominum splendida & magna videntur.

In septima. *Confide filia, &c.*

An fiducia tua in Deum plena sit & non restricta; sed ad omnia extendatur.

An aliquam diffidentiam voluntariè nutrias, illámque quam invitè sentis, rejicias.

In octavum. *Vigilate & orate, &c.*

An prudenti & Charitativa circumspectione ergà teipsam & ergà proximum utaris.

An non per aliquem actum amoris privati, vel singularitatem tibi ipsi vel aliis occasionem tentationis aut laboris ministres.

An ad Deum promptè & abſque mora ad Deum, adveniente tentatione, recurras.

Eccè habes præ oculis quid agendum & quibus tibi incumbendum ſit reſiduis diebus vitæ tuæ. Quod ſi facias ˥ Martham tuam indiſcretè quaſi curſitantem & ſollicitam circà interiorem animæ ſtatum compeſces, & proprios intuitus ad pedes Chriſti cum Maria revocabis: ut uni neceſſario ibi vaces, cui benè vacandi methodus & modus, in ſpeculo ſuperiùs tibi propoſito reperitur.

Aſpice cætera quæ ad ſenſibiles & varios animæ ſtatus ſpectant quaſi auram quæ identidem mutatur ˥ nec amplius de illis ſollicita ſis: quam de facici cœli mutatione. Tenebroſum tempus ac tempeſtuoſum cum patientia accepta & ſuſtine ˥ ſerenum verò & luminoſum cum humilitate & abſque adhærentia excipe: & in utroque Deum adora, qui de his diſponit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Quod ad illuſiones illas vitæ ſpiritualis ſpectat, quarum formido te terret & turbat ˥ projice ſcripta illa ex quibus enata eſt: quia ad nihil tibi utilia ſunt, ſed adhære in ſimplicitate cordis iſtis Chriſti verbis. *Cum feceritis omnia hæc, dicite, quia ſervi inutiles ſumus*: & fac bona fide, quidquid melius eſſe tibi videtur. Ipſe enim Chriſtus per ſui interni regiminis arcana, occultos defectus actionum tuarum deteget tibi ſecundum ſuum beneplacitum: & prout tibi magis expedierit. Id in ſchola illius practica utiliùs & diſcretiùs ˥ addiſces, quàm per illas ſubtiles & anticipatas diſquiſitiones: quæ timorem & inquietudinem in te excitârunt.

Libenter agnoſce & amplectere nihili tui cognitionem, quando menti tuæ ſeſe oſtendit ˥ ſed eos nihilominùs milites imitare: qui noctu pugnantes ignorant quos & quot vulnerent aut occidant. Eodem ergò modò ferire ſtude amorem privatum ac animi paſſiones, donec clara & beata Æternitatis dies illuceſcat: & tunc agnoſces quid in hujus vitæ tenebris egeris & deſtruxeris in Dei honorem & gloriam.

Nullum aliud myſterium tibi componito, nec pro illuſione habeto ˥ niſi quod clarè videris à recto verborum Chriſti, aut Officiorum tuæ profeſſionis tramite deviare: ſive in propoſitis, ſive in actionibus tuis. Quidquid enim reliquum eſt, nec te peccati ream, nec in ſtudio perfectionis infidelem efficiet ˥ quamdiu nullam vel tenuem præſumptionis umbram in te enutrire voles: nec te per proprium lumen dirigere ˥ quamdiu ſoli Dei notitiæ attribues & dimittes actuum tuorum valorem & meritum: & quamdiu agnoſces & pro certo habebis actiones noſtras quantumlibet bonæ appareant, imperfectionibus occultis ſæpè mixtas eſſe ˥ quas ſolius Dei eſt perſpicere, & ad illas corrigendas nos dirigere: per interius regimen, quo ad illarum cognitionem nos deducit.

Circà alias difficultates quas mihi proponis, fatendum nobis eſt mentem

mentem humanam novitatum esse apprimè amatricem & avidam: atque ad illas ardenter ferri quandò specimen alicujus majoris excellentiæ & austeritatis præ se ferunt. At sæpe id ei contingit quod viatori ⁊ qui tritam viam relinquens: post multùm laboris inutiliter impensi ad illam reverti cogitur. Visâ enim aliquâ transversali semitâ cujus adminiculo sperat iter abbreviare, aut in brevi multùm progredi: relictâ communi viâ illam arripit. At quia paludem intermediam non advertit, quam transuadare periculosum est, aut impossibile, ibi sistere cogitur, & ad relictam viam repedare: sicque experimento discere & labore luere ausûs sui & delectationis spontaneæ temeritatem. Hanc comparationem tibi attribuere in promptu erit; cum in ejusmodi discrimen incideris.

Disce ergò non omni spiritui credendum esse ⁊ & ut in idem discrimen non reincidas: dimitte subtiles novitates, quæ in librorum varietate hodiè resplendent ⁊ & firmiter adhære documentis trium celebrium Authorum, S. Francisci Salesij, Granatensis, & Rodriguesij: ex quorum libris educationem spiritualem assumpsisti, & juventus tua enutrita est. Pueri qui nutrices sæpius mutant, vel variis utuntur: longè minus proficiunt, quàm qui ab unica lactantur. Idem accidit spiritualia sectantibus qui sæpiùs libros & Magistros mutant.

Habes præ oculis exemplum in N. cujus Status ærumnosus magnam in me commiserationem excitat ⁊ & indè perspicere vales, quanto pœnarum pretio à piis animabus solvatur curiositas degustandi tot varia & diversa condimenta quibus etiam spirituales cibi parantur & non rarò transmutantur; quidve pariat pruritus ambulandi per tot varias vias, quas sibi humanum ingenium in vita spirituali efformavit & finxit.

Juvenibus & inexpertis Tironibus novitas viarum sæpius arridet, quas ideò facilè aggrediuntur ⁊ at non longè progrediuntur: quin suæ imprudentiæ & temeritatis punitionem recipiant & sentiant, ex spiritus afflictione & animi dejectione, in quas incidunt. Illarum consolationi & dejecti animi erectioni incumbendum est: & in primis magnum istud consilium eis dandum est ut ad pacem revocentur. Abigant nempè & rejiciant ex animo quam citissimè tot differentium semitarum ideas ⁊ quæ retrò & præterita sunt obliviscantur: dicántque & opere compleant illud Davidis, *nunc cœpi*, redeundo statim ad altissimam simplicitatem Evangelicam per quam deinceps ambulent in simplicitate cordis, insequendo eum qui est via, veritas, & vita.

Attentè considerantes qualiter locutus est Christus & qualiter operatus est: sic & nos loqui & operari studeamus. Longè à nobis rejiciamus tot mysteria, quæ sibi ipsi ingenium humanum fabricavit: quæque ideò jure meritò mysteria nihili vocanda sunt. Sufficiat nobis in via illa cælesti pedem figere, & pedetentim progredi, vestigiis à Christo in eâ impressis inhærendo & gradum in eis collocando ⁊ iis

ſolicitudinibus, extenſioribus proſpectibus & ſubtilibus ſpeculationibus poſt tergum relictis ambulando: ambulare addiſcemus.

Indiſcreti ſæpius videntur viatores qui obvios quoſque de itinere & de via interrogant: & memoriam onerant variis illorum reſponſis. At ubi unum aut duo milliaria confeceri nt ꝰ ex concurſu diverſarum viarum quæ ſe invicem interſecant: efficitur ut magis hæreant & ampliori ſolicitudine angantur ex diverſis auditis reſponſis, quàm ſi neminem interrogaſſent. Idem certè ſæpius evenit fervidis illis animabus, quæ in petendis & quæritandis conſiliis ſpiritualibus nunquam ſibi dicunt ſufficit ꝰ ſed in magnum emolumentum cedere ſibi putant: ſi nova quotidiè, omnigena, & recentiora ſibi accumulent. Sed quid indè proficiunt? Quaſi inter decem vias ſeſe conſtituunt, & inter anguſtias: neſcientes quam eligant & arripiant. Inhæreamus viæ noſtræ cæleſti, eámque ſectemur in fideli & ſimplici praxi conſiliorum Evangelij, & ſic non opus habebimus de itinere interrogare. Plana enim via eſt & aperta ꝰ eamque inſequendo perveniemus ad comprehendendum cum omnibus Sanctis: *quæ ſit longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum amoris Dei.* Hæc via non tantùm deducet nos, ſed etiam docebit per intima documenta quæ luminoſa ſunt & ſecreta ꝰ nec opus erit recurrere ad tot varia conſilia, & ad ſpeculationes ſubtiles quibus ſæpiùs laboratur, ac ſi quinta, ut vocant, eſſentia devotionis poſſet extrahi: aut quaſi quædam anatomia interioris ſtatus animæ poſſet inſtitui. Quæ ſubtilitates ad hoc tantùm valere ſæpius compertum eſt: ut intellectum in errorem, voluntatem in occupationes internas vanas, & realitate deſtitutas, & conſcientiam in labyrinthos conjiciant.

Ad Eph. cap. 3.

Si ſic ambulemus ſimpliciter in illa cæleſti via, cognoſcemus *quæ ſit voluntas Dei*, quam Apoſtolus *bonam* vocat in fideli praxi & executione mandatorum Dei ꝰ addiſcemus quid valeat illa quam *beneplacentem* nominat, idque in fideli praxi conſiliorum Evangelij: & prægustabimus quantæ excellentiæ illa ſit, quam *perfectam* appellat, idque in perfecta noſtri abnegatione. Nec in hac re opus erit cum tanta ſubtilitate velle perquirere & diſcernere, quæ ſit voluntas Dei: quia per ſe patebit.

Ad Rom. cap. 12.

Iſtius adorandæ voluntatis regulas in Evangelio notatas & præſcriptas habemus. Et ut ſecurè inveniantur, ibi & non alibi quærendæ ſunt: ne quærentem evaneſcere contingat in cogitationibus ſuis. Plures enim audivimus qui in hac re ſpeculationum animi ſubtilitatem ſequi volentes viſum & intuitum illarum cæleſtium regularum amiſerunt ꝰ quique voluntatem Dei invenire volentes in eſſentia, ut ajebant: in non modicos lapſus contrà id etiam quod communius cenſetur in Evangelicis conſiliis, ruerunt. Imò in quodam habitu illa transgrediendi verſabantur, quem non agnoſcebant ꝰ quia nimis præſumptuosè

voluerant se separare ab omni quod materiale & humanum est: non amplius attendentes verbis & exemplis Christi, quibus voluntatem Dei fortiter & suaviter in utroque adimplere nos docuit. Præterimus ergò voluntatem Dei & excedimus, illam nimis longè quærendo: & dum illam prætergredimur, non adimplemus.

Certum est mentem humanam avidam esse novorum cogitatuum qui gustui ejus sapiant ; & propensam esse ad occupandum se de illis in hujus vitæ itinere; at de tot gratis & variis cogitationum alloquiis non hic agitur, sed de progrediendo & de itinere conficiendo. Longè pluris æstimandum est ambulare, quam in via allocutiones componere ; & ideò praxis illa mortificationis menti humanæ longè melior est, qua uno verbo super ea curiositate ei respondeatur, neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed ambula coram facie tua: sicque mens revocatur ad simplicitatem magnæ viæ Evangelicæ. Hoc etiam medio à multis lapsibus, & fatigationibus supervacaneis liberatur, firma & tranquilla efficitur: & ad multum in brevi proficiendum adjuvatur.

Memento semper & ubique discretionem matrem esse & aurigam virtutum: illámque per fidelem obedientiam, & per veram submissionem Dei regimini posse tantummodo acquiri. Observa etiam, quòd ut sapienter in virtutum via procedatur ; agnoscendum sit eamdem reperiri differentiam inter cognitionem sive scientiam, & praxim, sive exercitium: quæ est inter iter oculis intueri & pedibus conficere. Alterum statim perficitur: alterum verò non nisi labore, tempore, & patientia adimpletur. Hæc comparatio tibi designat qualiter te gerere debeas circà mentis conceptus & intuitus: illósque ad praxim deducere.

De hac re tandem pro conclusione conveniamus nempè Evangelium tot subtilitates non adhibere ad veritates, quas continet nobis insinuandas: soláque operum praxi opus esse ad illud adimplendum. Voluntatem ergò nostram & actus perscrutemur, & si ibi aliquid inveniamus quod benè concordet cum speculo superiùs tibi tradito ; humili gaudio exultemus in Domino, cui soli gloria debetur de omnibus: & fiduciam firmam habeamus in ejus gratiæ auxilio. Quo adjuti per gradus charitatis de virtute in virtutem ascendemus. De his verò quæ cum illo speculo non benè concordant, nos ipsos dijudicemus & condemnemus ; defleamus, humiliemus animas nostras: & correctioni nostræ incumbamus. His amplius ne requiras.

Hæc sunt, Venerabilis Soror, in quibus vita verè spiritualis consistere mihi videtur: & minimè in speculationibus subtilibus & perscrutationibus quasi anatomicis statuum interiorum animæ. Dei in æternum simus, quem pro me exorare non desinas: & vicissim tibi in Charitate consummationem apprecabor. Benè vale.

CAPUT SECUNDUM.

Circà verum amorem, cum responsis ad varias quæstiones.
Cuidam devotæ Moniali.

SOROR IN CHRISTO CHARISSIMA,

Eamdem tibi exopto felicitatem quæ sponsæ Cantici contigit: dum introduxit eam cœlestis sponsus in cellam vinariam, & ordinavit in ea Charitatem. Ibi enim meliùs Charitatem agnosces quam verbis exprimere possimus; ibi mysteria intueberis: quæ tibi æquè grata erunt, ac Christi cognitio Discipulis Emmaus fuit, cùm panem illis fregisset.

In ipsismet etiam Discipulis reperiemus undè juvemur ad explicandam quæstionem quam mihi proponis circà dilectionem; nempè *quonam modo possimus verè diligere proximum, quamdiù contra eum aliquæ sentiuntur aversiones, aut repugnantiæ:* ad quas non sequendas vim sibi inferre opus est: cùm amoris sit, cor suaviter replere ergà rem dilectam, & nullam coactionem ei inferre.

Nonne Discipuli Emmaus, Soror charissima, omnem spem à se abjecerant? ità est profectò; & quisquis alius præter Jesum attentasset illos ad spem revocare: incassùm laborasset. Sed dùm cum isto optimo viatore confabularentur, in corde habebant quemdam intimum sensum, qui ibi latebat tanquam igniculus sub cinere; quem quidem sentiebant; sed quid esset tunc non discernebant. Dolorosa rememoratio ignominiosæ mortis charissimi sui Domini ac Magistri quasi tristitia absorptos eos tenebat; & tunc tantummodò, quid esset ardor ille cordis, quid flamma illa abscondita cognoverunt: quando Jesus illorum oculos aperuit, ut eum agnoscerent.

Idem sæpissimè accidit animæ volenti Deum diligere propter seipsum: & proximum propter Deum. Ex contradictionibus enim & crassa naturæ indole in tristitiam & dolorem fertur. In cordis tamen intimo sentit adesse desiderium adimplendi quidquid Deus ab ea requirit; & indè ejus dolor procedit, quòd non videat suum ergà Deum amorem: quem tristitia, & naturæ oppositiones ab ejus oculis abscondunt.

Videtur sibi quòd amor Jesu remansit mortuus in Jerusalem postquam ibi per naturæ contradictiones cruci affixus est: at ipsimet Jesu loquitur, idque ignorat. Ejus nempè gratia est, quæ flammam hujus desiderij in cordis intimo producit & fovet; ejúsque auctorem gratissimè cognoscet, quando panem coram se fractum videbit: sicut discipuli illi in fractione panis Magistrum dilectissimum cognoverunt,

Sciendum ergò tibi est, Soror charissima, duos in nobis amores esse inter se multùm differentes; amorem videlicet hominis animalis: & amorem animæ rationalis. Primus amor semper sensibilis est. Formatur enim tantummodò ex convenientia, quam invenit in objecto sensibili; at tantùm durat: quantùm illa convenientia. Si enim fiat mutatio in objecto, vel amantis phantasia aliò vertatur, aut rei amatæ nausea superveniat; amor ille etiam mutatur: & indè est quod amor ille tam debilis, inconstans & restrictus existit. Si enim benè attendatur: seipsum & pro seipso solummodò diligere novit.

Amor autem animæ rationalis; amor rationis est, voluntarius & liber: qui optimè existere & subsistere potest absque inferioris partis sensu, sive affectu sensibili.

Hujus rei tritum & vulgare exemplum nobis sumamus in homine qui, ut par est, sanitatem æstimat, & conservare desiderat. Generosum vinum & melones amat; offeruntur ei: plenámque habet libertatem eis utendi. In utrumque tota se se fert ejus naturalis propensio, & appetitio, adjuncto quodam amore sensibili: quasi in gratum & conveniens objectum. Quoties isti appetitui resistit & ab eis se abstinet; seipsum amat, vim illam sibi inferendo: sed non sensibili modo, & naturæ grato. Vides ergò illum amare se, sed eo modo, qui naturæ sensibilis non est: amat verè, licet absit delectabilis sensus; sed amore rationis, voluntatis, & libertatis: quibus etiam prævertit & impedit actus amoris sensibilis. Quem amborum amorum in hoc casu pluris æstimabimus; non-ne illum amorem rationis qui sensibilem vincit, & à sensibili independens est? Ita proculdubiò censebimus. At ut illum rationis amorem sustentemus; ad amorem supernaturalem promptè recurrendum est: quippè qui alterius fulcimentum, sicut & vera scaturigo sit. Supernus ille amor est qui omnia reducit ad suum principium; & qui in nostrum amorem robur influit, ut constans & verus sit: amor autem ille supernaturalis diffunditur in animam per Spiritum sanctum qui in nobis format sanctum habitum Charitatis, illúmque suâ gratiâ fovet & nutrit.

Observa, Soror charissima, quod hæc divina flamma amoris supernaturalis non uniat se amori illi hominis animalis; sed amori rationali quem mutat in spiritualem, & sensim gradatímque in supernaturalem sublimat: donec rationem excedat, Deúmque solum intueatur quasi unicum bonum & dignissimum amoris nostri objectum; quod solum meretur propter seipsum diligi: nec ulla sit creatura quæ justè possit prætendere ullam sibi dilectionem deberi, nisi ex relatione ad illud.

Si amor merè rationalis perducit animam usque ad renunciandum amori sensibili; quò non perveniet amor ille supernaturalis? & si primus non cessat amor esse quamvis absit sensibilitas; an non adhuc perfectiùs subsistet amor cælestis absque sensibili, cùm Deum habeat

pro objecto, qui omnem sensum superat & longè superior est omni sensibili?

Certum tamen est amorem illum supernaturalem suavissimo pollere sensu, quem in animam diffundit: totóque cælo superare crassitiem sensûs animalis hominis. Itémque suavissimum illum sensum nonnunquam communicari affectibus hominis animalis indubitatum est: at id tantùm fit quando & quamdiu supremo Charitatis Magistro beneplacitum est.

Trito & sensibili exemplo utar ut quomodo potero: hujus communicationis modum tibi aperiam.

Magister musicæ symphoniæ qui non vult concentum suum extrinsecùs audiri in locum secretum se recipit portas & fenestras occludi jubet: sícque efficit, ut cantus non audiatur ab his qui foris sunt. Cùm verò lubet, ut ejus melodia perveniat ad eos qui in vicino cubiculo sunt; jubet aliquam januam aperiri, quæ ad illud versa est. Sícque fit ut gratissimus symphoniæ sonus ad illorum aures perveniat. At quandò etiam à servis & domesticis, sui concentûs melodiam vult audiri tunc fenestras ad aream respicientes jubet referari: ac servi qui ibi magnum strepitum edunt, auditâ dulcedine cantûs & diversarum vocum gratâ concordiâ, confestim silent: magnúmque observant silentium, usque dùm occlusis fenestris, & auditione cantûs deficiente ad consuetum strepitum revertuntur.

En, Soror charissima, crassâ minervâ delineatam tibi exhibeo Charitatis communicationem: & diversos modos quibus se sensibilem præbet. Placet ei persæpè concentum suum facere adeò secretè: ut à solo Deo & Angelis ejus percipiatur. Et quamvis in ipsa anima fiat ejusmodi concentus contigit tamen, ut quasi stet ad januam, nihílque audiat: quia omnis aditus ad illius sensum intimum occlusus est. Cùm verò placet Magistro Charitatis, ut delectationis concentûs anima particeps sit: aperitur janua, quâ usque ad ejus sensus intimos pervenit melodiæ sonus. At nihilominus famulorum strepitum patitur qui tunc ei valdè molestus est: & patienter ferre cogitur delectationem suam, domesticorum nugis & clamoribus interturbati.

Quando autem (sicut nonnunquam accidit) suprema Charitas vult concentûs sui suavitatem usque ad inferiorem partem pervenire, sicuti acciderat Prophetæ David dum diceret *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum, & omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi* Tunc fenestras aperit: & cantûs melodia usque ad inferiorem illam partem pertingit, quæ veluti area est, in qua famuli strepentes auditâ cantus dulcedine silent & quiescunt. Tunc anima in suo microcosmo quietem suavissimam degustat. Felix hora, sed brevis mora. Fenestris enim & januis occlusis, concentúsque dulcedine à servorum auribus remotâ strepere incipiunt sicut solebant: ipsáque anima in

eamdem neceſſitatem recidit illorum importunitatem ferendi. Sufficere verò illi debet, ſi ex hoc conſolationis ſtatu reportaverit majorem à creatis rebus ſolutionem ⁊ robuſtius in ſuas paſſiones imperium: firmiúſque propoſitum Deum plus operoſo, quàm ſenſibili modo diligendi. Hac enim tantùm de cauſa conſolationem illam conceſſam ſibi fuiſſe æſtimare debet. In his rudi licet ſtylo deſcriptum habes, quibus modis utatur Deus : ut Charitas ſuperna uſque ad ſenſus pertingat.

Magna diſtantia eſt inter amare affectu : & amare effectu. Primum amoris indicium eſt, quod nonnunquam falſum eſt : ſecundum verò veræ dilectionis probatio eſt, quæ deceptioni non eſt obnoxia. Primum ſæpiſſimè ſimplici complacentiâ conſtat : ibíque ſe ſiſtit. Undè probatur eum qui ſic diligit, ſe ipſum tantummodò diligere. At ſecundum exhibet, ſe extrà ſeipſum egredi, ut rei dilectæ ſeſe communicet: & in hoc demonſtrat quod verè diligat. Amare enim nihil aliud eſt : quam velle benefacere & opere adimplere.

Amor naturalis hominis animalis ut plurimùm in iſta complacentia ſe ſiſtere conſuevit : & ideò falſus ſæpè reperiri. Dicit tantummodò: diligo, quia illud objectum multùm mihi placet.

Amor rationalis firmior quidem eſt, & deceptioni minus obnoxius ⁊ dicit : volo ex libero arbitrio diligere cum effectu, quamvis in me non ſentiam delectationem illam quæ comitari paſſionem illam ſolet, quæ amor dicitur.

At amor ſupernaturalis ad illud bonum, ad illam cauſam reſpicit quæ immutabilis eſt. Nam Deus ipſe eſt, à quo amor ille procedit, tanquam rivulus è fonte : & quem intuetur velut unicum principium ad quod vult omnia referre. Dicit ergò ⁊ volo Deum in omnibus diligere opere & effectu: ejuſque dilectioni omnes & quoſcumque affectus ſenſibiles, aut contradictiones immolare. Nec vult poſteà attendere ſi adſit ſenſibilitas ſive in ſeipſo, ſive in proximo ⁊ ſed ad Deum rectà tendit, ut agnoſcat quid Dominus requirat à ſe in occaſione præſenti : illúdque nullâ motuum ſenſibilium habitâ ratione adimplere ſtudet.

Hîc habes præ oculis, Soror in Chriſto dilecta, quîd ſit amor ſupernaturalis, qui ſic vocatur non tantùm quia procedit à principio ſupernaturali ⁊ ſed quia attrahit nos ad diligendum longè alio modo, quàm affectus & ratio veteris hominis edocent : ex quibus animalis ille homo fertur tantùm ad amandum quamdiu vel voluptatem ſenſibilem, vel complacentiam in objecto dilecto reperit. Hîc vetus amandi modus erroribus & inordinationibus ſcatet, éſtque tantùm merus amor privatus ⁊ at Chriſtus illum cum ſuis uſibus deſtruxit, docendo nos per ſuum novum mandatum, ut nos invicem diligamus ſicut dilexit nos ; id eſt, ut voluntate & opere benefaciamus proximo propter, & *S. Ioan. cap. 13.*

C 4

secundum Deum: nullo habito ad nostram sive complacentiam, sive repugnantiam respectu.

Nemo non fatetur amorem effectivum amore simpliciter affectivo longè meliorem esse; & ideò quisque evidenter agnoscit dilectionem efficacis voluntatis quæ ex mero libertatis motu bonum operatur: longè præcellere sensibili. Ille amor est, qui magna Deo offert sacrificia: & proximo exhibet magna adjumenta. Quippe qui tùm commoda, tùm repugnantias transcendens: utraque veræ dilectioni immolat. At amor simpliciter affectivus recipit potiùs quàm dat: quia suavitas quam ex affectu sensibili percipit, donum quod largitur, sæpiùs superat.

Amorem illum effectivum, rationis, voluntatis & libertatis amorem nomino; nam si illi astet quædam vis aut contradictio, ex parte tantùm sensus naturalis procedit: & tunc etiam anima validiorem suæ libertatis actum elicit, cùm eligit benefacere proximo, etiam repugnante naturà. Tunc libertas animæ libertatem sensuum vincit & superat; & indè eò purior existit amor: quò à complacentia naturali, & à creatis rebus remotior est. Opere sic diligere etiam inter privationem complacentiæ sensibilis, & contradictiones; est diligere fortiter: & eo modo quo S. Job in Deum sperabat, dum diceret, *etiam si me*
Iob. cap. 13. *occiderit in ipsum sperabo.*

Si ergò, Soror charissima, ista omnia applices quæstioni quam mihi proponis circa illas repugnantias, quæ contra proximum sentiuntur: difficultates evanescent, quas ibi reperies. Quamdiù anima in firma stat voluntate non sequendi aversionis sensum ad quem naturam inclinare conspicit, & proximo benefaciendi secundum Dei beneplacitum & ad ei placendum: *diligit in veritate.* Nam amat cum effectu. Jam enim magnus amoris effectus est: renunciatio hæc aversioni illi quam sentit. *Diligit purè*: Deum enim solum habet pro objecto. *Et generosè diligit:* quia vult retribuere bonum pro malo quod recepit, vel saltem quod gustui naturali malum sapuit.

Nemo est qui se ab isto amore excusare possit; & omnes ad illius praxim tenentur: relationem enim necessariam habet ad amorem Dei, ad quem pertinet. Si id exequi recusemus; non solùm proximum, ut par est, non diligemus: sed nec Deum. Amor enim proximi inseparabilis est ab amore Dei. *Qui enim fratrem non diligit quem videt; Deum,*
Epist S. Ioa. cap. 4. *quem non videt, quomodo diligere potest?*

Omnes istæ difficultates indè oriuntur, quòd proximum quem oculis hominis spiritualis intueri deberemus, hominis animalis oculis aspicimus; qui ubique quærit quod sensui naturali sapit: quique turbatur & absterretur quoties propriæ complacentiæ blandimentum non sentit. Si verò oculum hominis spiritualis in illum conjicimus; statim videbimus proximum illum non pro seipso esse diligendum: sed

pro

pro Deo, & in Deo. Deum verò in omnibus diligibilem esse agnoscentes ⁊ fatebimur nos posse & debere semper proximum diligere, qualiscumque sit: si non amore illo sensibili, saltem amore rationis, voluntatis & libertatis, supernaturali amore Charitatis animato, quem unicum meritò amorem effectivum nominare possumus. *In Deum*, quia ejus amori correlativus est: *In nos ipsos*, quia pretium veri amoris habet in quo divitiæ nostræ omnes consistunt, nec est similis falsis adamantibus, sicuti sæpè est amor sensibilis. *Et in proximum*: quia ei cum perseverantia beneficus est. Ex tuis quæstionibus hæc est quæ ampliorem explicationem requirebat: cæteras verò brevioribus verbis perstringemus.

SECUNDA QUÆSTIO.

Quando timetur ne peccatum sit in aliqua re parvi momenti, etsi non credatur inesse: numquid melius esset ab eâ abstinere.

RESPONSIO.

ANima quæ vult Deo se plenè & integrè dedere ⁊ debet in primis de moralibus virtutibus solidam instructionem sibi comparare: & deinceps instructionibus & documentis semel acceptis firmiter adhærere, rejectis vanis timoribus qui ex visis imaginativis possunt exurgere. Etenim tenera anima quæ singulis ejusmodi visis & timoribus, sub pretexru majoris sedulitatis, attenderet ⁊ in continua inquietudine versaretur: & in eorum statu esset de quibus David ait, *illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* *Psalm. 13.*

Nequaquam ergò suffocabuntur conscientiæ monita, quoties isti timores malè fundati penitùs negligentur ⁊ sed sic tantùm vitabitur vulnus, quod ei timor & scrupulus infligerent: undè progressus animæ per supervacaneas fatigationes sisteretur. Nimia subtilitas mente proprios defectus volutandi, nonnunquam plus nocer animæ ad perfectionem aspiranti: quàm ipsi defectus, quos nimis ardenter vitare desiderat. Animo ergò, chara in Christo Soror, altè infige quæ dicturus sum. Vade & perge ad Deum ex corde bono & bona fide: cum majori simplicitate quam subtilitate. In dubiis rationi consentaneis quæ tibi occurrent, ubi de materia notabili agetur, consilium exquire antequam quidquam agas ⁊ sed circa reliqua in quibus nihil tibi apparebit oppositum documentis jam à te acceptis, viam tuam insiste cum firma intentione Deo in omnibus placendi: & post tergum timores istos relinque. Quia si semel eis aurem præberes: animum tuum indesinenter angerent.

Quædam sunt piæ animæ quæ adeò perspicaces sunt : ut ad minimas usque actionum suarum fibras pertingant. Hujus perspicacitatis causæ partim ex animi vivacitate procedit ; sed maximè ex habitu assueto pro eâ vivacitate nimis subtiliter utendi : undè incidunt in inquietudines ferè continuas ; & in conscientiæ remorsus quibus premuntur assiduè, eò quòd in culpas lapsæ sint : quas non obstante illo præsentissimo intuitu sive monito non faciendi, commiserunt. Ut autem ad quietem & pacem ejusmodi animæ possint revocari ; eis exponendum est & explicandum, prævisiones illas quantùmlibet subtiles, non posse efficere ut impeccabiles evadant ; & quod positâ illâ Dei dispositione, ut homines totâ vitâ peccatores sint eo peccatorum genere sine quibus humana miseria hîc vivere non potest, ut censet D. Augustinus : subtilibus id genus prævisionibus non magis culpabiles sint in hujusmodi defectus & peccata levia infirmitatis cadendo, quàm si eâ intuitûs animi præsentiâ caruissent. At optimum tunc illis præbendum est consilium, ut hebetando illius vivacitatis acumini potiùs studeant : quam illud adhuc ampliùs augendo per attentionem nimiam, & intuitus subtilius repetitos & multiplicatos. Ab extremis in quacumque re sollicitè cavendum est : quia si animos, non penitùs, nec semper destruant & invertant : illos valdè læsos relinquunt ex vexatione, sive tortura quâ illos identidem cruciârunt.

Animos læsos voco, qui in cogitatu suo jam non valent se ab extremis continere ; qui quasi in statu quodam coactionis constituti, justâ non possunt amplius uti libertate, nec modum nec discretionem servare : imò nec consilij acceptandi, aut sequendi capaces sunt. Et illud ipsum est à quo sapiens vult nos removere, dum dicit ; *Noli esse justus* *Ecclesiast. cap. 7.* *multum neque plus sapias quam necesse est : ne obstupescas.* Gradus & ascensiones in corde nostro nobis potius disponamus in spiritu leni- *Psalm. 83.* tatis ambulando in valle lachrymarum, juxta psalmistæ consilium : quàm ad descendendi necessitatem deveniamus ex indiscreta ad nimis alta & extrema conscensione. Ista Davidis verba animæ suaviter sapiunt ; & ostendunt consilium Dei esse, ut per gradus ascendamus ex minori ad majus : donec ad eum gradum pervenerimus, in quo beneplacitum est ejus charitati nos collocare. Non simpliciter in valle, sed in valle lachrymarum gradus isti ascensionis componuntur ; quòd quidem significat eos per humilitatem cordis disponi, & per gemitus effusos super proprias infirmitates & defectus, qui ejus per istos gradus ascensui non obstant : dummodò his corrigendis pro viribus insistat, ab illis verò in humilitate & lenitate ipsa contineatur.

TERTIA QUÆSTIO.

Potést-ne peccatum veniale existere sine peccandi voluntate.

RESPONSIO.

MImimè. Distinguendum verò est inter voluntatem agentem : & volunratem negligentem. At in peccatis venialibus quæ infirmitatis vocamus, etsi voluntas cum deliberatione non sit operata ; aliquid tamen neglexit, quod sufficiens est ad constituenda ejusmodi peccata, de quibus sapiens ait, *septies in die cadit justus :* quæque reparari possunt cum usura per abundantiorem humiliationem. Si in ea peccata frequenter inscij labimur, inquit, D. Franciscus Salesius : eodem etiam modo sæpius resurgimus. *Proverb. cap. 24.*

QUARTA QUÆSTIO.

An sufficiat aspirare ad perfectionis exercitia, non adhibito magno conatu ad ea facticanda, quando ad id mentis intuitus fertur : quamvis animus non adsit ea amplectendi. Vndè posteà nascitur anxietas in animo de fidelitate inspirationi divinæ non exhibita.

RESPONSIO.

NIhil est in vita spirituali magis necessarium quam benè auscultare inspirationes : illásque ad praxim deducere. Nam inspiratio est propriè monitum internum quod incitat nos ad bonum ; at nihil etiam est in quo instructio recta & directio magis requiratur : quia ex inspirationum ideis imprudenter formatis, multæ piæ animæ ad indiscretos excessus feruntur, ac sese intra labyrinthos pœnarum & inquietudinum includunt. Ut ergò, charissima in Christo Soror, in istos scopulos non incidas ; ambula per viam quam hîc tibi demonstraturus sum : & experimento addisces, si eam fideliter sequaris, hanc viam securam esse præ aliis ad benè & cum magno profectu veris inspirationibus utendum.

Inspirationes certæ & securæ illæ censendæ sunt : quæ nos impellunt ad consilia Evangelica & officia nostræ professionis apprimè & cum quotidiano profectu exercenda. Ad istas idcircò te remitto : quas

recipias, sequaris, & in eis firmiter stes. Si enim quaslibet boni species, quæ menti tuæ occurrunt, tanquam inspirationes à Deo immissas promiscuè admitteres; profectò bonum omne possibile in mentem tibi adveniret: illúdque à te adimplendum esse crederes, quasi divinitùs inspiratum. Undè in continua inquietudine versareris, quasi ream te existimans infidelitatis erga divinam inspirationem. Dicito ergò tunc tibi ipsi ad pacandum animum agitatum ac tremulum; quicquid operis & laboris est in magna domo non per unum eundémque servum posse perfici: & sufficere, si unus injunctum sibi opus benè agat, & alius aliud.

Qui in seculo sui juris sunt majori indigent attentione ad benè discernendas inspirationes sibi immissas: quàm qui Dei obsequio ex voto astricti sunt. Hi enim statum fixum habent & regulas quæ eis satis demonstrant quibus occupationibus vacare debeant; at illis, qui propriæ voluntatis Domini sunt: & tempus & actiones supersunt, quæ ab illorum libertatis & electionis pendent arbitrio. Verumtamen multùm etiam eis expedít, ut semel sibi præscribant regulam actionum agendarum, quâ spatium vitæ secundum Deum transigant; adhibita semper istâ discretione, ut zeli sui fervorem in rebus insolitis non sequantur, nisi adhibito priùs prudentis alicujus Directoris consilio: quod eis adeò necessarium est, ut nisi ejusmodi prudenti consilio innitantur; ad excessus, ad animi instabilitates & indiscretiones devenient: undè tandem suscepta deserere cogentur, & ut fert vetus adagium, oleum & operam se perdidisse dolentes perspicient.

Duas tandem has regulas in inspirationibus tuis observes velim. 1. Nihil in inspirationibus occurrit quod certum sit certitudine fidei; id est quod nulli errori obnoxium sit: præter illud quod ad consiliorum Evangelij & officiorum nostræ professionis praxim nos incitat & provocat. Cætera possunt menti apparere humano modo; nec absque speciali revelatione cum certitudine nosse possumus; id ea procedere ab impressione supernaturali divinitùs facta eo fine ut à nobis opere compleantur. Quod ergò possit pro certò haberi in hac re & sufficere debet, illud est. Quando bonum consilium requisivimus; & subdito proprio judicio accepimus: eam rem facere possumus quam nobis inspiratam esse bona fide credimus, & firmiter credere quod eam adimplendo Deo placemus. Quia ex intentione ei placendi actum facimus, cum virtute conjunctum & nostræ libertati subjacentem. Ecce in quo standum est. Quia aliæ certitudines quæ quærerentur & constituerentur in quibusdam rebus particularibus: nulla Scripturæ Sacræ authoritate nituntur. Sed non raro occultæ præsumptioni junctæ sunt: eásque ferè semper sequitur aliquis error, aut mentis cæcitas, quam magnæ inquietudines & vexationes præcesserunt.

2. Semper reminiscere fructum bonum crescere in patientia; neç

à fine ad finem attingi, nisi pedetentim incedendo: fortiter quidem agendum esse in executione operis, sed suaviter in modo.

Ecce, ut puto, quod à me responsum exigebas. Deum ergò tandem obnixè rogò, charissima in Christo Soror ⁏ ut trahat te ad se in vinculis charitatis: usque dum te constituerit in libertate gloriæ. Me illi commendare memento in tuis precibus, &c.

CAPUT TERTIUM.

De mortificatione. Cuidam seculari.

MOrtificatio ad reparandam Dei imaginem in homine, eámque servandam æquè necessaria est: ac scalprum sculptori ad efformandam statuam.

Si desit mortificatio, homo remanebit animalis ⁏ & usquequaque evadet: donec sit ex illorum numero de quibus David sic loquitur, *Comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis.* *Psalm. 48.*

Mortificationis necessitas non tantùm ad Christianos, sed ad quoslibet homines se extendit ⁏ quibus ratio ad hoc tantùm proderit, ut bestias furore & excessibus superent ⁏ & ut fabricent mala ex malitia ubique desolationem ingerente, adinventa: nisi rationalis eorum potentia per mortificationem dirigatur & ordinetur. Quæ enim crimina, quæ scandala adinvenire & producere non valet, ratiocinans malicia, nullo mortificationis regimine frænata?

Nemo non novit plura in nobis esse vincenda & destruenda ⁏ & non tantùm in sensibus & in nativa corporis proclivitate: sed etiam in animo & ratione. Id enim satis edocet experientia. Quonam autem modo id fiet, nisi mortificationis instrumento & adminiculo?

Mortificatio autem nec semel; nec aliquando, sed toto vitæ curriculo debet exerceri ⁏ nec quisque scire potest in qua re ejus usu indigebit: an hoc instanti, an illâ horâ, vel die sequenti. Ea propter ad manum, ut ita dicam, semper habenda est, ut ad quodlibet obvium applicetur: sicuti miles in custodia positus arma debet habere parata ad ea explodenda in primum hostem qui obvius occurret. Ergo exercitium benè utendi mortificatione apprimè addiscendum est: ut in praxim prudenter & facilè deducatur.

Maledicta terra in opere tuo.... Spinas & tribulos germinabit tibi, inquit Deus ad Adam. Id verò longè meliùs de corde hominis intelligendum est: quàm de terra quam pedibus calcamus. Et ideò duo pariter circa miserum cordis illius statum apud se statuenda sunt: quorum *Genes. 3.*

alterum sit æquanimiter conspicere spinas illas & tribulos inde germinantes; nec magis mirari, quàm hortulanus qui terram videt agrestes herbas quotidie proferentem: quia ex sententia à Deo semel prolata id oritur, qui pœnam istam decrevit, à qua nemo eximitur, nemo excipitur. Alterum verò sit ferrum mortificationis statim adhibere, ne spinæ illæ incrementum capiant; prout à sedulo hortulano observatur: qui noxias, aut inutiles plantas statim atque apparent, sarculo extirpare conatur, aut, quantùm potest, abradere studet.

Mortificationis necessitas in omnibus scripturis nobis prædicatur. Ab ipso mundi initio sic loquitur Deus, *sub te erit appetitus tuus,*
Gen. 4. *& tu dominaberis illius.* En necessitas expressa, quæ nec exceptionem, nec interruptionem admittit: cui etiam David fideliter obtemperabat.
Psalm. 43. Dicit enim; *quoniam propter te mortificamur tota die:* idque factis exhibebat.

Ad Colos. cap. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* *Abstinete à carna-*
1 Petri. c. 2. *libus desideriis quæ militant adversus animam.*

Ad Gal. cap. 3. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*

Spiritus concupiscit adversus carnem; quid hoc significat? Nihil aliud certè quàm oppositionem illam & naturalem aversionem, quæ semper animæ infixa remanet: contrà inordinatos motus quos in sensibus & passionibus peccatum producit. Quæ oppositio eam in continuo, licet debili, detinet desiderio carnem illam suo subdendi imperio: eique internum infert gemitum, quoties in ea subdenda deficit. A proprio ergò instinctu animæ, de necessitate mortificationis satis edocemur: quæ tria requirit, ad quæ semper debemus esse parati. 1. Negare. 2. Rescindere. 3. Et naturali appetitui semper refragari.

Audiamus adhuc D. Paulum de hac re sic loquentem; *Semper*
2. Ad Cor. cap. 4. *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes: ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Si armaturam istam circumferre secum non desinebat: illâ proculdubio semper se indigere arbitrabatur. Nos verò quantò amplius? Cum ea autem armatura quid agebat? *In omnibus* (inquit) *tribulationem patimur; sed non angustiamur: aporiamur; sed non destituimur: persecutionem patimur; sed non derelinquimur: dejicimur; sed non perimus: . . . semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut & vita Iesu manifesletur in carne nostra mortali.* Hæc Apostoli verba satis explicant qualiter semper & ubique comitem habere debeamus mortificationem: & quæ sint illius necessitas & utilitas. Háncque D. Paulus non poterat apertiùs exprimere & demonstrare.

Quænam est ista Jesu mortificatio?

1. Illa est quæ ex documentis & exemplis vitæ ejus hauritur; quam continuum effecit mortificationis exercitium; ut fieret nobis in exemplum.

2. Quæ auxiliis gratiæ ejus innititur.

3. Et quæ decrevit nihil non facere aut ferre : ut ad ſimilitudinem & unionem ejus perveniat.

Firmum ergò propoſitum aſſumendum eſt non tantùm mortificationem exercendi ; (hæc enim quibuſlibet hominibus neceſſaria eſt, niſi velint ad belluarum ferè ſtatum redigi :) ſed mortificationem Jeſu Chriſti. Homini enim Chriſtiano ſummè neceſſaria eſt, cùm decretum voluntatis Dei ſit : ut ſi velimus portare imaginem Chriſti cæleſtis, portemus neceſſe ſit imaginem Chriſti terreſtris.

Hæc tibi dixiſſe ſufficiat circà mortificationis neceſſitatem. Pij enim illi libri quos tibi commendavi, continent quidquid de hac re dici poteſt ; nec ullo modo intendo te ab aſſuetâ pietatis praxi avocare : ut nova à me recipias documenta. Sed cupio tantùm vias tibi præparare,& quantùm potero complanare, ut firmiùs & quietiùs in via Dei incedas : téque diſponere ad majorem ex veterum magiſtrorum documentis fructum percipiendum.

Circa modum in mortificatione ſervandum.

HÆ primùm magnæ Regulæ ponendæ ſunt, ut mortificatio exerceatur.

1. *Tranquillè* & quietè, ut nullus ſcrupulis detur locus, & animi turbationi : quæ ex ſuperfluis ſollicitudinibus & curis anxiis oritur.

2. *Fiducialiter*, protectioni divinæ eiuſque gratiæ auxiliis innitendo : nec unquam animum deſpondendo pro commiſſis defectibus.

3. Et *Generosè*, id eſt eo modo, qui bono intendat & ad illud aſpiret cum voluntaria & generoſa æſtimatione, neglectis hominis animalis repugnantiis ; quique malum aſpiciat cum voluntaria & generoſa audacia : quâ hoſti oſtendat ſe potius illum deſpicere, quàm timere.

Bonum habemus Dominum , & potentiſſimum auxilium ; ut quid ergò timebimus? ſimplicitatem ſectemur pro ut ſtatim dicemus ; id eſt, modum & uſum nobis aſſumamus ea quæ Chriſtus dixit : adimplendi bonâ fide & in cordis ſimplicitate. Vigilemus & oremus ; his enim mediis ad omnia perficienda pertingemus, quantùm humanæ infirmitati poſſibile eſt : id eſt, intervenientibus nonnunquam aliquibus defectibus.

Reſpondebis has Regulas eaſdem eſſe, quas tibi jam alibi propoſui pro aliis rebus ; id fateor, eædem protsùs ſunt : ſed ad omnia utiles. Quapropter, quod jam dixi repeto & repetam : ne ab eis unquam declines. Principia quaſi generalia ſunt à quibus nec latum unguem diſcedi debet : & meritò aſſeri poteſt omne ſpirituale regimen ex eis pendere.

Circa ordinem in praxi mortificationis ſervandum.

DIſtinguendum eſt inter ea quæ nobis eveniunt ex parte Dei & proximi ſine noſtra electione : & ea quæ noſtram electionem & attentionem requirunt.

Quoad prima, hæc tuæ menti altè infigenda ſunt & firmiter tenenda ; ejuſmodi virtutis experimenta eò majori reverentia eſſe acceptanda & amplectenda : quò certius eſt à Divina procedere Providentia.

Quod in his quæ ex parte Dei nobis eveniunt, nulla occurrit alia ſervanda circumſpectio : quàm ut quidquid illud ſit, ad reſignationem, ad patientiam, & ad ſacrificium reducamus.

Quod in his quæ ex parte Proximi nobis eveniunt ; debemus etiam totum illud ad reſignationem, ad patientiam, & ad Charitatem adducere : nec aliam circumſpectionem admittere, præter illam, quâ ex Charitate aliquando ei applicetur correctionis remedium quo indigebit. At correctio illa, ut ſit virtuoſa & vera, debet ipſâ mortificatione regi ; ut loco & tempore ſervatis utilis eſſe poſſit : & intrà Regulas juſtitiæ & Charitatis ſeſe contineat. Ita ut iſta mortificatio nos etiam penitus ſpoliet proſpero noſtræ correctionis ſucceſſu, illúmque Divinæ Providentiæ ex integro remittamus.

Quoad ea quæ noſtram electionem, attentionémque requirunt ; illa tres in claſſes tibi diſtinguo : ut faciliùs ea intelligas & clariùs tibi innoteſcant.

1. Harum prima ſit mortificatio rationis.
2. Earum rerum, quarum particeps eſſe debet tuus proximus.
3. Eorum, quæ à noſtra pendent libertate ; ita ut nemo jus ad ea habeat : nec poſſit à nobis aliquem reſpectum juſtè exigere.

Prima Claſſis ſeu ſpecies mortificationis.

PRimam pono, quæ rationem corrigit & ad ſuum uſum reſtituit ; quia præcipua eſt & præ aliis æſtimanda : Ad quam aliæ reducendæ ſunt, & tantùm habendæ quaſi media ad illam perficiendam.

Hæc autem mortificatio conſiſtere debet in reducenda ad rectitudinem ratione.

Reſpectu Dei ; per reſciſionem eorum omnium quæ puritati intentionis, ſubmiſſioni, fiduciæ, & propriæ Dei beneplacito ſubjectioni adverſantur : vel aliquid in eis minuere poſſunt.

Reſpectu ſuiipſius ; rejiciendo quidquid opponitur lenitati, patientiæ, & ſedulitati ac vigilantiæ bonæ voluntatis : quæ ſervire Deo exactè & ſtrenuè adlaborat.

Reſpectu

Respectu *proximi*; rescindendo quidquid tolerantiæ, auxilio, & correctioni opponitur. Hæc prima species omnium præcipua est: huicque absque inconsiderantiæ timore incumbendum. Ea nempè est pro quâ D. Paulus *flectebat genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur: ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem.* Ea est, quæ aliarum mortificationum quasi anima reputari debet; & si sensim in illa crescamus: aliæ reperientur aut factæ, aut facili negotio adimplendæ, quamvis nullum, aut vix ullum circa eas adhibitum sit studium, & labor. *Ad Ephes. cap. 3.*

Arbor variis modis dejicitur; vel ramos ejus sigillatim præscindendo: vel radicem feriendo. Ictus radici inflicti, ramos licet à securi non læsos penitùs arescere faciunt. Idem est dicendum de hac prima mortificationis specie; hominem quippè animalem brevi tempore prosternit: sed aliæ, sine illa, ramos tantùm abscindunt, qui facilè repullulant, nec ullum vigori radicis inferunt damnum.

Illud autem addendum est, quod Deum, nos ipsos, & proximum spectat; nempe ut proprio animo attendamus & invigilemus: nec sinamus illum aliquâ opinione præveniri, eíque pertinaciter inhærere. Quapropter in statu libero & ad omnem veritatem flexibili, cùm primùm illa nobis evidentiùs innotuerit, statuere nos debemus, nec propriis ideis adhærere: cum mens humana errori, activè & passivè semper obnoxia sit.

Non ideò dicimus animi vacillationem & inconstantiam esse sectandam, aut nutriendam; imò asserimus animi firmitate in omnibus opus esse, & fidenter agendum juxta insitam nobis cognitionem, & adhibita maturiori, quam possumus, deliberatione: sed omnia ita fieri & observari debent, ut anima ad cedendum & se flectendum semper parata sit: quoties aliquid aut convenientius, aut melius ei innotuerit.

Hæc omnia complectitur exercitium simplificandi, sive animum simplicem efficiendi. Quod si in praxim illud benè redigas; ad manum habebis primam illam mortificationis speciem: & in promptu tibi erunt ambæ aliæ species. Anima enim indè fiet apta & parata ad faciendum bonum & ad declinandum ab omni specie mali ex voluntate magistra & generosa; in viis Domini incedet calcando sensum, desideria, & contradictiones naturæ: & omnia in Deo reperiet, cui se proximiùs junget & adhærere pro unica habebit cura & studio. Est enim unum necessarium, simplicissimum in sua unitate existens; & omnia ad unitatis simplicitatem adducere volens: *ut sint unum sicut & nos,* inquit Christus.

Secunda Classis. De iis in quibus res proximi præcipuè agitur.

HIc vitandi sunt multi, variíque inconsiderantiæ scopuli in quos fert & præcipitat fallax, aut obcæcatus intuitus; qui semper resecare quod naturæ gratum est, & quod ei durum semper eligere: optimam esse mortificationis praxim arbitratur. At error est. Enim verò, nec in dulci, nec in amaro constitui debet mortificationis ratio: sed in his quæ voluntatis Dei esse nobis notantur. Dulcibus æquè ac molestis utendum est, quando cujuscumque statûs officia ex Dei ordinatione aut voluntate nobis signata id requirunt; & pro certo habendum est mortificationem non semper requirere privationem absolutam eorum quæ sensibus placent: sed illam etiam optimè reperiri in earum rerum usu, quando cum intentionis rectitudine, ordine, & moderatione peraguntur. Sed hoc opus, hic labor est; ut à justo medio non recedatur.

Quoties ergò proximus jus tecum habet ad aliquid; mortificatio tua nihil sibi arrogare debet, cum ejus præjudicio: injustitiam enim committeret. Potest quidem ad illam privationem incitari, dummodò id fiat absque importunitate aut gravamine: sed è contrà honesta demonstretur ad acquiescendum propensio. Voluntaria enim mortificatio non debet cogere proximum ad se mortificandum in ea re, quâ licitè & honestè uti potest.

Ad Rom. cap. 15. *Unusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem; etenim Christus non sibi placuit, &c.* Tantum igitur abest, ut proximo nostro simus nostrâ mortificatione onerosi & permolesti; cum etiam eodem mortificationis spiritu rescindere debeamus quod illi grave esse potest & incommodum: nisi opus sit ea re uti ad illum instruendum, aut corrigendum, aut dirigendum; & adsint vel conveniens autoritas, vel charitatis rationes: quæ evidentes sint & ab omni imprudentia dissitæ. Qua in re hominum multo usu exercitatorum consilia requirenda sunt & accipienda: donec experientia modum ponendum docuerit.

Vera devotio non debet se onerosam reddere proximo; imò illum attrahere debet per charitatis indulgentiam: quæ tamen Christianæ libertatis, aut officiorum sui statûs, sive conditionis limites non excedat.

Tertia Classis. Eorum quæ pendent à nostra libertate.

HÆc ultima ponitur, & velut instrumentum primæ tantummodò æstimanda est, quæ tertiâ uti debet *liberè*; id est rejecto coactionis animo, qui putet omnia sensui esse resecanda: nec unquam ei quid-

quam esse concedendum ex re aliqua particulari, cujus privatio semel proposita est. *Ac circumspectè*, ut omnia concordent cum sui status officiis ⁊ moderatio adhibeatur, ne natura nimiùm exasperetur: quando nimio mœrore, aut tædio afficitur. Spiritus enim coactionis, & imprudentia naturam ad extrema redigentes ⁊ ejus contradictiones & repugnantias nonnunquam sic augent: ut ferè intolerabilis animæ efficiatur. Miscendo ergò lenitatem aliquam cum fortitudine, res feliciùs succedunt ⁊ animus augetur: & fit nobis possibile per gratiam, quod impossibile est per naturam.

Attentè & studiosè observa quæ hîc dico: hanc tertiam nempè speciem pro primæ tantùm instrumento habendam esse ⁊ nam si à prima non moveatur, & ad suos fines non dirigatur: res certè flocci est ista tertia. De hac enim loquitur Apostolus dum dicit, *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*: de prima verò loquitur per hæc verba, *pietas autem ad omnia*. Hæc est enim quæ rationem ordinat ad Deum, ad seipsum & ad proximum.

Quisque ergò eâ tertiâ uti debet secundum proprij statûs rationem ⁊ regulas prudentiæ semper observando, maximè in his quæ animi habitudini damnum inferre possent: ut est somni privatio, quem sibi quisque novit esse necessarium juxtà temperamenti naturalis qualitatem. Nullam in hac re approbo mortificationem ⁊ nisi fortè, aliquis experimento suo cognoverit: hanc quietis diminutionem nullum noxium ac gravem sanguinis aut capitis affectum parere. At anima Religioso statui alligata: debet Regulæ suæ exactè inhærere & obtemperare. Unde R. P. Guigo in suis Constitutionibus dicit Cartusianos non tantùm moneri, sed etiam eis juberi: ut horis ad somnum deputatis dormitioni sedulam impendant operam.

Ecce quod tibi annotare statui circa mortificationem: ac sufficere credo. Restat quidem notabile monitum tibi tradendum circa ea quæ fortè ventura sunt: at tibi priùs assignandum est

Exercitium & modus simplificandi animam, id est in cordis simplicitate agendi: quod à me postulas.

HÆc quatuor puncta observanda sunt ut anima nostra simplex fiat: & in simplicitate laudabili agat.

1. Sedulum adhibere debemus studium ut ad Deum propriam voluntatem, curas, timores, affectus, cunctáque animæ desideria adducamus: nec ea voluntariè aspicere ⁊ quin simul nos consideremus in ipso Deo collocatos: studeam úsque ut ista omnia Deo magis, magisque proxima & pura reddantur.

Ad id exequendum, memento Christum Dominum se in Evangelio Gallinæ comparare: quæ congregat pullos suos sub alas. Cùm autem tam ardenti desiderio flagrare perhibeat hoc Gallinæ exercitium erga nos adimplendi ; persuasum habeamus nihil magis ei gratum à nobis fieri posse: quam id imitari quod pulli agunt erga matrem. Hoc sequamur exemplum, & in quibuslibet occasionibus ad alas divinæ illius Gallinæ recurramus, eo sensu & affectu quo David, dum diceret ; *Psalm. 56.* *In umbra alarum tuarum sperabo*, sub quas nostras etiam voluntates, desideria, curas & affectus reducamus, ut ibi securitatem & auxilium inveniamus: ibique maneamus adinstar David, *Donec transeat iniquitas.*

2. Deum intueri oportet quasi incessanter attentum ad operandum in anima omnes motus, qui ad ejus vitam spiritualem necessarij sunt, quamdiu à Deo separata non est per peccatum ; eodem modo quo anima in corpus operatur, quod quidem quamdiù animat, motus omnes quibus ad agendum indiget: assiduè, & naturaliter illi suppeditat. Deus autem longè perfectiùs anima animæ est: quàm anima corporis. Hæc idea magnam in nostra agendi ratione simplicitatem inferre debet: quam pax & fiducia comitabuntur.

3. Quilibet interiores status, quantumlibet inter se diversi, intra eamdem diem aut horam occurrant ; quasi totidem regiminis Dei motus considerandi sunt: quibus ille nobis indicat, quod & quale exercitium à nobis requirat, sive patientiæ, sive certaminis & resistentiæ, sive sedulitatis & vigilantiæ. Cui ideò cum magna simplicitate incumbendum est: nunquam, nec ullo modo ab alis divinæ illius Gallinæ se subtrahendo: sub quibus exercitium istud debemus cum fiducia, & perfecta voluntatis nostræ cum divina consensione adimplere.

4. Cavendum est, ne quicquam aliud affectus nostros sponte detineat, quam quod à Deo ordinatum est, aut ad eum nos potest perducere ; ut sic nos colligendo & ad unicam simplicitatem Dei nos integrè recipiendo: fiat nobis omnia in omnibus.

Si hæc quatuor puncta benè observemus ; coram Deo in simplicitate cordis ambulabimus: & cum voluntate, generositate, Fiduciâ, Charitate & pace repleta. Voluntas autem sic disposita eximet se ab his quæ multiplicitatem formant in visis sive ideis, in desideriis, & in nimio ad se ipsam reflexu: sicque firmiter adhærebit uni necessario.

Bona omnia in hac simplicitate reperiuntur ; generosus, fortis, & ardens ergà Deum amor, & suavissima ergà proximum Charitas ; cujus miseriæ & inconstantia, animam ea simplicitate agentem non inquietant: imò nec ex propriis miseriis & infirmitatibus turbatur.

At semper & in omnibus, frater in Christo dilectissime, ad Dei

simplicitatem sinúmque recurrendum est : ut indè hauriatur spiritus Charitatis benignæ, patientis ⁊ & ad benefaciendum proximo propensæ : attendendo quali cum patientia & Charitate ipse Deus è sua simplicitate quælibet auxilia nobis & cunctis hominibus necessaria extrahat.

Restat monitum tibi tradēdum circà mortificationes quæ forte tibi venturæ sunt. Quando ergò aliquis tibi occurrit intuitus cujuslibet rei quæ accidere posset, undè gravis mortificationis timor in te orietur ⁊ ad hoc primum simplificationis exercitium recurre,& sub alas cælestis Gallinæ te recipe : ubi his aut similibus verbis animam compellando sedabis. Nostine,inquies,an id tibi accidet? Si accidat ⁊ scis-ne quo in statu spiritus tuus tunc erit, & in quo situ à Deo statuetur ? si Deus id tibi evenire permittat ⁊ simul tibi tribuet auxilium : aut mentis tuæ habitum, in alium quem nunc experiris, facilè commutabit. Nihil verius. Deus enim in evertendis nostris prævisionibus delectatur ⁊ & si permittat aliquando ut quæ futura sunt, timorem nobis inferant : id fit ut ad propriæ vilitatis agnitionem nos attrahat, & manifestè nobis innotescat illum esse refugium pauperis, & *adjutorem in opportunitatibus in tribulatione*, ut loquitur Psalmista.

Ecce quod tibi consulo amplectendum circa futurum contingens ⁊ & experimento disces, ut spero : illud esse securius, tranquillius, & melius. Longiùs enim distat à præsumptione humana, & incerta hominis providentia. Bene vale.

CAPUT QUARTUM.

De præsentia Dei ad pium secularem.

COhærent inter se aptissimè tuum & fidelissimorum Dei filiorum desiderium ⁊ quorum cor ejus amore vulneratum : illum oculis animæ semper præsentem habere summoperè exoptat. Ipse est qui vulnus infligit, illúmque delectat videre ex hoc vulnere languidos ⁊ quod si non sanet : non ideò minùs pater est, nec languidi illi minus fideles existunt.

Hîc ergò aliquod latet mysterium & regiminis Dei arcanum ⁊ quod mirabile erit in oculis nostris : quando nobis erit revelatum. Magnum certè donum Dei esset habere istam actualem ejus præsentiam, & sensibilem istius præsentiæ cognitionem. Hæc duo sunt à se invicem disdinguenda. Nam sæpè piæ animæ istam habent præsentiam quantùm haberi potest secundum solitum hujus vitæ cursum ⁊ & tamen se illam

habere ignorant: quia Deo ita ordinante, ac propter rationes sapientissimas & utilissimas hæc ab eis absconditur. Illorum autem pœnæ & cruciatus procedunt ex quadam idea præsentiæ Dei: quam suo modo sibi efformârunt. Id quidem ab illorum in eum amore ac desiderio procedit; sed indè oblitæ quid possunt: multa possibilia esse putant, quæ verè impossibilia sunt.

Vellent equidem Deum ipsum quasi sensibus subditum efficere, & in eum statum redigere; ut ejus præsentia æquè eis facilis esset & obvia, nec non suo sensui æquè sensibilis: ac optimi amici præsentia, quem oculis corporeis videre licet. At ejusmodi præsentia magna merces est, quæ rarò in hac vita tribuitur; quæque ordinarias Regulas excedit: nec absque singulari gratia haberi potest. Enim verò secundum communem regiminis Dei ordinem, qui ad extrema naturam non provehit; hujusmodi præsentia nec esse continua, nec sub sensibus cadere potest: quia natura hanc ferre non posset.

Anima circumdata est sensibus qui rei merè spirituali applicari nequeunt, nisi adhibita interruptione; & indè accidit quod impossibile sit orationi formali semper vacare: nec unquam animo vagari; mentis enim humanæ ea est infirmitas: ut non possit diu incedere, quin vacillet & interdum relaxetur. Illa tamen est præsentia quam desideras & de qua sollicitus es. Si illam haberes, amice in Christo dilectissime: esses sicut Petrus in monte Thabor. At status ille non est præsentis vitæ,
Psalm. 125. ubi Filij Dei sub hac Regula constituti sunt, quam David exprimit dicendo; *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Verba ista attentè consideremus.

Nemo ibi excipitur; & hi soli qui seminant in lacrymis: participes messis efficiuntur. Gemendum ergò est gradiendo & gradiendum est gemendo, per certamina, per tenebras, & desideria: quæ tria sunt, ex quibus animarum pœnitentium & amantium in hac misera vita nascuntur gemitus.

Partem quam sequamur semel eligamus; & si in ordinem & numerum fidelium Dei filiorum venire volumus: hæc firmiter & seriò proponamus.

1. Nihil prorsus velle degustare & sentire: quam quod Deus voluerit.

2. Abnegationem propriam semper & in omnibus considerare: tanquam exercitium quod à nobis expectat, & ad quod nos vocat.

3. Et huic veritati constanter inhærere; nempè quò plus ea quæ cupimus rationi & æquitati consentanea esse nobis videntur, eò amplius Deo accepta sit illorum abnegatio: quâ nostrum appetitum ex ejus beneplaciti intuitu frangimus.

His tibi notatis ad nostram Dei præsentiam redeamus; eámque in

tres species distinguamus: ut evidentius eam agnoscas, quæ nostram attentionem & industriam requirit, eique subjacet.

1. *Præsentia sensibilis & continua*, de qua jam sermonem habuimus.

2. *Præsentia Fidei*, quæ persæpè acquiescit generali illi animæ intuitui: quo Deum ubique existentem & omnia pro arbitrio moderantem conspicit.

3. *Præsentia voluntatis & exercitij*, quæ studet suos omnes actus ad Deum referre; illósque quasi coram eo peragere, sed modo naturæ humanæ accommodato, qui dicitur *virtualis*: sicque præsentia illa in voluntatis proposito semper durat; & per actus identidem renovatur, sensimque perficitur, familiarior per usum effecta: quo crescit sicut plantæ, in quas cælum benedictionis imbres effundit.

Primam intueamur, sicuti solem videre nobis licet; nec optemus Deum operari in nobis singulare miraculum: ut fixis illum oculis aspiciamus. Si quandoque nobis accidat, benedicendus erit; sed non expectandum est ut hoc continuò fiat: cùm sit præter ejus communem homines dirigendi consuetudinem. *Psal. 104.*

Quærite Dominum, inquit David: *quærite faciem ejus semper.* Si piæ illæ animæ sicut & tua, istâ fruerentur præsentia Dei actuali & continuâ qualem sibi fingunt; non amplius faciem Dei quærerent, nec opus haberent ultrà eam quærere, contra expressa S. Scripturæ verba: quæ variis in locis asserit faciem Dei totâ vitâ & sine intermissione esse quærendam. Illâ ergò communi, pulchrâ & amabili, quamvis laboriosâ occupatione carerent: quia actuali præsentiâ fruerentur.

Præsentiâ ergò *Fidei* contenti simus, & præsentiâ *voluntatis* quæ laboret semper & quærat, quámque desiderium inveniendi & possidendi æquè urgeat: ac si nihil haberet. Deum sic quæri delectat; *apparet*, inquit Scriptura, *his qui fidem habent in illum*: sicut, *invenitur ab his qui non tentant illum.* Quinam porrò sunt illi? hi nempè qui non postulant à Deo fieri miracula ad eorum placitum: prout esset profectò præsentia illa actualis, sensibilis, & continua.

Ad exercendam prudenter Fidei præsentiam, imaginatione rarissimè utendum est, ut anima in sua speculatione liberior fiat: & natura nimiâ imaginationis contentione non opprimatur. Illa siquidem animalibus potest comparari quæ moderatè oneranda sunt: si volumus ab eis grave onus longè diúque portari. Imaginationis operatio rejici, & sensim ab oculis animæ perire debet: ut ad purum Fidei sensum & intuitum illa perveniat. De qua te plura videbis in monitis pro orationis exercitio traditis.

Ad præsentiam verò voluntatis benè exercendam quam alibi præsentiam laboriosam appellavi: ei incumbendum est suaviter, rejectis quibusdam fervoris æstibus, qui animum accendentes, illum excessivè

fatigant per contentionem nimis humanam & violentam. Illud enim Philosophicum axioma quo dicitur violentum durabile non esse: vitam spiritualem spectat sicut & alia.

Quando deprehendes, ex oblivione nimiùm temporis transactum fuisse absque honore præsentiæ Dei exhibito ꟸ noli indè turbari: sed statim atque id tibi in mentem venerit, quasi saltum animi ad eum facito ꟸ in ejus te sinum majori amoris studio projiciens cum levi tui ipsius confusione, quòd tamdiu illius oblitus sis: & age sicuti ageres in occursu intimi amici, quem propè te existentem non videbas.

Præsentia Fidei, animæ simpliciter exponit veritatem quâ Deus semper & ubique præsens esse dignoscitur ꟸ at præsentiæ voluntatis aliquem statim actum te adjungere oportet, quo Dei præsentiam honores: nec in actibus tuis quicquam admittere, quod eam offendat. Id autem adimplere potes per jaculatorias orationes, quas identidem proferes absque animi contentione ꟸ vel per simplices effusiones cordis & desideriorum in sinum Dei profusas: quasi in ejus abyssum te totum projiciendo.

Absque animi dico impetu & violentia. Quia in ejusmodi violentis contentionibus aliquid nimis humanum reperitur ꟸ & gratiæ Dei est efficere, ut sancta illa præsentia, suaviter familiaris evadat per praxim: non per intensam propriæ mentis industriam. Et ideò virgultis eam comparo quæ non tractu manuum illato, grandiores fiunt: sed cum tempore & cæli benedictione, adhibito etiam hortulani labore sensim crescunt. Si plantæ violentiùs trahantur, franguntur aut eradicantur: nedum incrementum accipiunt. Idem sæpè accidit in vita spirituali, quando zelo obtemperatur qui experientiâ caret, & moderatione: quique extrema intuetur ac si medium non esset pertranseundum. Hanc tibi lectionem sæpius repeto ꟸ quia experimento didici illam esse frequenter repetendam iis, qui Deum volunt in veritate diligere: & in conflictu cum natura versantur. Facilè enim ex illarum memoria excidit.

Ab exercitij continuatione non est desistendum ꟸ alioquin non magis proficies in hujus sanctæ præsentiæ familiaritate: quàm in praxi virtutum quæ interrumpitur. Discipulus tribus diebus pergens ad scholam, à qua posteà per mensem abest ꟸ totâ vitâ scholas sic frequentabit: nec scientiam acquiret. Eadem ratione efficitur, ut tot religiosæ animæ in ignorantia, & imbecillitate remaneant ꟸ & quæ deberent magistræ esse propter tempus in proposito pietatis impensum: tàm imperitæ sunt & in virtute tirones ꟸ ut cùm aliquid vel tenuiter insolitum eis occurrit pro Deo agendum, vel aliqua tribulatio ferenda: vix mererentur inter scholæ Christi asseclas numerari.

Teipsum ergò in illa sancta, sed laboriosa Dei præsentia fideliter & suaviter exerce ꟸ & spera te Deo largiente aliquando degustaturum

illam primam præsentiam quam desideras: sicuti accidit Jacob in nuptiis Rachel, quando diu laboraveris sicut fidelis ille Patriarcha.

At adhuc de arcano Dei ergà animas, quæ illius totæ sunt, regimine admonendus es, idest quæ, quidquid amori ejus oppositum est, ex animo detestantur: & student semper proficere in praxi eorum quæ ei placita sunt. Sapientia ergò divina nonnunquam in illis disparere facit sensum ejus præsentiæ; relicto tantùm in voluntate ingenti illius desiderio. At eclipsis illa remedium eis est, correctivum, & antidotum: ex quo tres optimi nascuntur effectus.

1. Nausea inutilium conversationum mundi: undè anima illo desiderio affecta se retrahit, sentiendo se quasi ex illis sauciam effectam.

2. Affectus observandi separationem aliquam à mundanis rebus: ut coram solis Dei oculis se sistat & appareat.

3. Circumspectio ad se non diffundendum in vile obsequium ergà creaturas.

Habeto ergò semper Dei præsentiam in voluntate. Omne studium adhibe ut nihil facias quod ei displiceat: & si sensûs illius præsentiæ eclipsim patiaris: indè fideliter colligere stude proventus, quos tibi hìc adnoto. Fructus enim sunt: quos ex isto sui regiminis arcano vult enasci.

Porrò hæc firmiter mente retine ⁋ quando alicui bono operi pro Deo vacamus, & ei operi sedulè peragendo incumbimus: in ejus præsentia ambulamus, quamvis de ejus præsentia nec cogitemus. Ad id mentem tuam debes revocare, quando anxietate aliqua corripitur, quòd dum opus illud perficeres, præsentiæ Dei non sis recordatus ⁋ longè melius est præsentiam Dei actione & opere honorare: quàm cogitatu & affectu.

Affectus incautus ad creaturas magnum familiaritatis præsentiæ Dei acquirendæ impedimentum est. Quantò res ergà quam afficimur innocentior nobis esse videtur: tantò subtiliùs, faciliùs, & vehementiùs ad ei adhærendum trahimur. Diffidentiam nostri amittimus, & vix adhæsionis nostræ qualitatem agnoscimus ⁋ nisi quando tanta est: ut ab ea libertatem nostram ligatam esse sentiamus. Privatio efficit ut dolorem indè nascentem sentiamus: & per hanc agnoscimus, quod sine illa non agnovissemus. Tunc experimento discimus qualiter à puro Dei amore aliena sit quælibet creaturis adhæsio. Ea profectò res est circa quam viri spirituales attenti esse debent & cauti, maximè cum de amicitia spirituali agitur ⁋ sempérque ad mentem hæc Christi verba sunt revocanda: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Res fateor, adeò subtilis est, ut tantùm eâ mensurâ & gradu detegatur ⁋ quibus experimento agnoscitur: quantùm amor privatus subtilis est & astutus ad nos decipiendum & fascinandum. Hoc arcanum in animo reconde ⁋ quia ad crescendum in libertate filiorum Dei multùm tibi

proderit: ex qua nascuntur præsentiæ Dei gratissimus sensus & familiaritas. Hæc sunt quæ pro tempore tibi scribenda esse censeo. Bene vale.

CAPUT V.

De examine conscientiæ.

Ad Cor. cap. 11. HÆc Apostoli verba semper legi cum magna consolatione & veneratione, amice in Christo dilectissime, *si nosipsos dijudicaremus non utique judicaremur*; Inde enim discimus tantam esse ergà nos Dei bonitatem, ut in nostro ponat arbitrio judices esse in propriâ causa; ac proinde judicium in nostram partem trahere, talémque esse ejus æquitatem, ut nolit nos castigare nisi priùs testes contra nos ipsos receperit: & convictos longè minora à nobis exigit, quàm meretur iniquitas nostra. Id autem nobis vult exprimere D. Paulus per verba quæ immediatè sequuntur: *Dum autem judicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Psalm. 118. Hanc etiam divinæ bonitatis praxim optimè noverat David qui dicebat: *feci judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me.* Si Deum præveniamus in condemnatione propria, benignè aget nobiscum ejus misericordia; at si illum cogamus ad procedendum contra nos quasi juridicè: totum perditum erit.

Gratissimè video te flagrare desiderio faciendi super te illud judicium, cui examen conscientiæ pro processu est: contritio pro convictione & judicio; & propositum non peccandi de cætero veræ pœnitentiæ conjunctum, quâ ad crucifigendum hominem animalem propriámque voluntatem ferimur: pro executione justitiæ reputatur. Sed adnitendum est solvere difficultates quæ te inquietant: illúdque tuum desiderium perturbant.

Non satis mihi ex tuis litteris perspicuum est, an in examine conscientiæ, quod ad confessionem ordinatur; an in quotidiano serotino; an verò in eo quod fit circa virtutes: pœna illa tibi contingat. At, ut nihil prætermittam: de singulis pauca verba dicemus.

Radices ex quibus pœnæ in oratione nascuntur: eædem protsus sunt, quæ etiam in conscientiæ examine sollicitudines causant. Quod ergò medetur uni, medetur & alteri. Fatendum tamen causas pœnarum in examine, ut plurimùm ortum habere ab inconsiderantia ferventis animæ, quæ nunquam satis egisse arbitratur; at error ille destruendus est, habendúmque pro certo Deum à nobis non requirere,

nec ei placere subtiliores animi disquisitiones: quia bonus & sincerus est, ejúsque spiritus tricis & ambagibus non delectatur. Ipse cognovit figmentum nostrum ꟸ & dummodo bona fide & absque subtilioribus intuitibus bonam, cordialem, & amorosam mediocritatem in nostra diligentia adhibeamus : his contentus est. Et si id ei sufficit : nobis etiam profectò sufficere debet. Error ille debet etiam destrui per institutionem convenientem.

Illas vidi quæ jam tibi traditæ fuerunt prò examine quod fieri debet ante confessionem Sacramentalem , quibus nihil addendum esse arbitror ꟸ solidæ enim sunt & optimè explicatæ : sed ut statui in quo nunc es, faciliùs possint applicari, hæc tibi adjungam. Examen ergò debet fieri.

Tranquillè & quietè, ad vitandam sollicitudinem & confusionem.

Exactè, ad eliminandam negligentiam.

Et fortiter, ad vitandum scrupulum & desidiam in praxi propositæ emendationis.

Tranquillitas ex persuasione divinæ bonitatis nasci debet & ex spe veniæ ꟸ quódque illi oppositum est, debet imputari aut passioni, aut impatienti tædio, quod ad animum dejiciendum tendit.

Accuratio oriri debet ex dolore offensionis illatæ tam magnæ & amabili Dei bonitati ꟸ & quod ei contrariatur, attribui debet aut cordis duritiæ, aut doloris exiguitati: quæ denotat imbecillitatem animæ in terra reptantis. At accuratio illa eâ bonâ fide observanda est: quam suprà commendavimus.

Porrò fortitudo debet tàm ex amore Dei quam ex nostra in eum fiducia procedere ꟸ & quod ei adversatur: timori servili, & inordinato suiipsius & creaturarum amori imputandum est. Ex necessitate ergò vitandi contraria hîc tibi annotatâ agnoscere potes, quanti momenti sit: ut examini tuo has tres qualitates tranquillitatis, accurationis, & & fortitudinis acquiras & adjungas : alioquin aliquo defectu laboraret.

Quinque tibi notantur defectus, qui in examine subrepunt, súntque.

1. *Inordinatio*, quæ per ordinem observatum corrigitur. Juvat enim ad peccata in memoriam revocanda ꟸ examinare se circà peccata capitalia : deindè circà singula præcepta, & sic de reliquis.

2. *Sollicitudo anxia*, per animi suavitatem & sedationem corrigitur : & per electionem temporis commodi, ad examen lento gradu peragendum.

3. *Adulatio*, quæ prætextus excusationum adinvenit. Hæc emendatur cùm amori nostro privato diffidimus. Hæc enim diffidentia ad cavendas ejusmodi palliationes nos inducit.

4. *Dissimulatio*, quæ à discussione & cognitione multarum rerum oculos retrahit, quas nec condemnare, nec deserere volumus ꟸ Cor-

rigitur per sinceram cordis manifestationem, quod Deum intuetur quasi lumen abscondita tenebrarum penetrans: ab eo illuminari postulat ꝰ & in rebus dubiis consilium perquirit à sapientibus: ne seipsum decipiat.

5. Et *excessus*, quo fit ut nunquam satis perquisitum esse credatur. Hic per documenta & fiduciam emendatur. Nihil ergò ultrà dicemus de examine quod fieri debet pro instituenda & peragenda confessione Sacramentali.

Quoad examen serotinum spectat ꝰ dicamus, peccata mortalia satis per se menti occurrere: &,nisi cor adeò fuerit in peccato obfirmatum, ut omni doloris sensu careat,statim memoriæ adesse. Quoad ea,charissime, toto corde optamus, ut Deus propria manu nos potius interficiat quàm sinat nos in illa incidere.

Peccata venialia voluntaria etiam facilè occurrunt animæ gratitudine erga Deum & reverentia, quam ei debet, ut ejus creatura, vel tenuiter affectæ. At animæ fideli, quæ vero desiderio crescendi in ejus amore occupatur ꝰ quæque mortem præferret cuilibet peccato mortali inculcandum est, ne se nimis angat, neque nimios animi conatus adhibeat ad dignoscendos minutos defectus, qui in diurnos actus irrepserunt: & non nisi per vehementem attentionem & studium detegi possunt. Quia ejusmodi adhibita vis ei inutilis esset ꝰ imò fortè damnum inferret: ejus conscientiam efficiendo nimis teneram & inquietam.

Præcipua dispositio quæ ad examen afferri debet: est verus dolor de offensa Deo illatâ. Dolor ille, sive pœnitentia debet amore & fiduciâ esse repleta: cum generoso proposito, adjuvante ejus gratiâ, se se emendandi.

Si ergò bonâ & æquâ adhibitâ mentis consideratione super actibus suis secundum normam virtuosæ mediocritatis ꝰ agnitisque eis quæ notabiliora videntur, menti nihil amplius occurrat; sistat se, & examen concludat per duas illas dispositiones, pœnitentiæ nempè & propositi emendationis, & tranquillo animo sit. Sæpè enim plerisque piis & fidelibus viris evenit: ut non possint perspicaci illi perquisitioni incumbere. Quod ex duabus rationibus oritur, quarum altera est ad intimam fiduciam propensio ex notione quam fides edocet fiduciæ in Deum habendæ ꝰ quæ fiducia praxi roborata est: undè fit ut voluntate & habitu eam habendi, tantam repugnantiam sentiant ad disquisitiones, quæ sollicitudinis & scrupuli speciem præ se ferunt: ut ad id ferè inhabiles sint. Altera ratio in divinæ Providentiæ dispositione fundatur ꝰ quæ nonnunquam ejusmodi tenebras in illarum animos immittit: ne illùc scrupulus, aut vana delectatio ingrediantur.

Quod ad examen singulare virtutum pertinet ꝰ est quidem praxis egregia quæ æquè inservit animæ ad eam decorandam & defectus

corrigendos : ac ſpeculum capiti ornando cujus adminiculo faciei maculæ deteguntur & veſtes concinnantur. Sed ut illud fiat proficuè; ei etiam cum ſpiritus ſuavitate incumbendum eſt : non cum anxia ſollicitudine. Maximi enim momenti eſt, ut vires animi prudenter diſpenſentur; nec nimius labor ei inferatur : per ſpeculationes & colloquia compoſita. Si enim imprudenter & ſupervacuè fatigetur animus; minùs aptus ex laſſitudine efficietur ad nobis tempore opportuno inſerviendum : & indè etiam non modica damna naſci poſſunt.

Dicamus cum Davide, *fortitudinem meam ad te cuſtodiam quia Deus ſuſceptor meus es :* ídque ad praxim prudenter deducamus. Hic eſt lapis in quem plures piæ perſonæ offendunt, & ſe ipſas decipiunt; ideóque myſterium hoc tibi explicandum eſt : cùm indè præcipua pœnarum tuarum cauſa naſcatur, ſicut ipſe agnoſces ſtatim atque rem tibi aperuero.

Sæpè accidit ut anima fervore ſpiritus ſuccenſa, ac in piis cogitatibus quaſi effuſa fervori ſuo ſe totam permittat, & actus multiplicet extenſione ſermonum in quibus gratiſſimum ſaporem deguſtat; ſed videndo ſe quaſi in repentinum incidere torporem, triſtitiam, ariditatem, & nauſeam : indè attonita remanet & turbata, nec agnoſcit cauſam tam ſubitæ mutationis. Indè etiam in majorem inconſiderantiam facilè labitur : niſi ab eâ per documenta retrahatur. Illum enim langorem tentationi, aut ſocordiæ tribuens; ad utrumque ſuperandum ſe provocat per nova raciocinia, actus, & conatus : at indè in infirmitatem profundiùs immergitur. En quomodo, amice chariſſime, animus ad extrema ſeipſum impellens : ex defectu prudentiæ & directionis notabiliter læditur.

Ejuſmodi ergò fervida & laborans anima, de errore arguenda eſt eique monſtrandum; anxietatis, infirmitatis, & averſionis cauſam ſæpiſſimè oriri ex nimia ſibi illata fatigatione per ſpeculationes & colloquia : undè fit ut viatorem imitetur, qui ex violentiori inceſſu fatigatus, cogitur humi ſe proſternere.

Animi vires juſtos habent limites, & ſi his benè uti velimus; prudenter & moderatè impendendæ ſunt : ut earum uſus fiat juxtà illius capacitatem; ſenſimque & ſuaviter habitus aſſumatur procedendi à minori ad majus; ita ut etiam quando ex vehementiori contentione fatigatus eſſe dignoſcitur, opus ſit virium ejus recuperationem prudenter per laboris imminutionem & relaxationem procurare. Iſtud itaque inconſiderantiæ ut plurimùm potius imputandum eſt, quàm negligentiæ aut tepori; ex quo etiam datur occaſio inimico animam aliqua tentatione vexandi : quia illam tunc reperit minus habilem ad reſiſtendum, & ad nauſeam ſpiritualium rerum magis diſpoſitam.

Ad quid porrò tot verba & tam vehementes animi contentiones;

cum ſimplex intuitus , ſimplex ad Deum contenius ſufficiat ad perfectum virtutis actum efformandum ; & optimum medium ſit ad eorum adaugendum numerum , ad animi vigorem ſervandum ; illúmque ad laborem ſemper diſpoſitum habendum ?

Si ergò velimus benè imitari Davidem qui Deo dicebat *fortitudinem meam ad te cuſtodiam* ; longioribus ſermonibus & extenſis cogitatibus parcamus : & operibus faciendis ſtudeamus. Illud enim eſt quod Deus expectat à nobis : actus vero internos cum ſuavitate producamus. Eàdem ratione prorsùs debemus comprimere ſuperfluas conſiderationes quas ſibi libenter format animus in his quæ aut deſiderat, aut à quibus refugit. Hæ ſiquidem conſiderationes animum impensè fatigant : paſſiones commovent ; rationis judicium obnubilant: & animæ pacem perturbant.

Per illas conſiderationes intelligo eas animi contentiones quæ deliberatè fiunt circà præterita, aut circà futura abſque neceſſitate ; & ſuperfluas nomino ; quando fiunt circà ea quæ ſufficienter noſcimus, aut quæ à nobis ulterius noſci inutile eſt : aut circa ea quæ nobis occulta ſunt. Quando enim res aliqua à nobis eſt cognita quantum poſſibile eſt , aut expedit ; eique ſtudium noſtrum pro poſſe adhibitum eſt, aut peracta eſt abſque remedio ; ad quid utile eſt animum per ejuſmodi conſiderationes vexare ? Ad nihil aliud quàm ad vires illius conſumendas & inſtabilitatem producendam ; quia inter tot cogitatus , quem eligat & ſequatur prorsùs ignorat : & indè amplius cruciatur.

In orationis exercitio id tibi obſervandum notavimus ; ut quando aliqua veritas , ſimplici intellectus apprehenſione qui uno intuitu illam vidit , concepta eſt , vel per conſiderationem detecta cum intima mentis convictione : ſtatim ſiſtenda eſt conſideratio & locus dandus affectibus voluntatis. Idem obſervari debet in examine ubi colloquium nimis extentum affectus ſæpè extinguit : voluntatémque poſt inutiles animi labores in ariditate relinquit.

Hæc deceptio pleriſque non modica damna intulit ; & ideò ab ea cavendum eſt : tùm in virtutum examine , tùm in quibuſcumque ſpiritualibus exercitiis. Tibi tandem ipſi applica quæcumque hìc diximus ; & ſpero , Deo juvante, tuas indè pœnas diſſipandas : quod animitùs deſidero. Benè valè , nec deſinas pro me orare.



CAPITULUM SEXTUM.

De Oratione interna & modo illam exercendi: qui cujuscumque status & conditionis personis conveniat & facilis sit.

CUm Orationis exercitium nobis à Christo præ cæteris commendatum sit: de quo etiam in se ipso nobis speciale voluit præbere exemplum pernoctando in Oratione Dei: ideò quilibet Christianus debet pro certo habere nihil sibi esse magis necessarium. At qui vitam Religiosam professi sunt: ac militiam illam spiritualem susceperunt, in qua agitur de bello ferè continuo & implacabili inter eos, & mundum, diabolum, & carnem inito; hi, inquam, Orationem considerare debent quasi præcipua arma quibus hostes impugnare possunt: & sine quibus in magno versarentur periculo, vel recipiendorum vulnerum, aut oppressionis sufferendæ, aut sub jugum hostium deveniendi.

Nulla est externa occupatio, quæ debeat Orationis praxim impedire aut excludere; imò cùm sit optimum medium ad nos in interiori homine corroborandos: quò magis urget necessitas vacandi externis quæ facilè animum dissipant, eò ampliùs Oratione utendum est, ut indè homo interior fiat fortior & vegetior. Ne quis ergò maximè Nostrûm careat præceptis quibus ejus usum & praxim facilè addiscat, & exerceat; nec se incapacem dicat capiendi ea quæ in amplis libris de Oratione instituenda scripta sunt: essentialium quasi synopsim in hoc tractatu eis tradere aggressi sumus; in qua breviori quo potuimus modo, quasi substantiam præcipuorum documentorum quæ circa Orationis usum assignari possunt, complexi sumus: & ad quinque puncta sive capita redegimus, additis quibusdam generalibus monitis, ut indè efformetur animus ad dispositiones & selectum, quibus opus habet in mentalis Orationis exercitio sapienter suscipiendo & adimplendo.

Primum punctum.

MUlti magna sibi fingunt mysteria in Orationis mentalis exercitio. Alij putant eam solis à consortio mundi & hominum segregatis esse possibilem; alij animum in variis Lectionibus involuunt, putantes eam esse quasi artem cujus semel assumpta secretiori notitiâ: de ea postmodum ad libitum disponitur. At tùm hi, tùm illi falluntur;

quia nihil Oratione facilius, nihil quod à quibuslibet personis fieri non possit: nihil tandem quod sit ab omni artificio magis dissitum.

Ex ejusmodi errore, sive ignorantia nascitur inconsiderantia ; & ex inconsiderantia nausea : quam abigere conandum est per institutionem & documenta. Quæ quidem eò meliora sunt, & magis proficua, quo breviora & lucidiora. Quia prolixi sermones ad id plerumque valent ut animum hac in re fatigent & lassent ; ad quam plus praxi quàm sermone opus est : minúsque per hunc, quam per illam proficitur.

Pro fundamento ergò primum constituendum est Orationem non esse rem quæ per industriam humanam possit benè perfici ; testante enim Apostolo Paulo ad Rom. 8. *Orare, sicut oportet, nescimus* : nec unquam sciemus nisi à Spiritu Sancto edoceamur.

Meditationis gratia, ut ait D. Franciscus Salesius nullâ humanâ potest acquiri industriâ ; sed cum Deo placet, illam concedit animabus humilibus quæ coram eo se sistere perseverant, cum intentione ei dicendi ex corde quidquid melius poterunt: se de cætero Providentiæ, ejus beneplacito totaliter committentes. Per illam autem meditationis gratiam intelligenda est facilitas mentem ad Deum elevandi ; ei se conjungendi, divina effata sæpius animo voluendi ; bonos affectus concipiendi, illósque in conspectu majestatis ejus effundendi: per affectus & verba ex abundantia cordis prolata..

Hoc ergò posito in promptu est intueri & concludere quantus sit error eorum qui cœca præsumptione præoccupati ; volunt Orationi se applicare & incumbere: ac si de opere manuali ageretur quod vi & labore tantummodò potest perfici. Torquent animum, seséque exagitant: & tandem obtuso sibi capite absque ullo profectu, in quemdam Orationis horrorem incidunt: qui usque ad integram illius nauseam pertingit. Tantum abest, ut per ejusmodi anxietates & pressuras in Orationis exercitio proficiant: ut etiam illud penitus fastidiant & dimittant. Illæ siquidem oppositæ sunt dispositionibus ad proficiendum necessariis ; nempè tranquillitati, mentis lenitati, & suavi agendi modo: quæ ex inopiæ nostræ agnitione & vera humilitate nascuntur. Enimverò si veritatem benè agnoscamus & persuasum habeamus nos insufficientes esse ad orandum sicut oportet, nisi à Spiritu sancto edoceamur ; pervium nobis erit anxietatem illam & violentos conatus esse prorsus inutiles: & totum rei cardinem in hoc verti, ut cum fiducia constituamus nos in Dei præsentia sine ulla successivi adhærentia ; ibíque cum magna humilitate perstemus: affectus nostros & necessitates divinæ ejus majestati proponendo & exponendo cum mentis tranquillitate & meliori quo possumus modo. Ausculta quid de hac re sentiat S. Franciscus Salesius Epist. 34. libri 2. Epistolarum.

» Sollicitudo, inquit, quæ animas in oratione cruciat, sit conjuncta
» vehementi desiderio inveniendi aliquod objectum quod animum sistat

& satiet ;

& satiet ; sola sufficit ad impediendum ne inveniatur quod quæritur ; «
centies oculi & manus rem obviam pertransibunt, quæ quasi invisibilis «
fit : quando cum nimia aviditate & ardore quæritur. Ex hoc autem «
ardore vano & inutili oriri tantùm potest mentis lassitudo : ex qua «
nascuntur remissio & stupor animæ. Multùm lucratur qui anxiam illam «
festinationem devitat. Nam inter devotionis & veræ virtutis prodi- «
tores primas tenet. Fingit nos ad bonum accendere & provocare ; «
sed tantùm ut in teporem nos dejiciat : incitat ad currendum ; sed ut «
impingamus : & ideò in quibuslibet occasionibus, sed maximè in Ora- «
tione ab ea cavendum est. Ut autem ad id præstandum juveris ; me- «
mento gratias & effectus Orationis non esse aquas terrenas, sed cæ- «
lestes : nec ideò quocumque conatu nos posse illas accersere. Quam- «
vis verissimum sit ad eas obtinendas nos optimè disponi, si curam «
adhibeamus, quæ quidem magna sit, sed humilis & tranquilla. Cor «
tamen versus cælum tenendum est : ejúsque ros sanctus expectandus. «

Secundum punctum.

IN orando corpus in eo situ debet constitui qui decens sit & modestus, sed non quasi coactus ; id est rejicienda sunt ea undè nimis fatigaretur : ut animus liberior existat. Sic & anima suum situm habere debet ; & dum ad Deum orandum accedit : secum Fidem, Spem & Charitatem afferre, quibus constat ejus situs decentia.

Fide persuasum habere debet Deum ubique esse, & omnia nosse ; & ideò illum optimè scire quibus anima indigeat, antequam petat ; sed à Dei Providentia quæ potuisset nostris necessitatibus absque ulla prævia petitione providere, constitutum esse ut à nobis in Oratione ei exponerentur & peterentur : sicque debita ei subjectio exhiberetur.

Spe debet anima firmiter, constantérque stare in sua fiducia recipiendi à Deo quælibet auxilia necessaria ad dirigendos actus suos in hac mortali vita secundum legem divinam, & ad vitam æternam obtinendam ; non quod ejus ea bona meritis debeantur : sed quia Dei bonitas ei promisit ; quæ æquè fidelis est in promissis, ac certissima in verbis : ejúsque veritas ab omni mendacij specie abhorret.

Charitate verò ; pro certo & indubitato habere debet pia anima se à Deo diligi Charitate perpetuâ quæ nunquam, nisi eo quasi invito, minuetur ; séque ad eum elevare, ac in eum totam immergere : ut gratias hauriat ad leges ejus adimplendas ; ad cavendam infelicissimam ab eo separationem : & ad semper proficiendum, atque in ejus amoris perfectione crescendum. In his tribus sua omnia desideria absolutè constituenda sunt, & continenda : nec quævis alia, nisi sub divinæ beneplacitò voluntatis admittenda.

Ut autem hunc animæ situm, quem in Oratione observare debet,

faciliùs comprehendas ; in eo debet eſſe ſtatu conſtituta : ut tribus his propoſitionibus, ſive interrogationibus reſpondere parata ſit in hunc qui ſequitur modum. Quò pergis anima? ad ſiſtendum me coram Deo, quem hic præſentiorem eſſe credo quam me : qui novit quibus indigeo, ſed ea vult a me poſtulari. Quid ſperas ab eo? Quodlib et auxilium mihi neceſſarium ut ei placeam : & ad illum perveniam.

Quid tandem tibi vis? nihil aliud quam ejus timorem & amorem: æternámque cum eo unionem.

Si ſentiamus conſcientiam noſtram ita ad illa interrogata reſpondere paratam : tunc anima noſtra in eo quem deſideramus ſitu coram Deo conſtituta eſt. At notandum non formandam ſibi eſſe alicujus rei corporalis ideam ad repræſentandum Deum quaſi in imagine ; imò ſi quid ejuſmodi per ſeipſum in imaginativa facultate obveniat : illud ſenſim à ſe rejiciendum eſt, quaſi Deo non conveniens, quippè qui puriſſimus ſpiritus ſit. Id tamen leniter & paulatim agendum, ne in anxietatem incidatur ; quia conſtat animum objectis tantùm materialibus ac ſenſibilibus aſſuetum, in ſtuporem facilè decidere ſi repentè ab idearum uſu avellatur : nec quidquam ſenſibile in ſuo concipiendi modo ei permittatur. At quando ad eum à materia mentem abſtrahendi modum ſuaviter efformatus fuerit ; tunc agnoſcet & ſentiet nihil convenientius eſſe animæ ſtatui & appetitui : indéque non modicam conſolationem hauriet.

Ad hanc praxim ſibi aſſumendam multùm juvare poteſt ſequens exemplum. Quando ſtas in aliquo cubiculo, ſcíſque amicum tuum ibi etiam eſſe & latere ſub aulæis ; numquid opus tibi eſt effigiem ejus in imaginatione efformare, ut cum eo loquaris? minimè certè: imò ſic agere inutiliſſimum & imprudentiſſimum judicares. Dicis ergò ei quidquid lubet ; nec ullam ideam tibi efformas vultûs ejus : ſufficit enim tibi certiſſimè ſcire quod præſens ſit, téque audiat. Idem ergà Deum facito ; fiducialiter eum alloquere, audit enim te : nec alibi eum quære, quam in medio cordis tui, cum certo certius ibi ſit. Deum in intimo cordis quærere, & ad illum ibi inveniendum ſe ſe aſſuefacere ; illum per fidem & non per ſpecies effictas intueri ; fiducialiter cum eo agere & loqui quaſi in medio cordis exiſtente, nec indè egredi ut alibi quæratur ; media ſunt & quidem optima ad diſcendum modum ambulandi in ſpiritu, ut ad veritatem perveniatur : præſentiámque Dei facilem & familiarem ſibi acquirendi. Media inquam optima ſunt ad tuo utendum animo ſecundum rectæ rationis ordinem ; ad compeſcendam vim imaginativam ex cujus immoderato uſu variæ tempeſtates oriuntur : & ad devitandas varias & inutiles animi fatigationes. Media denique ſunt ad uſum ſibi aſſumendum frequentes ad Deum mentis anhelitus ducendi ; virtutúmque actus eliciendi eadem facilitate quâ oculus clauditur : & tùm demùm ad cordis dominium quantùm poſſibile eſt, in hac vitâ obtinendum.

Quod ad Sacram Christi humanitatem spectat, in qua reperitur verum corpus quod ideis nostris subjacet, his quidem uti potes; at satius est sensim etiam habitum tibi assumere oculis fidei vitæ & passionis ejus mysteria contemplandi: quàm tùm personæ ejus, tùm actuum imagines efformare.

Quidquid imaginationem occupat quasi per transennam intuendum est, servatâ tamen in hoc libertate spiritûs; nec rejecto attractu quo incipientes feruntur: ad sibi repræsentandam sacram Salvatoris humanitatem. His ergò ideis liberè & ingenuè uti possunt; at imagines indè formatæ simplices esse debent, id est multiplicitate circumstantiarum destitutæ: & iis uti quasi acu debent, ut sanctarum affectionum filum in animam introducant, ut loquitur D. Franciscus Salesius.

Tertium punctum.

DEinde ad colloquendum Deo accedendum est omni prorsus neglectâ verborum compositione, aut ordine; id enim bonis affectibus adversatur: & ad studium potius pertinet quam ad sinceram cordis coram Deo se se sicut aquam effundentis collocutionem. Alloquium autem illud inchoandum est

1. A proprij nihili recognitione, & Majestatis Divinæ adoratione; quam ita sanctam & tremendam existimamus: ut ante illius conspectum stare non auderemus, nisi id nobis pro singulari sua erga nos benignitate permitteret.

2. A sincera peccatorum contritione.

3. Ab intentione uniendi Orationem nostram Christi Orationibus; quámque velle perficere declarabimus: quia ea est Dei voluntas, ut ita faciamus.

Postmodum alicujus capitis ex pio quodam meditationum libro desumpti speculationem aggredimur; expanso etiam coram se, si lubet, ipso libro; quod præsertim incipientibus permitti potest.

Modus autem se gerendi in hac cum Deo sermocinatione melius ex familiari exemplo: quam ex verborum congerie percipietur. Qualiter, amabo, gerit se mendicus cujus egestati accedunt vulnera, quíque caret ea eloquentia, quâ movere principem posset ad erogandam sibi eleemosynam? profectò ad illius pedes provoluitur; vulnera exponit: & quidquid in linguam venit ad Principis commiserationem in se excitandam profert. Quod si verba illi deficiant; vulnera exhibere non cessat & coram eo importunè & obstinato animo stare: donec Princeps oculos tandem in illum conjiciat. Ubi autem se videt à Principe conspici; suam inopiam, miseriámque cum novo doloris motu tursùs ei exponit: sed accepto in eleemosynam nummo, lætitiâ exultans in

gratiarum actiones erumpit, nullo verborum delectu aut ſtudio, ſed ex mera cordis ſui abundantia.

Tres in hoc exemplo gradus habes, quibus utique Deus ſe piis animabus communicat. Quandoque amat illas videre coram ſe proſtratas nullo in eas injecto intuitu, aut verbo prolato: ut earum exerceat, probétque humilitatem & patientiam. Nonnunquam verò eas quidem reſpicit, ſed ſtatim oculos avertit; ut earum ſubmiſſionem videat in ſufferenda radij hujus cæleſtis privatione: qui cordis quidem intima penetraverat, at ſubito evanuit, ut eas revocaret ad fidelitatis probationem. Aliquando etiam intuetur & loquitur; híncque animæ verè Deum amanti dicere cum Cantici ſponſa licet: *anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.*

Devota igitur anima egenum illum imitetur; mente ſe abjiciat ad pedes Domini ulceribus quidem plenam, quaſi alterum Lazarum: ſed deſiderio flagrantem micas colligendi de menſa Domini ſui cadentes. Miſerias ei ſuas detegat, & neceſſitates exponat; ac deinde viva fide agnoſcens à Deo melius ſciri, quàm à ſeipſa quid ſibi magis expediat: ſpe perſuaſiſſimum ei ſit illud velle Deum concedere. Quod ſi verba deficiant; cum humilitate & patientia in illius præſentia perſeveret: & identidem pulſet petendo cum fiducia miſericordiam, & gratiam in auxilio opportuno. Sic Jeſus Chriſtus Dominus & Magiſter noſter in horto oravit; & ejus animâ triſti uſque ad mortem exiſtente, tempus tranſegit ſermonem eumdem replicans: ut inde nobis exemplum daret ſummiſſionis & patientiæ, doceretque qualiter nos gerere coram Deo debeamus, quando in verborum & affectionum ariditate verſamur.

Si à Deo tandem benignè conſpectus ſentias affectum tuum ad internam collocutionem excitari; iterum repeto, noli verborum elegantiam ſtudioſiùs exquirere: ſed cordis affectiones, prout occurrent, ea ingenuitate, fiducia, & ſinceritate deprome, quâ parvulus cùm matrem affatur; quique ejus in ſinum ſe projiciens, cùm verba illi deſunt: plura blanditiis ſuis exprimit, quam potuiſſet eloquio. Sic enim cum magna reverentia nos debemus in Dei ſinum projicere, ut ibi quieſcamus; curas noſtras ac timores deponamus: & petitiones noſtras peramanter reïteremus. Aſſiduis enim petitionibus noſtris delectatur, amátque nos videre de paterno ejus in nos amore certiſſimos.

Noſſe procul dubio cupies quonam modo te exercere debeas in vitæ, Paſſionis, & mortis Filij Dei conſideratione: diverſóſque circa eas affectus producere. At iterum exemplo trito & vulgari utar: ut illud tibi inſinuem. Si amicum haberes magnum Principem, cúmque è prælio videres poſt reportatam victoriam redeuntem; audiſſéſque atroces contumelias toleràſſe, ac diſſimulatâ dignitate paſſum eſſe virorum noviſſimum reputari: & certò ſcires hæc omnia ab eo ſuſcepta &

tolerata fuiſſe, ut te à miſeria & captivitate redimeret. Quid diceres obviam occurrens, de victoria congratulaturus, & pro collatis in te tot beneficiis memorem te præſtiturus? Verbis certè honorificis, urbaniſſimiſque illum ſalutares; exclamareſque te non poſſe ſatis admirari ejus Charitatem, fortitudinem, prudentiam, præclara facinora: ſingularémque illius erga te benignitatem. Ipſimet ſigillatim recenſeres ejus heroïca facta; & poſt redditas acceptorum ab illo beneficiorum gratiarum actiones: adjiceres te non minora ab ejus munificentia ſperaturum. Admiſſarum in eum culparum, quæ laborum ejus ac dolorum cauſæ extitêre, pœnitentiâ confectum te exhiberes; aſſereréſque te, quamdiù vixeris, omnem obſervantiam, amorem, obſequium: & cætera quæ clientem ſubjectiſſimum ſpectant, illi fideliter impenſurum.

Si verba loquenti deficerent; tui tamen affectus non minus integri in corde ac voluntate exiſterent: ac ſi verbis exprimerentur. Ac benignus ille Princeps ex vultu geſtúque ſatis conjiceret: te plus velle, quam poſſe dicere. At Deus cui manifeſta ſunt cordis tui arcana; ibi intuetur, quid ab eo velis ac deſideres: nec ad id cognoſcendum verbis tuis indiget. Exemplum hoc vitæ & mortis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti myſteriis adhibe: illúdque in praxim redige.

Eodem prorſus modo te habeas velim in ejuſdem Reſurrectionis Myſteriis, & aliis, quæ illam ſubſecuta ſunt. Perge ad illum, qemadmodum accederes ad magnum illum principem, quem audiſſes in throno regio ſediſſe; tuum de illius ad regiam dignitatem provectione gaudium exhibe; congratulare; tutelam ejus poſtula; indigentiam expone; infinitis cum laudibus, ac præconiis extolle: certúmque illum effice te in eo ſolo ſpes omnes tuas collocaturum. Quando vero illum, ut judicem tuum conſiderabis; age, quid ageres, dic quid judici diceres, qui cauſam haberet judicandam, in qua de tua fortuna, vitáque ageretur: ut illum tibi propitium & clementem redderes.

Meditando actiones & gloriam Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ, ſive Sanctorum; age, ac ſi viſitandi tibi eſſent magni Principes amicitiâ magnâ tibi conjuncti, ut officia tua eis exhiberes; ad congratulandum illis de gloria acquiſita: & ad petendum eorum protectionem & benevolentiæ continuationem. Ad neceſſitates tuas eis exponendas; & orandum, ut apud Regem fautores tui exiſtant: ad eis denique dicendum quidquid affectus ſuggereret. Si verò in verbis deficias; ſecura ſis quod in Deo quaſi in ſpeculo videant: quidquid velles & optares eis dicere.

Nulla alia quærenda eſt aut fingenda ratio colloquij inſtituendi & ſe occupandi in oratione. Hanc ergò aſſume ideam: illámque bona fide ſequere.

Indè facilè dignoſci poteſt qualiter utendum ſit methodis illis à Patribus ſpiritualibus traditis ad inſtituendam & fovendam meditatio-

nem : affectúsque formandos circa res quæ in ea considerantur. Id agendum est in spiritu lenitatis, & absque anxia festinatione, hisque methodis utendum est : sed absque obstinata adhæsione. Si Deus attrahat te ad affectus statim atque in ejus præsentia constitutus fueris ; puncto meditationis à te proposito non est insistendum : sed affectui cedendum, qui quò simplicior & pacatior, eò melior erit. Agendum est simpliciter, bona fide, & absque artificio, ad standum coram Deo, ad eum diligendum, séque ei uniendum ; nam ut asserit noster S. Franciscus Salesius : verus amor vix ullam sequi methodum novit.

Si verò anima se siccam in considerationibus reperiat animi dejectionem debet à se expellere, sicut & anxietatem ; & cum simplicitate coram Deo exposita manere : ut ibi exercitium faciat egeni illius ulcerati, de quo suprà diximus. Unâ vice exempli gratiâ ita loquetur. Nosti Domine quis & qualis sim. Optarem quidem tecum habere desideratum colloquium ; at id non mereor : propriáque stupiditate edoceor quàm infirma sim & animum ineptum habeam ad se uniendum tibi. Fiat sanctissima voluntas tua ; sufficit mihi : si sanctissimi Nominis tui timorem pariter & amorem facias me habere perpetuum. Ejusmodi actu producto revocandus est animus ad considerationem alicujus puncti meditationis : sed tranquillè, suaviter, & absque ulla impatientia.

Quod si mens paupercula se denuò aridam sentiat, vel distractam sicut prius ; idem egeni exercitium identidem repetat, aliquas aspirationes producendo prout devotio suggesserit : donec tempus, meditationi impendendum sit elapsum, quod ad minus per semihoram mane debet durare. At Oratio semper terminanda est per intimas gratiarum actiones pro universis beneficiis à Deo receptis tam in genere quàm in particulari ; per recensionem omnium propositorum bonorum & petitionum tam pro spiritualibus quam pro temporalibus : & tùm demùm per recommendationem amicorum & animarum purgatorij, quarum semper debes esse memor in Orationibus.

Sed ut melius faciliúsque ad hanc praxim te valeas efformare ; nunquam obliviscaris tecum ad Orationem deferre hanc cogitationem, ut docet idem S. Franciscus Salesius : nempè ex duabus præcipuis rationibus animam ad Deum accedere & in ejus præsentia se collocare ; quarum prima est ut Deo honor & subjectio debita exhibeantur : & ad id non est opus ut ei loquaris, nec ille tibi. Enimvero debitum illud redditur cognoscendo eum esse Deum nostrum ; nos verò ejus creaturas infirmas esse : & coram eo prostratos in spiritu manendo, ejúsque jussa expectando.

Quot numerantur aulici qui centies coram Rege apparent non ut eum alloquantur, aut audiant ; sed simpliciter ut ab eo videantur : & per assiduitatem suam testentur se fideles ejus servos esse. Finis autem

iste se coram Deo sistendi, etiam præcisè consideratus ad exhibendam submissionem voluntatis nostræ & adhæsionem ejus famulatui ; præcellens est, sanctus & purus : ac proindè magnæ virtutis.

Altera verò ratio cur ad Deum accedamus, est, ut ei loquamur illúmque loquentem audiamus per inspirationes & motus interiores in anima excitatos ; quod communiter cum affluentibus deliciis fieri solet : quia maximum bonum est tantum Dominum alloqui, qui quoties respondet mille suavitates, ac pretiosissimos liquores immittit, ex quibus anima ingenti suavitate afficitur.

Porrò alterum ex his duobus bonis, nobis in Oratione deesse non potest. Si Dominum nostrum alloqui valeamus : loquamur, laudemus eum, rogemus, auscultemus. Si loqui non valeamus ; quasi homines raucedine capti in aula ejus nihilominus maneamus ; antè eum procedamus ; ibi nos videbit : in patientia nostra sibi complacebit, & silentio nostro favebit. At aliquando eveniet ut arrepta manu nos secum ducat in hortum Orationis : ibique secum per areolas aromatum nos deambulare faciat. Sed etsi id nunquam nobis concederet ; contenti esse debemus officij nostri in illum sequendo executione : & pro maximo honore & favore habendum est, quod coram se nos stare permittat. Posita hac veritate non anxiè nos geremus ad ei loquendum ; cum altera vicissitudo standi coram eo, ejúsque fruendi consortio nobis deesse non possit : quæ non minus utilis, imò multò fortè utilior est, quamvis palato animæ minus sapida sit. Accedens ergò ad Deum loquere ei si potes ; ita ibi ejus vultui te objice, desideria cordis tui ei exprime, sicut suprà diximus : nec de alia re sis sollicitus, aut anxius.

Hîc habes quidquid à te exercendum est cum fiducia & perseverantia ; ut experiaris quod Deus solet operari in anima quæ ita in conspectu ejus se gerit : cujus exemplum habemus in S. Teresiâ & tot aliis piis animabus, quæ tam frequenter id experimento probatum habent. Hîc aliquid tibi extensius posset proferri circa mentis ariditates quibus mirabilis Dei sapientia quasi artificiosè utitur ; ut in suum dominium corda adducat, subjiciat & reformet : sed de hac re alibi fusiùs loquemur.

Quartum punctum.

SI affectus producendo, animus in varias evagationes ; superfluas aut malas, vanas aut ridiculas cogitationes repente incidat : nullo modo inde movearis, aut in animi anxietates labaris. Id enim ex naturali infirmitate, aut humani animi inconstantia procedit ; quibus adjungitur dæmonum malitia, ut nos in turbationem impellat, aut in impatientiam conjiciat ex tot ineptiarum visu, quibus tunc scatet vis

imaginativa : vel ad pias exercitationes per animi dejectionem deferendas movear. In hoc statu constituti in memoriam reducere debemus quid rusticis eveniat, qui ad urbem heros suos invisuri accedentes; post pauca verba satis ordinatè prolata statim turbantur : nec amplius nôrunt quid proferant. Illorum heri non inde tamen eis irascuntur; imò verò ad risum moventur : & villaticum, agrestémque illorum loquendi modum audientes se oblectant. Sic nec Deus animæ irascitur suas in Oratione evagationes invitè sustinenti; imò ad compassionem movetur, eíque placet illo in conflictu ipsam videre : dummodo inde ad mansuetudinem festinet; & ad humiliandum se coram Deo ex propriæ miseriæ intuitu feratur : studeátque animum ad Deum pro virili reducere, atque recolligere.

Audi de hac re quid censeat Autor libri de Imitatione. *Non ergò,* Lib. 3. cap. 6. num. 3. inquit, *te conturbent aliena fantasiæ de quacumque materia ingestæ; forte serva propositum & intentionem rectam ad Deum; non est illusio quòd aliquando in excessum rapiaris : & statim ad solitas ineptias revertaris. Illas enim magis invitè pateris, quam agis; & quamdiu displicent ac reniteris : meritum est & non perditio.*

Si ergò centies redeat mentis evagatio, non plus movearis centesima vice quam prima; & quando id animadverteris, te coram Deo constitue ac si non fueris evagatus : nec evagationis materiam animo voluta. Quando pungimur à muscis, sufficit nobis illas manu abigere; nec post eas currimus : ut enecemus. Et si unâ expulsâ, alia succedat; eodem modo abigimus : nec frequentem illarum reditum miramur. Idem agendum est tibi circa evagationes tuas, nec post eas currendum est : tempus enim inutiliter tereres; id est nullo modo mente versandæ sunt, ut inde tibi objurgationes & improperia, interiotésque lamentationes componas, quæ cordis impatientiam manifestant : nec etiam considerationes sunt instituendæ, ut illas evagationes suffoces, aut penitus à te removeas; sic enim agere : quasi post muscas currere est. Sinamus eas volitare; ac interim ad Deum impigri pergamus : & absque inutili mora ista pertranseamus. Nihil refert, inquit, S. Teresia, si molendini crepitaculum edat strepitum : dummodo molendinum molere non desistat. Hoc est nihil referre si imaginatio nostra perstrepat, dummodo voluntas in suo centro, quod Deus est, semper voluatur; ipsi adhæreat : & ab eo præscripta exequatur.

Potest autem sublevari animus quando se cogitationum multitudine quasi obrutum videt; suúmque ex aliqua idea & exemplis à materialibus rebus desumptis mœrorem temperare : quale est illud. Cùm homo medio in campo repentinâ grandine occupatur; quidquid agat, aut cogitet, non potest ab ea se tueri : cùm nullus sit locus obvius, in quem se queat recipere. Statuat igitur apud se necesse est illam cadentem patienter excipere; cum frustrà se se agitaret, tempúsque

malè

malè insumeret sibimet improperando : quod si hoc vel illud egisset, in tale incommodum non incurrisset. Ac illi expedit magis mentem suam ad Deum elevare ! atque in patientiæ tranquillitate se le continendo, illum in operibus ejus benedicere : quàm ejusmodi querimoniis se se permittere. Hæc comparatio apprimè convenit tuis in orando mentis evagationibus : quia quasi grando decidunt. At si per totum Orationis tempus nihil ageres aliud quam cor tuum dulciter resumere, ac coram Deo illud redintegrare ! etiamsi ab eo paulo post recederet : tempus tuum bene insumptum esset, Deóque gratissimum exercitium perageres.

Quintum & ultimum punctum.

POrrò ad dignoscendam Orationis exercitæ bonitatem : requiritur ut fructus ex ea nascantur. Arbor enim est à qua inseparabiles sunt : ac proinde necesse est ut illam mansuetudo, humilitas, aliaque virtutes comitentur, quæ foras erumpant : & per voluntatis Dei adimpletionem in cujuscumque vocatione manifestentur. Inde conclude, quod etsi in Oratione sublimes mentis elevationes haberes ! imò quasi in tertium cælum apereris : sed extra illam passionibus subditus, in proprio sensu obstinatus, frigidus & negligens in virtutibus, ut par est, æstimandis colendisque existeres ! contemplationes tuæ pro meris illusionibus : & extases pro phantasmatibus habendæ essent. E contra verò si in Oratione siccus sis, quasi lignum, & sapore ac sensibili affectu privatus ! nihilominus tamen in solidarum virtutum æstimatione & praxi proficias : securus esto de Orationis tuæ bonitate ! & sub optimi ductoris regimine quietus esto : qui in sacco tuo pecuniam abscondit, sicut olim Domûs Joseph dispensator ejus Fratribus fecit ! ut gratissimæ deceptionis occasionem subministret : cum te videris sic amicè deceptum cum magno tui emolumento. Putabas enim triticum te tantummodo portare, cujus pondere fatigatus incedebas ! sed aurum etiam portabas quod cum gaudio reperies : quando hora pastum tuo jumento præbendi advenerit. Si cælestis ille ductor per vias te ducat opertas & tenebrosas ! scit quidem eas esse meliores & securiores pro libertatis usu, quam animæ tuæ semper illæsam servare decrevit : quæ fortè magnis exposita esset periculis si per aliud iter graderetur. Deus scyphum Joseph in tuo sacco abscondit ! idque ignoras : at bono animo esse debes. Id enim fit, ut injectâ in te manu captivum suum efficiat, & convivam in sua mensa ! atque ut per dulcissimam ejus agnitionem gratissimè decipiaris : quemadmodum Benjamin à fratre suo Joseph fuit feliciter & jucundè deceptus.

Objicies ! Quomodo quiescere potero, si solo in virtutibus progressu, bonitas Orationis dignoscatur ? Mihi sæpius videor potius re-

gredi, quam progredi. Numquid præsumptio est, sic bene opinari de suo in virtute profectu? Ad id respondeo voluisse Deum nostras intelligentias, cognitionesque limitibus circumscribere: ne in errorem inducantur. Status ille in quo nos posuit obscuritatis & dubitationis, quid in oculis ejus simus, quantúmque valeamus; idem est ac
Psalm. 17. ille de quo Psalmista ait: *Posuit tenebras latibulum suum.* At inde media nobis ministrat quibus possumus ad illum propiùs accedere; & umbraculum quo protecti abundantiùs & faciliùs ejus gratiæ influxus recipiamus. Maneamus ergò humiliter & absque curiosa inquisitione in eo suspensionis animi statu; in quo dextera excelsi nos collocavit: atque in fiduciæ cuncta nobis necessaria ab ejus bonitate sperantis firmitate permaneamus. Si sentiamus voluntatem nostram ad suorum correctionem defectuum accendi; nulli omninò peccato adhærere; ac magis magísque flagrare fidem Deo servandi desiderio: tranquilli, ac securi vivamus. Illud enim unum est quod à miseris peccatoribus, quales sumus, potest expectari; quorum proprium est peccare, & defectibus scatere.

Sed ut rem paucis concludamus dicendum est: excellentiorem brevi & plurimùm in Oratione proficiendi rationem, animi affectionum esse mortificationem. Si ei studiosè incumbamus; tempus lucrabimur: quod Divina Providentia ad nos in mortificationis praxi promovendos impenderet.

Ecce Synopsim eorum quæ censeo magis esse necessaria ad stabilienda Orationis ritè faciendæ fundamenta; quæ debitam in praxim deducta: ad subliniores notitias mentem elevant. Verum hæ notitiæ nunquam omninò puræ, certæque futuræ sunt: nisi ex experimentis assumptæ, quibus solet Deus exercere ac probare animas plus agere, quam scire desiderantes.

Multa ex professo taceo, quæ animas in Orationis exercitio provectiores spectant; ne tironum mentes ex sermonum & documentorum, quæ quò breviora, eò meliora hac in re censenda sunt: multiplicitate nimiùm conturbentur. Illa nihilominus inseram quibusdam, quæ tibi mox traditurus sum, monitis; ut varias in classes sic distributa: fiant tibi perspicaciora. Multum enim refert in spiritualibus collationibus omnem humanæ menti subtrahere perturbationis, ac sollicitudinis materiam: cum satis aliunde prona sit ad propriis se se imaginationibus intricandam.

Quædam monita ad Orationis praxim spectantia; quorum postrema ad eos maximè pertinent: qui in ea provectiores sunt.

1. PRudenter & sobriè intellectûs operationibus utendum est: nec sinendum, ut sibi nimis complaceat suis in speculationibus; qui-

bus libenter adhæret: quando illi cognitionis alicujus janua in Oratione reserata est. Locus igitur voluntatis, cùm illam excitatam sentimus, affectibus solummodo dandus est: cùm cognoscere nobis non expediat, nisi ad voluntatis actum eliciendum. In his enim speculationibus non modicè solet intellectus oblectari: quod in primis cavendum est. Speculationi ex vana suimet oblectatione insistere; nativæ mentis curiositati indulgere est: studere est potius, quam orare. In eâ verò diutiùs quam expedit, morari defectus est planè corrigendus. Pro certo enim habendum est, quòd postquam aliqua veritate quæ nostrum affectum excitavit convicti fuimus, ejus nihilominus considerationem prosequimur; similes omnino sumus illi, qui accensâ ad carbones candelâ: illos sufflare non desineret. Sic enim lumen in mentem ad illuminandos & accendendos illius affectus diffusum extingueremus. Non igitur permittamus plus aquæ, quàm necesse est per intellectus tubum fluere; & statim atque vult illa per voluntatis affectum fluere, tubum intellectûs obstruamus: ut tota in voluntatem influat.

Multi bona proposita in Oratione suscepta ex mera negligentia non adimplent; quia sibi non satis attendunt, nec vi sibi aliquatenus inferendæ student: & propositorum suorum facile obliviscuntur. Alij verò quarumdam virtutum desiderio adeò flagrant: ut inquietæ ex eârum obtinendarum aviditate existant. Firmiter, sive potius obstinatè in Oratione proponunt illas fideliter factitandi; at primâ datâ occasione succumbunt: ac deinde in tristitiam labuntur. Animo verò paululum resumpto nova proposita mente concipiunt; at sibi ipsis nimiùm confidentes mirabilia se hac vice patraturos pollicentur: at data sicut prius occasione relabuntur. Illorum lapsûs causa, non ex desiderij & veri propositi defectu oritur; sed ex superbia & privato amore, suiipsius præsumptionem ingenerant: unde harum virtutum avidè cupidi sunt non purè propter Deum, sed ex delectatione quam in illis sectantur.

Sic punit illas animas Deus, suis eas desideriis tradens. Attamen plus eis confert utilitatis dum hujusmodi propositorum expletionem impedit: quàm illam ipsis permittendo. Inserviret enim adaugendæ propriæ existimationi, & vanæ illorum gloriæ; cùm è contra infelici hoc successu ad propriæ in bono faciendo impotentiæ: & divini in omnibus auxilij indigentiæ agnitionem deducuntur. Vehemens & anxium desiderium, mœror, impatientia, & nausea certissimè denotant, malum hoc ex illa causa procedere: at huic remedium est.

1. Velle tantummodo virtutem, quia Deo placet; ita ut si nos vellet omni virtute esse destitutos: illius hac in re beneplacito, sicut in aliis libentissimè acquiesceremus.

2. Nostræ infirmitatis convinci ⁊ quæ licet non appareat absente objecto: præsente tamen se se satis manifestat.

3. Nihil apud se statuere nisi ex perfecta in Deum fiducia ⁊ cui pia nostra proposita potius tribuantur, quam menti nostræ, quæ in illa in Deum fiducia ita involui debet: ut suis in propositis vix appareat.

Quando aliquis sic affectus erit, vix aliquid unquam sibi proponet, quod non feliciter exequatur ⁊ ejusque proposita omnia, non solum sine ulla præcipitatione: sed cum suavitate, ac submissione perficientur. Priusquam tamen ad eum perfectionis statum perveniat: in lapsus incidet eò frequentiores, quò magis ab eo nunc remotus est. Nullo modo tamen debet à bono sibi proponendo desistere ⁊ sed viam illam sequatur quam proprius lapsus indigitat: & non modo se impatientiæ ac mœstitiæ ob lapsum non permittat: sed inde coram Deo humilior, erga proximum indulgentior, & sibi ipsi abjectior appareat. Cum enim eò pervenerit: multùm se profecisse intelligat.

Opus est etiam magna prudentiâ & moderatione, ut sua quis proposita non multiplicet ⁊ ex sola enim diversitate, incipientis animus facilè angitur: & in perturbationem conjicitur. Tot proposita non sunt simul facienda, maximè ab incipientibus: ut in iis exequendis minus infideles sint. Proficientes etiam se se debent intra mediocritatis metas continere ⁊ imo sufficere potest generale propositum attendendi Deo & sibi, suísque invigilandi actibus, ut secundum Deum perficiantur: dummodo in hoc proposito adimplendo studeant quotidiè proficere. Quod ultimum utiliùs potest viris timoratis & fervidis nonnunquam consuli: quorum animus in rebus particularibus vehementius occupatur. Quamvis generatim loquendo utilissimum sit quasdam sibi virtutes successivè proponere: circa quas singulare exercitium & examen versetur. Verum ut hac in re omnis inconsiderantia, & sollicitudo vitetur ⁊ hortulanum addecet imitari: qui alicui plantæ excolendæ, cæteris non neglectis, incumbit. Curam habet de omnibus ⁊ attamen huic studiosiùs ac vigilantiùs attendit: donec illâ bono in statu constitutâ, suam industriam ad aliam convertat.

Denique cùm spem in Deo semper & in omnibus firmissimam collocare teneamur ⁊ & ab illius gratia *quotidiè per tempora, per dies, per momenta, per atomos*, ut loquitur Orosius S. Augustini discipulus & coætaneus, *auxilium expectare: sine quo incassum niteremur, & defluerent proposita nostra* ⁊ generale illud propositum Deo & nobis semper & ubique attendendi, omnia complecti videtur: & perfectæ in Deum, nullique in nos habendæ fiduciæ valdè consentaneum est. Sic etiam omnis nostra sollicitudo in Deum projicitur ⁊ & ex laboriosa, non pigra fiducia, præveniens nos in omnibus ejus misericordia imploratur & attrahitur: ut comitetur nos in omnibus atque subsequatur. Hac etiam ratione omnes præsumptionis, sollicitudinis, & anxietatis scopuli vitantur.

Sunt multi qui in formandis suis propositis inconsideratè se habent: & hæc illorum inconsiderantia ex propriæ defectu cognitionis oritur. Res namque in eo perfectionis gradu proponunt: qui ad excessum habita humanæ miseriæ ratione pertingit. Sæpius enim in ejusmodi propositis de re agitur in quam homines tota vitâ peccant; sicuti sunt verba otiosa, præfervidæ animi commotiones, & alia hujusmodi plurima: quæ sic eis cordi sunt, sic exaggerant, ac scrupulosè interpretantur; ut mentis suæ curis & timoribus usquequaque vexatæ habitum lædant; in eosdem, quos verentur, defectus sæpissimè labantur: pluresque peccandi formidine committant, quàm si nihil omninò sibi proposuissent. Unde fit, ut toti dejecti, inordinatique appareant; ut tota illorum agendi ratio fluctuans, sollicitáque sit: ac denique tristitiâ eorum animum exsiccante ad spiritualium nauseam & negligentiam vergunt.

Nihil igitur, quod modum excedat, proponamus; ac contenti simus facere bonâ fide moderata proposita quosdam sigillatim corrigendi defectus, quos in nobis agnoscimus: actusque virtutum meliori, quo poterimus, modo exercendi. Anxiam à nobis sollicitudinem abjiciamus; ac nobis ipsis cum suavi in Deum fiducia invigilemus: ne in istos incidamus excessus qui & virtutum progressui, & naturæ habitudini adversantur. Certè non unico gressu ad montis cacumen, sed pedetentim ascenditur. Accurata & absoluta virtutis alicujus praxis non est unius diei opus; per gradus ad illam pervenitur: & antequam illam attingamus, ibíque firmiter stemus, in varios lapsus incidimus, à quibus in spiritu lenitatis surgendum est.

Vidi pium quemdam hominem qui linguæ suæ moderamen tam acri studio ac cordis affectu susceperat, ne quicquam nisi benè diceret; ut parum abfuerit: quin sibi cerebrum læserit. Tanta erat ejus animi contentio, & cogitationum conflictus; ut semper dubitaret, an rectè, aut plus justo locutus sit: aut si non fuisset aliter loqui convenientius, *&c.* Pugna in illo erat perpetua, quam non modica comitabatur spiritus afflictio; At Deo inspirante temerariam propositi sui intentionem agnovit: ac se se ad suavem in Deum fiduciam recipiens; experimento didicit, quòd jactando curam suam, suúmque desiderium in Dei beneplacito; gradatímque & absque tot anxiis præmeditationibus ambulando cùm bona voluntate nihil aliud agendi, aut dicendi, quàm quod occurrente occasione Deus suggereret; & collocando suam in ejus auxilio fiduciam, magni progressus fierent: cùm è contra anxias illas & laboriosas vias tenendo, nunquam ad optatum finem pertingamus. Ecce qualiter ignorantia amori privato juncta, zelúsque immoderatus animam fatigant; nostro in virtute progressui officiunt: cúmque illam incitare ac solari deberent, dejiciunt penitùs ac mœrore afficiunt.

Qui in Oratione proficiunt, & qui ſe ſentiunt ad affectus trahi; debent ſe illis permittere, nec ad colloquium reverti, niſi cùm voluntatem ſenſerint per illos affectus omninò effuſam: tunc enim conſiderationes relictas tranquillè reſument. Collocutiones namque tantummodo fiunt ad affectus excitandos; qui verò ad affectus tracti, attractum hunc ſequi renuerent, eò quòd illum conſiderationes non præceſſere: viatores quoſdam imitarentur, qui in loco ad quem tendebant exiſtentes, pedem inde referrent, quòd per viam ſibi aſſignatam illùc non venerint.

Tota veræ ac genuinæ Orationis ratio in eo conſiſtit: ut in cordis ſimplicitate internum attractum ſequamur. Nihilominus tamen, ne detur animi levitati aut inconſiderantiæ locus; quoddam certæ cujuſdam materiæ caput ſeligendum eſt, ac illius conſiderationi incumbendum, nec facile illam dimittendum: quin re vel ad aliud meditandum attractum ſentias, vel ad affectus deveneris. Ingenium enim vividum ac novandi ſtudioſum momento temporis perluſtraret ac delibaret omnia; iiſque imaginatione tantum, non verò ſolido ratiocinio conſideratis, imaginarios utique affectus eliceret, vanis illis arborum floribus haud abſimiles: ex quibus nullus fructus oritur. Capitis igitur & fixæ materiæ ſelectus expedita via eſt ad auferendam imaginativæ facultati vivaciori evagandi occaſionem: eámque quantum fieri poterit intra rationis limites continendi. Quod ſi nihilominus quandoque foras exeat, permirum tibi non videbitur; ſed ad illud remedium, quod in quarto puncto adnotavimus erit recurrendum: ut in ſpiritu lenitatis & patientiæ ab errore ſuo revocetur.

Quod ad animarum illarum ſtatum ſpectat, quæ quaſi extra ſe raptæ ſtatim atque ad orandum acceſſerunt, ſe Deo unitas inveniunt; ſuámque voluntatem ſentiunt ad actus Charitatis circa materiam ſibi propoſitam producendos; vel etiam quas ſimplex Dei recordatio ipſi quaſi affixas, & in quadam actuum ſuſpenſione conſtitutas tenet; Quid de illis dicemus? Nonnunquam in magnam ſui diffidentiam decidunt; timéntque Dæmonis illuſionem quæ certè plurimis ineſt: quæ ſe alias putant, quàm quod revera ſint. Aliquando etiam in dubia & ſcrupulos ab iis injiciuntur: qui in hujuſmodi ſtatu diſcernendo non ſatis experti ſunt. Et ideò dico

1. Quòd eliminatâ omni dubitandi ratione pro certo habere debeant nullum ex his ſtatibus in Oratione ſanctitatem efficere: ſed in ſola voluntatis divinæ adimpletione illam conſiſtere. Nec ejuſmodi ſtatus eſſe deſiderandos: niſi cum magna & indifferenti divino placito ſubmiſſione. Imò meræ imaginationis eſſe ſuſpectos: niſi per tritas & communes Orationis vias pertranſitum ſit. Practicam humilitatem dico; ſuiipſius abnegationem & contemptum: ac propriæ voluntatis ſpoliationem. Ita ut anima ſit in hiſce virtutibus bene ſtabilita: vel

ſaltem firmum habeat propoſitum ſe ſe in eis exercitandi & ſtabiliendi.

2. Non diù multúmque eſſe Philoſophandum circa modum quo ſe ſentiant attractas: ut cognoſcant an ille bene conveniat, cum iis de quibus tam multa ſcripſêre quidam viri devoti & in ſpiritualibus verſatiſſimi. Non enim modo alligatus eſt Dei Spiritus; ac piiſſimi illi ſcriptores, quæ in ſeipſis fuerant experti, ſcriptis mandaverunt: ac ideò non poſſunt indè generales regulæ conſtitui. Porrò ij omnes ad piarum animarum conſolationem, utilitatémque ſcripſerunt; quæ in ipſorum ſcriptis expreſſa legentes eadem quæ in ſeipſis ſentiunt ac experiuntur: timorem omnem deponunt, in ſuo propoſito ſolidantur, iiſque ad directionem ſuam utuntur. Hæc tamen omnia ſtatus illos minimè conferunt iis, qui illos non habent: quamvis multi putent ex eorum librorum lectione ſe reverà culmen illud attigiſſe, quod tantum habent in imagine in eorum animis fortiter impreſſa.

3. In his agendum eſt cùm ſpiritûs ſimplicitate; nec ſunt audiendæ, aut componendæ argutiæ circa actus: an ab eis ſit omninò abſtinendum, néc-ne. Ejuſmodi enim argutiæ implicant, occupant, turbántque animos; & myſteria magna fabricant: ubi vix aliquod occurrit. Præſentent ſe Dei conſpectui cum plena ſuiipſius deſtitutione, & rectâ illi placendi intentione; (quod certè in promptu illis eſſe debet ſi in illo ſublimi ſtatu à Deo conſtitutæ ſint:) & ad incipiendum à meditatione ſe diſponant; ut ſic in humilitatis ſtatu coram Deo ſe ſiſtant: indignas ſe reputantes, quæ ad altiorem locum aſcendant. Quod ſi ad affectus & actus ſe attractas ſentiant: illis ſe libenter permittant. Si Dei, ejúſque præſentiæ memoria eos ad ſublimiora rapiat; unum vel duos actus, ànimo ſe ſe humiliandi, & teſtificandæ humilitatis ſuæ eliciant: ac poſtmodum attractum ſequantur, voluntatem ſuam omnem in Deum effundentes, quod erit actus unionis extenſus, & non interpolatus. Verum ad majorem ſecuritatem expedire mihi videtur: ut quædam identidem amantis animæ deſideria his verbis exprimant. ***Diligam te Domine virtus mea;*** O millies potius moriar, quam à te per peccatum divellar: & alias ejuſmodi cordis aſpirationes. Quibus emiſſis in magnum illum oceanum ſe ſe rurſus immergant.

In hoc igitur, ô piiſſima anima, cum omni ſpiritûs libertate te gere; ſi ſimplex & ſola Dei præſentia te occupatam tenet: in ea perſiſte. Si ad actus producendos inciteris: illos ne differas proferre. Uno verbo, utroque utere; tuúſque ſcopus unicus ſit amor Dei practicus: nec illuſiones, deceptionéſque verearis, quamdiù cor humile, & animum in ſancta ſubjectionis indifferentiâ conſtitutum habebis.

In illâ porrò ſancta indifferentia erit; ſi ſemper parata ſis ad deſcendendum per eoſdem gradus: per quos te Dei ſpiritus aſcendere

fecerit. Si à meditatione ad affectus absque prævio alloquio te attrahat, gradus est quem te facit conscendere; in eo siste: quia alloquium eo tantum fine fit, ut ad affectus perveniatur. Si ab affectibus ad unionis exercitium evcharis; ibi tranquillè demorandum est: donec inde te faciat descendere. Similiter quando in conspectu Dei constituta non elevaberis ad unionem: libenter ad affectus descende. Denique si in contemplatione aridam te senseris; ultrò, lubentique animo ad propriæ coram Deo annihilationis exercitium te dimitte, cui incumbes in spiritu lenitatis, fiduciæ, & patientiæ: sicque cor geres flexibile, & ad omnia Dei placita obsequentissimum.

Non est credendum ejusmodi animæ status sic esse diuturnos atque stabiles, ut nullam Eclipsim patiantur; sed nec conturbari debemus, cum adveniunt: at humiliores inde fieri, Deique adorare providentiam; quæ hoc ita disponit vel ut tui immemor immoderatiùs non te geras: vel ut alicujus negligentiæ pœnam subeas, vel ne statibus illis nimio affectu inhæreas.

Spiritus Dei, spiritus libertatis est, non solùm respectu tui, sed etiam suiipsius; eam ob rem in eo sanctæ indifferentiæ statu esse debes, ut paratam te inveniat ad insequendas vias quas libera illius voluntas volet te ingredi: atque ut omnes vitæ tuæ actiones ad dilectissimi ejus Filij exemplum tantummodo conformes.

Qui vult meditationi per considerationes inhærere; is Deum libertate privat eum ad alias vias perducendi. Qui etiam producendis affectibus absque prævia consideratione se addicit: is Deum videtur astringere ad illi concedendum quod ex mera ejus liberalitate pendet. Qui nullos sibi proponit actus impofterum producere; sed in viva Dei præsentiæ fide quasi absorptum permanere: is profectò Deum, quantum in se est, vult impedire, quominus illum ad humilem sui cognitionem revocet, ad quam nos perducit Eclipsis quam vult ut in eo statu aliquando patiamur. Uno verbo vult ut Deus continuas nobis epulas apparet: ad quas non invitati ad libitum accedamus.

Æquissimum igitur est ut Deus libertatis autor, liber sit: qui vult ipse ut nos simus utique liberi. Quamquam nunquam verè liberi esse poterimus, nisi libertas nostra divinæ subjecta sit, eamque in omnibus ducem sequatur.

Inde faciliùs tibi innotescet, quid volui dum dixi tibi, & iterum dico, non esse tantoperè Philosophandum circa illos internos animæ in Oratione status; sed simplici ac bono animo se gerendum, prout quis à Spiritu sancto attractum se sentit. Si quando in Dei præsentia constitutus es, te ad meditandum per considerationes tantummodo dispositum reperias: sic meditare. Si affectus tui accendantur; vel attractu quasi habituali fruaris, quo ad affectus ex solo objecti intuitu feraris: his te permitte, nec ad meditationem, aut considerationem

ultrà

ultrà te applica. Hoc enim esset accensum ignem velle extinguere. Si denique affectus producendo, te repente attractum sentias ad altissimas cognitiones quas producit fides; vel, ut rectius loquar, quas Deus immittit per vivam ejus magnitudinis, bonitatis & præsentiæ fidem, unde in unionis exercitio constituaris: in his totus diffundaris, permeansque quamdiù Deus id permiserit, & absque ulla jucundissimo huic statui inhæsione. Ita ut si sua Deus utens libertate mentem tuam ad meditationem revocaverit, tua libertas prompta sit ad ei obsequendum, quemadmodum puerulus matri suæ obtemperat.

Cave in primis ne illo errore præveniaris; ut status illos, qualescumque sint: eximias perfectiones esse arbitretis. Sunt quidem illarum indicia, sed non substantia. Nostra quippe perfectio, sive exigua, sive magna sit, non ex illis animæ speculantis statibus æstimanda est: sed ex fideli Christi virtutum imitatione, propriam voluntatem abnegando; animi motus compescendo; proprias miserias cum mansuetudine sufferendo: proximi infirmitates supportando; humilitatem, patientiam, cæterasque virtutes exercendo, quæ sanctitatem, sanctósque ipsos efficiunt: non verò status isti spiritûs in suis meditationibus absorpti.

Qui in viis asperis & scabrosis ambulant, non securè incederent; imò frequenter offenderent, & læderentur: si oculis ad stellas semper elevatis graderentur. Idem nobis prorsus accideret, si nostris speculationibus nimiùm intenti: pedibus nostris non attenderemus ad rectè & sine offensione incedendum. In hac misera vita & nocte & per viam gradimur, in qua sicut multi loci sunt commodè ac feliciter percurrendi; ita plurimi alij sunt quos pertransire sine periculo: nec nisi fallente vestigio possumus. Nostris ergò pedibus attendamus; opera nostra intelligo: ut ea juxta Dei placitum perficiamus. Ac de cætero scire nobis sufficiat, Deum suæ protectionis oculo nos semper intueri: quemadmodum stellæ capitibus nostris imminent, eáque defixo lumine respiciunt.

Ecce quæ dicenda esse puto; quæque sufficere mihi videntur; ad discendum qualiter in Orationis exercitio te gerere debeas. Nam ea fideliter exequendo; mentem ad sublimiores vias dispones; in quibus ea, quæ supersunt, Deus per semetipsum te docebit.

Pro coronide addam Orationem, quâ Dei beneplacito nos omninò permittimus: cæterarum esse præstantiorem ac securiorem. Derelictionis porrò Orationem eam voco; 1. Cujus nec nomen, nec qualitates curiosè discutiuntur; cùm scire sufficiat omnia à Deo provenire: eique esse attribuenda. 2. Quâ mens ad id unum tendit, ut se se coram Deo deprimat, ipsíque strictissimè conjungatur. 3. Quâ promiscuè habet primum, aut infimum locum; nec alium in ea suum ambiat: quàm eum, in quo Deo placeat illam collocare. 4. Quâ

nihil aliud desiderat : quàm praxim amoris Dei operibus comprobati.

Hæc postrema cæteras virtualiter complectitur ; aliæ verò tantùm perfectionis solummodo acquirunt : quantùm huic participant.

CAPUT SEPTIMUM.

De pace animæ, & de veritate discernenda. Cuidam Religionis habitum suscepturo, qui magno judiciorum Dei terrore, ac peccati timore angebatur.

BEnedictus Deus, ô Theotime, cordis tui intimis efficaciter dicat, *salus tua ego sum.* Facta huc usque super te manus ejus, quòd te sibi elegerit, & omnimoda salus tua futurus sit: aperte indicat. Te enim à mundi periculis & occasionibus eripit ; & *abscondit in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum : protegit te in tabernaculo suo,* & ab omni creaturarum impedimento, & commercio segregat. En optima media, quibus uti si volueris : illi soli faciliùs adhærebis. Sed quin velis, minimè dubito ; siquidem te cum Davide jam nunc libentissimè dicturum video : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Hæc sanè præparatio gratiæ est opus ; sed si vocantis vox vivificum in corde tuo germen insevit : radices emittet, ex quibus observantiæ sacræ folia ; bonorum desideriorum flores ; & amoris practici, qui religioso in statu, cujus habitum suscipis præcipuè vigere debet : fructus continuò erumpent.

Psalm. 34. Psam. 30. Psal. 107.

De deserendo Ægypto agitur, ut liberatorem Angelum sequaris : sed suæ Ægypto sarcinæ sunt relinquendæ. Sufficiunt nempè veteres Adami lasciniæ, quas ubique circumferimus : nec alia, quæ nimiùm in deserto forent incommoda, comportanda. Quænam sunt istæ sarcinæ? Quæcumque scilicet spiritum hujus mundi, ipsius affectus, consuetudinésque redolent. *Egredere*, inquit Deus Abraham, *de terra tua & de cognatione tua : & veni ad locum quem monstravero tibi.* Quod equidem ut rectè valeat adimpleri ; cum terra, ac cognatione nostra, mundi usus affectúsque relinquendi : ut hujus loci commodis frui possimus, in quo Deus suâ ipse manu nos collocare dignatur. Hæc est præcipua celeberrimi illius contractûs Deum inter & Ecclesiam, seu electos qui membra ejus sunt, initi clausula, quam commendat Psalmista dum ait ; *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & Domum patris tui : & concupiscet rex decorem tuum.* Quæ cum sponsi

Genes. 12. Psam. 44.

mentem apertè exprimant; fideles animas, quæ ipſius ſponſarum ambiunt dignitatem: neceſſe eſt ſtudioſiùs adimplere.

Ea ſolum de cauſa Ægyptus relinquitur; ut mare rubrum in quo cuncta demergantur: valeamus liberiori curſu trajicere. Verùm ut Ægyptum & omnia quæ illius ſunt, perfectiùs dereliñquas: Religionis habitum hoc animi affectu ſuſcipe.

1. Attentiùs animo revolue te eductum è nihilo; quo quidem quid magis nudum poteſt excogitari? inde firmiter ſtatuas ita temetipſum exuere, ut ad ſpirituale quoddam nihilum redactus: cjus ſolummodo, cujus familiæ adſcriberis, voluntatem ſtudeas adimplere.

2. Temetipſum de cætero velut Domeſticum Dei, in ipſius ſtipendiarias rationes relatum reputa; & ab ipſius Providentia, quæcumque ad victum, veſtitúmque fuerint neceſſaria, confidenter expectans: cum Davide dicas, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* *Pſalm.* 22.

3. Religioſas veſtes, quaſi ſponſalia dona, eâ tibi mente à cæleſti ſponſo donatas æſtima, ut ſecularem habitum, cæteráque cuncta penitus exuens: ad ejus nuptias admittaris.

Et hic quidem beatiſſimæ Virgini conceptæ dicatus dies nos proſpera cuncta ſinit conjicere; hujus enim Reginæ Virginum auſpiciis: tuum in religioſo ſtatu conceptum, intentionis puritate immaculatum futurum confido.

O Virgo beatiſſima, inter præcipua tibi dotali contractu conceſſa, Regi poſt te Virgines Pſalmiſta rencenſuit adducendas. Tuæ hodiernâ *Pſalm.* 44. die conceptæ virginitatis holocauſtum ſuavem ad Deum emiſit odorem. En filium cariſſimum tuis inſiſtentem veſtigiis; quique toto vitæ curriculo puritatem tuam: integerrimæ caſtitatis imitatione conſtituit æmulari. Hunc, quæſo, ſequaces inter Virgines ſuſcipe; ut Templo Domini tuis oblatus manibus: corpus, voluntatem, intellectum, ut ſpirituales victimas, in juge ſacrificium valeat convertere.

Religioſum igitur habitum hac mente ſuſcipiens; temetipſum Deo ſub beatiſſimæ Virginis auſpiciis: in ſacrificium toto mentis affectu offeras conſecrandum. Huic quidem adero ſpiritu; & ut ignis de Cælo deſcendens univerſa devoret, ac in Charitatem, puritatem, luménque convertat, enixiùs Deum deprecabor.

Verùm difficultates à te mihi propoſitæ jam diſſolvendæ ſunt, & monita quædam inſtitutioni tuæ profutura, breviter impartienda; quæ etiam pœnis animam tuam lancinantibus remedium ſalubre afferant: quod quidem è duobus cum anima maximè congruentibus, veritate ſcilicet & pace componam.

Veritatem tantùm & pacem diligite, inquit propheta; quid à nobis *Zachar.* 8. requirat Dominus, quídve ut ad ipſum rectà contendamus, neceſſarium ſit, breviter edocens: *Pax & veritas.* Nihil planè naturali animæ propenſioni convenientius; præ omnibus etenim pacem concu-

piſcit, adeóque ipſi connaturalis eſt veritas: ut quandocumque intellectui evidenter patet, aſſenſum nequeat denegare. Hanc certè propellente voluntatis malitiâ, profiteri quandoque ille renuit: ſed aſſenſum, ut pote neceſſarium, nullomodo poteſt cohibere. Nemo igitur divinum hócce mandatum à Propheta promulgatum libentiſſimè non debet excipere; neque mirum eſt id à nobis Deum exigere: cum divinæ menti nihil magis convenire dignoſcatur.

Pacem & veritatem ex æquo habet à natura; æquè pacis ac veritatis Deus eſt: ipſius ſpiritus cum pace ſemper procedit; quidquid ad illum non tendit, aut cum pace non agitur: ipſi nullo modo conſentaneum eſt.

Iſtud, opinor, effatum ea mente excipies, quâ & Nicodemus, qui cùm renaſcendum denuò Jeſus aſſereret, mirabundus exclamabat; *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem Matris ſuæ iteratò introire?* Quâ ratione, inquies, tot inter diſſidia, quæ nos intus exagitant; rebellionéſque, ſeditiones, ac bella ferè continua in nobis excitant; hujuſmodi pace perfrui liceat? Quæ nimirùm de Spiritu Chriſtus aſſerebat: hæc humano tantùm ſenſu vir adhuc rudior intelligebat. Sed quæ illi, ut pote Magiſtro, Chriſtus exprobravit: tibi, qui diſcipulus tantùm es, adaptare non convenit. Non enim mirum, ſi pacis hujuſce myſterium non capias.

Ioan. 3.

De pace animæ nunc agitur, non verò de *quiete quadam* (quam ut à vera pace diſcernam, hoc nomine nuncupabo;) quæ quidem ab omni opere ac labore ceſſationem exigit; quam ſenſus quoque appetunt, ut eâ, cum libuerit, perfrui valeant: ſed quæ graviſſimum animæ damnum importaret.

Bellum in hominem, ac inter homines peccatum invexit; quidquid inde moleſtum patimur: ipſi utique eſt, non Deo qui pacis auctor eſt, imputandum. Vita hominis ſuper terram militia erit continua; ſed hæc ad peccatum, ut ad perpetuam ejus cauſam referri debet: cujus quidem belli occaſiones ideò Deus noluit avertere; ut ſecundum adorandæ ſapientiæ ſuæ regulas, diligentibus ſe malum hoc in bonum converteret: & è contra per quæ peccarent rebelles, per hæc punirentur.

Iob 7.

Sap. 11.

Enim verò bellorum inteſtinorum cauſas in nobis reliquit, ut bonum pacis inde pluris faciamus: & hanc proſequamur ardentiùs. Ut vanam pacis ſpeciem fugiamus, quam oſtentat concupiſcentia; quæ nihil omninò niſi deſideriorum pugnas, vincula, ſervitutem, ærumnas: damnationémque parit. Ut pacem, inquam, animæ, (cùm in ea ſolummodo poſſit inveniri) exquirere compellamur; quæ cùm ad divinam ſit formata ſimilitudinem: hanc divinæ pacis charactere inſigniri omninò convenit. Eâ ſolum cauſâ, nos ad extra ſinit expugnari, ut omnis ad intra pax contracta in anima vigeat abundantiùs; hanc

ad legitimum, diuturnúmque certamen adversus dæmonem, ac mundum instruat: ac denique animalem hominem Deo ac rationi debitè subjiciat. Bellum igitur hujuscemodi veram pacem non solum non eripit; sed potius adversus fictitiæ pacis, quæ in sensibus residet, fallaces illecebras, quibus à Dæmone, mundo & carne sollicitatur: securam efficit; auget inter certamina: ac denique perducit ad coronam. Hinc de reportata victoria, consolatione anima perfusa, ac semetipsam possidens; nihil sibi in creatis seipsa pretiosius exploratissimum habet: nullam pacem vel gaudium nisi in ente increato ac immortali perquirenda dignoscit; quibus eò perfundetur abundantius: quo concupiscentiæ germina, nullatenus illis adhærendo, diligentius resecabit, hostiles impetus nihili faciet, ac omni corruptibili penitùs renunciabit.

Hanc utique pacem Christianis Apostolus his-ce verbis apprecatur; *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra: & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Philip. 4. Pacis istius internæ consolationes in tantùm sensum superant; quantùm anima corpori: cunctísque creatis Deus ipse præstare noscitur. Et hanc quidem sensum omnem superare necesse est, quâ Martyres mediis in suppliciis perpetuò sunt perfusi; tribulatione nempè malorum & dolore superiorem animam efficit; à corruptione corda; ab oblivione, instabilitate, ac errore custodit intelligentias; animam ad Deum, & ad æterna elevat: & portum ipsi adversus procellas tutissimum parat. Unde quidquid circa ipsam conturbari, subvertíque contigerit, secura prospiciet; modò dextrâ fiduciæ manu Deo adhæreat: ac quæcumque possunt ipsius pacem concutere, sinistrâ propulsare studeat. Ejus acquirendæ causâ susceptos labores jam nunc abundè compensant consolationes, quas exinde anima percipit; quod gratiæ auxilio opportuno, hostibus ipsius paci, libertatíque insidiantibus, & ipsam à Deo avellere conantibus: superior sit effecta. Sed & de suscepto bello frustra quereretur, cum expensas omnes Deus ipse, cujus auspiciis initum est, suppeditet; ac quidquid exinde emolumenti provenit, ipsius permittat compendiis: illam ab animalis hominis fictitiâ pace vindicâsse, ac in veram asseruisse filiorum Dei pacem tantummmodo contentus.

Exoptanda sanè conditio, si quæ in sensibus pax vera posset percipi, eam ad momentum, & pacem internam, æternámque consequendam respuere; pax enim seculi mutatur ac præterit: pax verò Domini manet in æternum. Verùm non esse pacem impiis asserens scriptura; Isa. 48. nullam quoque in sensibus pacem veram existere: liquidò demonstrat. Id ipsum edocet experientia; ad quam Christianos provocans Apostolus, *Quem fructum*, inquit, *habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. Quod & ipsi multoties experti didicimus.

Quid igitur ad pacem animæ, quam Psalmista inquirendam & perse- Psalm. 33.

quendam admonet, fovendam atque conservandam potest conducere? His verbis, Theotime, divini erga fideles animas Regiminis aperitur mysterium: quod hîc paucis explicare operæ pretium est. Eâdem etenim ratione quâ viator ulteriùs progressum simulans, cohibetur amantiùs; & ad hospitium instantiùs invitatur: sic & illis Deus fingit velle pacem eripere, ut eas ad illam ardentiùs prosequendam, tenendámque vehementiùs accendat.

Zachar. 8. Cùm Propheta pacem, veritatémque diligendam admonet: his etiam verbis quidquid agendum est complectitur. Pax & veritas simul gradiuntur: nec ab invicem possunt separari. Deum esse pacem, pacemque diligere veritas edocet; cúmque veritatis luce pax mentibus innotescat: ipsâ quoque duce ad pacem ducimur, atque reducimur.

Si pax interna quandoque deficere, aut abesse videatur; veritatem consule: & pacem tribuet. Eam enim sola animi pervicacia, ignorantia, cæcitas, proprij sensûs tenacitas, vel denique superbia, (quam idcircò extremam nomino, quòd cæteras omnes contineat) turbare prævalent: sed has tenebras luce veritatis penitùs discuties.

Ioan. 8. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, inquit Jesus discipulis. Ego verò verbis ipsius innixus confidentiùs affirmo; quidquid pacem animæ conturbet si ad rectam veritatem confugeris: pacatior illicò efficieris; animi molestias veritas leniet: tandémquè anxietates, quibus impugnaris: penitùs dissipabit. In spirituali stadio nihil periculosius est, quam rigidiora quædam rectæ veritati non satis consona, sibi mente confingere; quibus anima concussa, sempérque fluctuans: compendiosiùs in virtute proficere censeatur. Enimverò pace quæ veritatis est comes, dissipatâ; erroréque ac perturbatione eorum loco succedentibus, non modo non proficit, sed & anxietates incurrit: unde sæpissimè in excessus, ignaviam, gravioréśque culpas prolabitur.

Ab intellectûs nostri judicio veritas non pendet; nec Deus optimus, veritatis auctor, gratiam ac pacem quorumdam privatorum subjicit opinionibus: qui ex suo sensu veritates, ac placita volunt statuere. Non mirum igitur si hujuscemodi homines in vita spirituali minus eruditi hácce novâ veritatum adinventione laqueos ac supplicia sæpius incurrant; at si divinæ pacis ac spiritus, qui ex Deo est, participes effici velimus: certissimæ veritati, non singularibus opinionibus, & à communi sensu deviis, firmiter inhærebimus.

Inquietis, anxiísque hujuscemodi animis sub obtenta perfectionis specie, quæ de pace proponuntur: cùm his Evangelij verbis pugnare
Matth. 11. videntur, *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ex pace namque animæ, quietem, indéque negligentiam, socordiámque incurrendam temerè confingunt; cùm tamen tùm Deo, tum animæ pax omninò connaturalis sit: & ad gratiam, per quam omne bonum

operamur ; naturalem respectum habeat. Imò verò, cum quidquid animæ vires consumere, illiúsque robur vanis terroribus, anxietatibúsque possit minuere, ejusmodi ad sectandam pacem adhortatione removemus: illam ad validiùs, perfectiùs, diutiúsque operandum eâ ratione disponimus.

Interest igitur quam maximè ut anima rectæ veritati firmiter insistat: si pacem assequi, & quod potest bonum operari desideret. Si enim in gradiendo pace destituatur ; plura bona deseret: quæ operari posset.

Itineri longissimo se daturus providus viator ; ejusmodi calceos induit: qui nec pedem nimiùm comprimant, nec fibulis, suturis-vè lædant. Si quid enim vel minimum indebitè dispositum occurreret: plurimum exinde perciperet incommodi. Ea quoque impensè præcavet, quæ nequidem attenderent, qui domi sedere assueti ; quantùm incommodi post dies aliquot inferre valeat in viatoris calceo sutura prominens: penitùs ignorant. Quoslibet calceos minus cautus & imperitus viator induens iter aggreditur ; sed suo sæpius discit incommodo majorem aliàs adhibendam cautionem, ut quæ in calceis gressum præpedire, pedém-ve queant lædere: studiosiùs aufferat. Sed cum profectò miseratione dignum æstimares ; qui vel ex imprudentia, vel ex animi pertinacia hos indueret calceos, qui nimiùm pedem constringerent: vel ab eis malè sartam commissuram, prominenrém-ve fibulam nollet extrahere.

Ex hac simplici, sed apta similitudine, quæ de pace ac veritate dicta sunt, faciliùs intelliges ; nam, ut ita dicam, calceamenta sunt, quæ non ut quiescas: sed ut periti viatoris instar, ardentiùs, celeriùs, diutiúsque ad perfectionem tendas, debes assumere. Commodum enim calceum viator induens ingentibus diariis progreditur ; cœpto diutiùs pergit itinere: ac minorem lassitudinem incurrit. Alter verò qui minus peritas in pacis & veritatis exercitio animas designat: gradum quandoque sistere compellitur. Ac demum ultimus qui pertinaces animas, imprudentésque significat: nonnisi claudicans, læsus, dolore percitus, affectúsque fastidio valet incedere.

Ad veritatem ergò recurramus ; ut inde roboreris contra sollicitudines, curásque animi varias: quas in te concitat Dei judiciorum terror. Inde hæc quatuor tibi capita depromo.

Veritas prima. Deum esse Amorem.

DEus Charitas est, inquit Scriptura ; hísque verbis, quidquid de illo concipere possumus: breviter complectitur. Totus ergò Charitas est, cùm in ipso nulla sit compositio ; nec valet agere nisi ex Charitate, cum Charitate, & ad Charitatem: alioquin in seipsum, 1. Joan. 4.

propriámque naturam ageret, quæ tota Charitas esse dignoscitur.

Ex puro Charitatis motu nos è nihilo eduxit, nullius indigens

Sapient. 11. creaturæ ; nec mirum quòd eum Scriptura his verbis compellet: *misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Enim verò si amor est, non potest agere nisi ex amore; cúmque amor & odium nulla ratione queant simul consistere: nihil ex seipso potest odio prosequi. Peccatum etenim odit, quasi germen alienum, ab ipso non procedens; nec odium illud, nisi ex amore quo erga se, ac erga nos fertur: potest concipere. Quid igitur à tanto amore non speremus; qui quamdiù in nobis peccatum, quod ab ipso non est, fovere noluerimus: nihil eorum quæ fecit, potest odio persequi.

Singularem ipsius amorem, Theotime, in hominis creatione perpende; universis Creaturis spectantibus ac testibus hunc ad imaginem suam efformare constituit; propriis manibus ipsius corpus effingit; & ex seipso, quasi vitæ suæ illum effecturus participem, haurit spiraculum vitæ: cujus inspiratione factus est homo in animam viventem. Illius animæ amorem imprimit, quo ad suum continuò feratur autorem; & hoc insigniori similitudinis suæ Charactere evidentiùs innuit: quod à Charitate processerit, & ad ipsius Charitatis abyssum, ingenitæ sibi propensionis pondere contendat. Quod quidem nobis perpetuò contestatur continua ad amandum propensio.

Verùm cùm ex tribus maximè, *verbis* videlicet, *operibus*, & impensis *auxiliis* amor possit comprobari: hinc utique divini erga nos amoris amplitudinem pensemus.

Hæc paucula è sacris paginis excerpta verba suscipe.

Ierem. 31. *Ego Charitate perpetua dilexi te.* Dei æternitas futurum æquè ac præteritum complectitur; hoc igitur hæc verba innuunt: ego ab æterno dilexi te, ac æternùm te diligam. Ita planè, Theotime, nisi ipsum oderimus.

Isai. 46. *Audite me*, inquit, *Domus Iacob, & omne residuum Domûs Israël, qui portamini à meo utero; qui gestamini à mea vulva; usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci & ego feram, ego portabo, & ego salvabo.* En amoris ardentissimi, tenerrimi, ac sincerissimi verba; verùm quo affectu peccatricem animam alloquatur, quaque ipsi præstare paratus sit: attendamus.

Ierem. 3. *Vulgo dicitur si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit alterum virum; numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me.* En amoris verba qui nihil respuat; qui cuncta condonet; qui perditissimos quosque vel in prostibulis quærat; qua ratione igitur eos qui toto mentis affectu ipsum quærunt, quísque illi soli adhærere desiderant, excepturum existimas?

Ezech. 33. *Vivo ego dicit Dominus* (id est vitam meam juro) *nolo mortem impij.*

En

in amoris, quò major ipsi adhibeatur fides, solemne jusjurandum.... Et alibi.

Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est: vita vivet & non morietur. Et alibi: in profundum maris omnia ejus peccata se projecturum asserit. Et alibi; *Et quare moriemini*, inquit, *Domus Israël?* Quâ igitur, si peccata præterita detestemur, animari debemus confidentiâ; cùm hujus amoris verbis, promissis, affectuíque tot argumentis prodito innitamur? Ezech. 18. Mich. 7. Ezec. 18.

Audi & ipsius ad diffidentem animam verba consolatoria.

Dixit Sion dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei: Cui ipse. *Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit; ego tamen non obliviscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te.* Isai. 49.

Summè igitur, dolendum, quòd tanto amori mutuum non rependimus; sed ad querelas hujusmodi: timore nimio, vel diffidentiâ non est ullo modo provocandus.

Sed hæc sufficiat annotâsse. Etenim si quæcumque sacris in scripturis amoris hujusce immensitatem exprimunt, vellem colligere: justi mensuram voluminis excederent.

Nunc ejus *opera* perpendamus. Quantum in Creatione, Redemptione, & unione quæ maximè amori convenit, cum hominibus contrahenda, semetipsum exhibuit? naturæ nostræ in Incarnatione; animabus in Baptismo: corporibus in Eucharistia se univit. Mirabilium suorum maximum operatur in suæ nobiscum unionis mysterio. Quo majori argumento, illius nobiscum in gloria, in qua ab amore absorbendi sumus, consummandæ unionis desiderium poterat comprobare?

Ad impensa auxilia, quod attinet, quæ passim hominibus vel ingratis, præstare non desistit, attendamus; solem quem oriri facit super bonos & malos, &c. Sed hæc missa faciamus: ut quæ viciniora sunt saluti liceat suspicere. Perpendamus, inquam amoris hujus-ce in hominibus expectandis, quærendis ac conservandis longanimitatem; gratiæ in illuminandis, juvandis, protegendis, ac liberandis nunquam intermissam, nec remissam protectionem, custodiam, & liberationem: ut ex hujusmodi veritatum, quæ divini erga nos amoris immensitatem, perseverantiam, patientiam, continuúmque influxum comprobant, meditatione, ad sequentes continuò provocemur voluntarios affectus.

1. *Gratitudinis* debitæ pro acceptis ab hoc amore beneficiis: unde amorosus & filialis dolor enascatur.

2. *Gratitudinis*, inquam, erga hunc amorem; qui cum in se semper idem, sempérque summus existat: hominum infidelitate nequit immutari.

3. *Clientelaris obsequij* eâ præstandi confidentiâ, quam hujus amoris promeretur immensitas ; qui pro ipsorum salute se cuncta agere, donare, patíque paratum : verbis, operibus, auxiliis, indefessè demonstravit.

Nihil igitur in te huic veritati contrarium foveas ; imò quidquid ab ipsa dissonum videbitur : velut erroneum procul abjicias. Quod à nobis hic amor exigit, tunc omninò sentiemus ; si de præteritis tantummodò cogitemus, ut peccata nostra in ejusdem amoris abyssum demergamus : si pensemus præsentia, ut nostram in ipsum jactemus confidentiam ; si denique futura prospiciamus : ut ad ipsum solum spem nostram, sollicitudinémque convertamus.

Veritas secunda. Deum esse bonitatem.

Bonum suâpte naturâ sui diffusivum esse nemo nescit. Quid Deus optimus maximus seipso melius nobis elargiri poterat ; cum cæli terræque ipse solus omne bonum esse dignoscatur? Et id quidem cœpit in tempore, quod in æternitate abundantiùs consummaret. Multùm planè ipsi sumus eo nomine devincti, quod ab eo quidquid sumus, accepimus ; nostríque gratia universa condiderit : sed multo majora contulit beneficia, cùm Redemptionis opus adorandæ sanctissimæ Trinitatis Personæ, partitis inter se officiis, promovendum suscepêre. Pater donavit Filium ; num quidquam aliud poterit denegare? *Si*
Rom. 8. *proprio Filio non pepercit*, inquit Apostolus, *sed pro nobis omnibus tradidit illum ; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*, multò planè filio inferiora? semetipsum tradidit filius ; Verum quanto amoris excessu? Ea enim fuit ipsius erga nos immensitas ; ut paternæ, si dicere fas est, Charitatis amplitudinem excedere voluisse videatur. Enim verò cùm in discipulos insufflando, illos spiritûs infusione, remittendorúmque peccatorum collatâ facultate, potentiæ suæ fecit participes ; quod pater infuso vitæ spiraculo in hominis creatione præstitit : id uberiori gratiæ stillicidio præcellere dignoscitur.

Sanctus denique Spiritus, ut animæ vacuum impleret ; & in illam amorem, fortitudinem, ac spiritum infunderet : largissimâ se se bonitate ubique diffudit.

Bonitatis hujus effusio, quidquid quoad nos in Dei natura possibile, penitus exhausit ; sed ejus circa nos operationes, ô Theotime, quadantenus infinitas, & ad infinitum à quo procedunt, tendere quis inficietur? Non enim figmentum nostrum aversatur, nec lapsos deserit, nec fugit ingratos ; nec suis toties abusos beneficiis : minoribus noscitur afficere. Imò semetipsam semper parata profundere : *expectat*, in-
Psalm. 30. quit scriptura, *ut misereatur nostri.*
Sapien. 1. *Sentite de Domino in bonitate*, ait sapiens ; nihil ergò quod ab infinito

bonitatis hujus merito dissonet: in mente tua foveas.

Veritatis hujus discussio apertè indicat, quæ sit ipsius origo ; quis progressus: quàm denique infinita sit. *Ecce*, inquit, *ego declinabo super eos quasi fluvium pacis*. Quæ Patribus olim locuta est in Prophetis: ipsa semper est eadem. Hic ejus affectus te respicit ; ut flumen pacis in te quoque declinaturam æstima: & quodcumque cum hac veritate non consonat, erroneum, falsúmque reputa. Si non quærentes se hæc bonitas tanto requirit affectu ; quid se quærentibus, precibúsque continuis ipsam pulsantibus præstaturam existimas? *Isai. 66.*

Veritas tertia. Dei Majestatem quoad nos esse temperatam.

CÆlum, Terra, Mare, ac quæcumque in eis apparent mirabilia, vel modicum attendenti: Majestatis hujus innuunt magnitudinem. Grando, fulgura, procellæ ejus terrorem ingerunt ; Regum, Populorum, Regnorúmque subversiones ; filiorum hominum dissipata consilia, ac frequens interitus ; universa, inquam hæc illius Majestatis respectu esse velut stipulam, quam turbo disjicit: manifestiùs ostendunt. Verùm si Incarnationis œconomiam attendamus ; hanc in seipsa sanctissimam, tremendámque Majestatem quidquid hominibus terrorem poterat incutere: omninò deposuisse, & ad extrema, quæ mens nostra capere non sufficit, semetipsum abjecisse cognoscemus. Ibi plane amor & bonitas prævaluêre Majestati: eámque sibi penitùs subjecêre. Ne Divinitatis opprimeremur gloriâ: hanc humanitatis velo contexerunt. Majestatem infantiæ cinxerunt nubilo ; ut ab ipsa nonnisi benignitatem speraremus: quæ quidquid terrorem posset injicere, penitùs obvelasset. Hanc Matri benignissimæ, quæ castitatis, humilitatis ac Charitatis illiciis, omnium affectus in se posset convertere, subjecerunt ; quæ sicut in sacris uberibus solidum cibum in lac dulcissimum convertebat: sic in virginali sinu tremendam Dei Majestatem, in benignitatem, humanitatémque converteret, ac peramanter exhiberet. Quantâ igitur reverentiâ ; quam filiali confidentiâ erga Deum infantem effectum, qui filialem à nobis affectum desiderat, affici nos convenit? Si quid adhuc terroris superest ; peccata solummodò voluntaria respicit, non peccatores: qui ipsam requirunt, ac sincerâ mente concupiscunt.

Quidquid ergò cum hac veritate non concordat, falsum illicò reputes ; cúmque divinorum judiciorum terrore concussus fueris: ad amorem, ac bonitatem: quæ justitiam ad libitum valent inflectere confugiens, temetipsum illis amantissimè committe. Tum denique ad Matrem pulchræ dilectionis, quæ sibi, cæterísque gratia superabundat: confugito.

Hinc profectò divina Majestas, quid de ipsa sentiendum: factis

apertè demonstrat. Hoc mente concipe ; & si quando terrore pulseris, ad amorem, bonitatémque fiducialiùs confugiens : præsentissimum ad hujusmodi dissipandam anxietatem senties auxilium. Austeriorem quandoque filiis vultum parentes exhibent ; sed inviti planè, ac omninò præter naturalem animi propensionem : atque ut ipsos in officio contineant, aut effrænes ad debitum deducant obsequium. Verùm mox ut præstitutum finem attigerint, justóque solutiores ad amorem, reverentiámque reduxerint ; tunc hilariori fronte paternum ipsis amorem indicant : vel si nec dum exteriùs significandum existimant ; eò majori filiorum erga se obsequium, fiduciámque voluptatis interioris sensu percipiunt : quòd ea videant per morosioris vultûs exhibitionem minui minimè potuisse. Ea est planè Patris cælestis erga te agendi ratio. Si quandoque austeriori facie terreat ; id utique summæ sapientiæ est, quò ad debitum revoceris obsequium : & ad amoris ac bonitatis vultum ipsi connaturalem prospicere compellaris. Nihil enim aliud à te requirit, nisi ut ipsius voluntati subjaceas ; ac vultum hujusmodi austerum ac terribilem : ab ejus natura prorsùs alienum arbitreris. Id illi acceptissimum erit : & tibi omninò debet sufficere.

Veritas Quarta. Deum esse omnia in omnibus, ut loquitur D. Paulus.

IN naturali rerum ordine Deus est omnia in omnibus : quia nihil sine ipso potest subsistere. Sed in moralibus, ac in ordine gratiæ ; quadam ratione, speciali videlicet amoris, bonitatis, ac potentiæ communicatione : omnibus omnia efficitur. Et quidem ipsi animæ aër est, quo spirat ; fulcimentum ac robur, cui innititur ; centrum in quo possit quiescere ; nec aliam planè ob causam, omnia in omnibus animæ sic esse voluit : nisi ut in illam semetipsum perpetuò profunderet, & uberiori bonorum largitione semper cumularet. Nihil igitur in nobis quæramus ; sed nobis ipsis utamur tantummodo, ut omnia in Deo quæramus : qui nobis effectus est omnia, cùm primùm nos è nihilo eduxit ; qui nobis est omnia, dum vivimus : & in morte omnia quoque futurus est, cùm æternitatis suæ participes efficiet.

Ad hæc-ce quatuor certissimæ veritatis placita, ô Theotime, quidquid sensus suggesserit, exigendum est : ac quidquid ab eis dissonum fuerit, voluntatis imperio coërcendum. Ea quippe ratione nihil indebitè de Deo senties ; ac pace animæ, cujus instinctus cum his placitis omninò convenit : abundantissimè perfrueris.

Verum si ea quæ de jactanda in amantissimum Dei sinum omni sollicitudine ; de Oratione ; de tuiipsius ad divinum beneplacitum summissione, ac de fiducia alibi exposui, his adjunxeris, & attentiùs mente

Vide infra cap. 10.

revolueris: rectè omninò de eo senties, ac per veritatis & pacis internæ viam, in ejus amore magis in dies poteris proficere.

Ad alteram anxietatem tuarum causam, quæ est timor peccati, veniendum est.

Quantùm ad bonum liberè operandum, anima propendeat: vix satis potest verbis exprimi. Ne igitur malum subtiliùs exquirere studeas; sed potius bonum: ut ad illud libere & ex amoris affectu operandum accendaris. Cúmque animæ libertas timoris anxietate coarctata cum bono nullo modo conveniat; satiùs quidem est ad amorem, cujus instinctu ad bonum feramur, animum convertere: quam ad alicujus mali, quod in eo quod operamur bono forsitan delitescere timemus, formidinem scrupulosiùs attendere.

Cùm virtutis bonum prosequimur; à malo utique declinamus: ipsúmque, vel non attendentes, effugimus.

De pondere sanctuarij frequens in scripturis fit mentio; ad quod ut justum cujusque rei pondus ac pretium præstitueretur: cuncta Moyses exigenda statuerat Hoc quoque pondere Christianæ menti cuncta perpendenda censuerim; ut & ipsa quæ tenetur mala declinare, eorúmque differentiam probè perspiciat: certóque firmiter inhærens judicio, quid in eo quod deprehenderit malo metuere; quid agere; ac denique quo doloris sensu affici debeat: ex certa quadam regula noverit discernere. Ea quippe ratione timoris excessus, anxietatísque laqueos faciliùs effugiet: quos timoratis animis & in discernendis hujusmodi malis non satis eruditis dæmones tentant injicere.

Et hoc quidem rectæ rationis judicium ad turbatam post lapsum animam tranquillitati debitæ restituendam plurimùm conducet; zelum circa malum plus æquo exardescentem temperabit; enascentem inde animi dejectionem mœrorémque dissipabit; ad tranquillum humilitatis statum adiget: & à perturbationis via, in qua sæpissimè improvidum cor oberrat, revocabit.

Verum ut hæc mala queas discernere: quintuplicis generis ea statuemus. Videlicet.

Peccatum mortale;
Peccatum veniale voluntarium;
Peccatum veniale ex infirmitate;
Imperfectionem:
Ac perfectionis defectum.

Hæc ita sunt distinguenda, ne pro corpore umbram apprehendas; sed quanti fuerit unumquodque reputandum: pondere sanctuarij valeas æstimare.

Cum circa peccati materiam animi tui pacem concussam senseris: ad subjectas veritates statim confugito.

Prima veritas.

PEccatum mortale hoc solummodò nomine nuncupatur, quòd mortem animæ inferat: ipsamque à Deo, ejusque gratia, quæ vita ejus est, penitùs separet. Et ab eo quidem timorata anima tantoperè debet abhorrere: ut vel ipsum peccati mortalis nomen aversetur. Hoc nempe summum malum est, cujus fugiendi causâ, mors corporis sit potius obeunda; cùm hæc solummodo corpus, quod à semetipso dissolvitur, possit destruere: mors verò animæ per mortiferum peccatum illata; hanc ex immortalitate sua infeliciorem efficiat: quam si morte ipsâ penitùs interiret. Qui miserandum hunc statum, omninò voluntarium incurrerit, universum animæ statum dissipat; quique hoc obice penitus non ablato spiritualis effici contenderet: ea planè ratione procederet, quâ qui diro vulnere saucius in cicatricem fere obductam iterato vulnere sæviens, se sanitati restituendum perperàm putaret. Imò verò novis doloribus affectus, ac novis indigens remediis, vulnere sic renovato, supremum vitæ periculum incurreret. Ne tamen in barathrum ex infirmitate prolapsa anima penitùs desperet; voluntario coram Deo immersa dolori immensæ ipsius fidat misericordiæ: ne duplicem ejus amori injuriam inferat, si & rectè de illo non senserit; & in desperationis abyssum incidens: generosum ipsius animum graviùs offendat.

Peccata mortifera ex præceptis oppositis satis innotescunt; sed quæ modo subjiciam: sunt diligentius annotanda.

1. Nusquam mortale peccatum subesse existimes in re dubia: quin peritiorum consilio certò constiterit. Hujus peccati materia à divinâ voluntate manifestâ, probéque cognitâ, non verò ab hominum pendet arbitrio; nec minùs periculosè aberratur, ibi mortiferum affingendo piaculum, ubi reverâ nullum est: quàm cum ubi reipsâ est, ibi nullum subesse creditur. Etenim utrobique æqualiter ad culpam acceditur; & inordinatæ ratione voluntatis, mortali peccato ille se inquinat: qui quod sub mortalis piaculi pœna se nolle debere existimat, voluntariè amplectitur.

Interest igitur quàm maximè in hac materia rectam rationem, & ab omni prorsus errore liberam ducem sequi; cùm tamen aliquid peccato affine conspexeris: absque eorum consilio, qui inter lepram & lepram noverint discernere, nunquam est ad praxim reducendum. Ac majorem certè qui, quod omninò non patet, peccatum mortiferum judicaturus est, debet cautionem adhibere: quam rerum capitalium judex criminis accersitum capire damnaturus. Sed quæ Deum diligere anima intendit; *ab omni specie mala*, juxta Apostoli consilium, *prorsus abstineat.*

Thess. 5.

Hæc ſeculares potiùs quam religioſos ſpectant ⁊ qui, quod mortiferæ noxæ gravitatem redolet, à longè diſpicere: & ad Charitatem, ac perfectionem perpetuò tendere tenentur.

Hæc tamen te ſcire volo, ut ſcrupulos fugias, qui ſæpiùs timoratam infeſtant conſcientiam ⁊ cum proprij ſenſûs tenacior, peritiorúmque conſilium aſſueta reſpuere: morbum tunc remediis vix pervium incurrit.

2. Actum bonâ fide perpetratum, licet in eo peccati mortalis ſubſit materia, non ſubſequens cognitio: ſed ſolummodo ſubſequens atque concomitans, mortale peccatum valent efficere. Quodlibet enim peccatum mortale cognitionem mali quod in actione ſubeſt, voluntatíſque, quæ ad hoc malum, reluctante conſcientia, perpetrandum convertitur: malitiam ſupponit. At ſi defuerit cognitio, deeſt quoque malitia: igitur & ipſa forma, quæ voluntatis inordinatione mortale peccatum conſtituit. Si tamen actionis præteritæ cognitâ malitiâ quis erga eam voluntariâ concupiſcentiâ afficeretur, mortale peccatum contraheret ⁊ non equidem ratione actûs præteriti: ſed præſentis erga malum quod ſe poſtquam eſſe malum cognovit, perpetraſſe lætatur, complacentiæ.

Ad peccata verò quæ ſolo conſenſu contrahuntur, rectè diſcernenda ⁊ attentiùs penſandum, ô Theotime: quænam ſit differentia inter *motus* primò primos, *motus* ſecundò primos, & *motus* rationales. Quomodo, inquam, hæc tria differant ⁊ malum videre à quo tentamur, quódque hominis animalis cogitationes ac ſenſus afficit ⁊ ad hoc malum attendere: ac denique illud velle. Niſi enim hæc omnia ab invicem timoratus animus noverit diſcernere: allucinatur ſæpius ⁊ ſemetipſum perperàm conficit: & falſâ conſenſûs opinione in peccato conſentiendi periculo reipſâ ſe conſtituit. Hinc etenim angore premitur, quod quædam quæ falsò cenſet à ſuo pendere arbitrio ⁊ quæque tamen reum coram Deo nequeunt conſtituere: non cohibuerit. Verum cum hoc timore, perverſóque judicio ad eas adigi poſſet anguſtias ex animi dejectione ⁊ ut, veluti nauta vano terrore percitus remum abjicit: ſe ſe tentationum fluctibus abripiendum traderet. Errori tantam procul dubio perniciem afferenti: aditus eſt diligentiſſimè occludendus.

Motus primò primi in mente vel alibi inſurgentes non magis pendent à nobis, quam in patenti ſpeculo expreſſæ imagines. Extremæ procul dubio eſſet dementiæ, aliquem ſpeculo iraſci: eò quòd invîſa, & odioſa illi objecta repræſentaret. At in me, inquies, hujuſmodi formantur, ac reſident imagines? Senſus interior in te quidem eſt veluti ſpeculum, præteritorum atque præſentium ideas & phantaſmata confingens ⁊ commentitiáſque inde, aut veriſimiles componit imagines: verùm res omninò extra te ſunt. Ac quamdiu voluntas obſtiterit ⁊ &

illis, quæcunque tandem fuerint, liberè eligendis non intenderit: in te quidem, sed sine te confictæ censendæ sunt. De hujusmodi phantasmatibus ratiocinari; aut, cur hæc potiùs, quàm illa formentur, disquirere: omninò superfluum est. Hæc enim divinæ Providentiæ ordinationi tribuenda. Non est omninò in voluntatis potestate, ut hæc phantasmata cohibeat; & in suo, ut ita dicam, sensûs interioris speculo non perspiciat: nec aliud planè ab ipsius pendet arbitrio, nisi ut eorum ictiem abrumpat, aut ad ea voluntariè non attendendo, penitùs contemnat. Non majorem ex primis his-ce motibus, quam ex somniis inter dormiendum contingentibus, reatum contrahit; nec magis in ejus sita sunt potestate, quam futuræ noctis somnia, cùm idem planè speculum utrasque species exhibeat: cujus adversus rationem rebellio uberem pœnitentiæ, ac sacrificij materiam præbet.

Motus secundò primi hi sunt, in quibus sensus ad illicitum objectum delectatione affici, & alliciente concupiscentiâ inordinatè propendere voluntas advertit; sed quamdiù obstiterit, illisque, ut pote divinæ legi contrariis, consensum liberè denegaverit: peccato ad summum veniali se maculat: ex eo forsitan quod hujusmodi concupiscentiam diutiùs adverterit, aut ad eam se se molliùs, aut negligentiùs habuerit.

Motus rationales hi sunt, quibus objecto planè cognito per consensum adhæremus, ut eo fruamur ad libitum; & hæc plena advertentia rationis illicitum objectum, sic cognitum acceptantis, mortale peccatum constituit.

Sed adductâ similitudine rem dilucidiùs explicemus.

Dum confluente maximâ multitudine iter quandoque ingrederis, turbam quidem circumspicis, nec potes eam non advertere; cœpto tamen quisque pergit itinere, nec aliud animo revoluis: Hæc est primi motûs ratio.

Ad aliquos ex promiscuâ multitudine forsan afficeris, & ad eos oculum convertis; sed attento periculo ipsum illicò revocans: institutum iter persequeris. Et hi quidem te progredientem secuti invitant ad colloquium; ad quod ipse vicissim propendens, raptim oculos reflectis: constanti tamen animo nec gradum reflectens, nec insequentes expectans, ulteriùs progrederis. En secundi motus delineatio.

Occurrit demum aliquis in quem ita affeceris, ut hærens in vestigio; quovis periculo, damnóque quod inde proventurum intelligis, neglecto: cum eo velis omninò sermonem miscere. En motûs rationalis nativa species. Penitùs enim subsistit; tentationémque, ut cum ea colloquatur, ac secum abducat: sciens, volénsque retinet.

Ad perfectum igitur consensum, rei illicitæ materiam *videre*, aut veluti cursim *attendere* non sufficit: nisi voluntas liberè acceptet, eíque adhæreat.

Notandum

Notandum etiam consensum ad mortiferum peccatum rem non esse ideò lubricam ac timoratus animus sibi fingit ; si enim quandoque in momento ac veluti sine sensu committatur : id illis solùm accidit, qui ex pravo animi habitu ad malum feruntur ; non verò rectis ac probis, qui malum peccati practicâ voluntate continuò detestantur, virtutísque bonum ex habitu concupiscunt : à quo nequeunt per consensum separari, quin se malum liberè complecti, eique adhærere velle apertè noverint. Alioqui vanos debent terrores excutere, qui ex falsa consensûs specie in imaginatione, quæ, veluti simia, rationem sæpius imitatur : non in voluntate, conficta processerunt.

Hunc de mortali peccato concludentes articulum, breviter asseramus summum esse malum, quod non potes satis abhorrere ; cujus pondus ad infernum usque pertingit ; ac de quo nimius dolor nequeat concipi : modò eâ semper animetur fiduciâ, quæ peccatricis animæ ad Deum revertentis amarissimam amaritudinem in pacem valeat convertere.

Veritas secunda.

PEccatum veniale voluntarium grave quoque malum est. Licet enim animam à Deo, uti mortale peccatum, omninò non separet ; ipsam tamen ex pravo divinæ voluntatis violandæ habitu, contractáque suis indulgendo cupiditatibus, debilitate : ad mortem spiritualem proximè disponit. Ipsi enim ejus desideria eâ ratione dominantur ; & graviori tentationi, quæ mortem procul dubio illatura sit: succumbendi exponunt periculo.

De hoc peccato illud sapientis effatum accipe. *Si non in timore Domini tenueris te instanter : citò subvertetur Domus tua.* Sensim namque timorem Domini, debitámque Deo reverentiam in anima minuit ; graviorísque tentationis insufflante vento : stragem infert quam maximam. Per peccatum verò veniale voluntarium cum actum intelligo ; quem etsi reipsâ peccatum esse noveris : ab eo tamen ideò nolis abstinere, quòd ex levitate materiæ mortiferum effici nequeat. *Eccli. 27.*

Qui hæc peccata vitare non statuit ; aut cuipiam hujusmodi voluntariè adhæserit : in spirituali stadio non multùm proficiet. Peccato enim vel minimo voluntas inhærens divino beneplacito formaliter refragatur ; ad quod tamen, ut spiritalis effici valeat : se se debet in omnibus conformare.

Peccatum igitur veniale voluntarium detestandum est : cùm vel in minimis divina voluntas absque gravi piaculo nequeat violari. Verùm si ex infirmitate, vel inconsiderantia forsan admittatur ; in spiritu humilitatis ad Deum illicò recurrendum est : ne mœroris immoderatio, quæ facile timoratos abripit, animum effringat, & ad pusillanimita-

tem dejiciat. Ad Deum, inquam, cum humili, ſed tranquillâ faciei ſuæ confuſione recurrendum eſt, ac removenda animi dejectio hujuſce veritatis conſideratione ⁊ peccatum ſcilicet veniale divinam gratiam in anima non extinguere ⁊ univerſáque venialia ſimul ſumpta, ne unicum quidem peccatum mortale poſſe efficere, quod tamen ſolum valet ab anima gratiam expellere.

Habes igitur qualiter hæc mali ſpecies debeat æſtimari ⁊ ipſius remedia: & unde concidentis, aut impatientis animi imbecillitas fulciatur, quem penſatis his-ce Pſalmiſtæ verbis juvat inter anguſtias ſuſten-
Pſalm. 4. tare. *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultûs mei & Deus meus.* Præſtat enim poſt hujuſmodi lapſum humilitati inſiſtere ⁊ quàm factum ſibimet exprobrando, tempus inutiliter abſumere: atque ita, ut plurimum, impatientiæ, & humanæ mentis ſuperbiæ motibus obſecundare.

Veritas tertia.

PEccatum veniale ex infirmitate, malum quoque eſt, ſed leve ⁊ ſæpiúſque, modo bonâ voluntate ſis præditus: ad bonum ſervandum, augendúmque conferre dignoſcitur.

De fide eſt neminem univerſa hujuſmodi peccata poſſe effugere ⁊ at, quamvis Deo juvante, unumquodque ſigillatim vitari queat: cuncta tamen generatim vitare non poſſumus.

Hujuſmodi peccata ex negligentia potiùs, aut imprudentia, quàm ex prava voluntate admittuntur. Cujuſdam rei exaggeratio, verbi gratia, in dicendo incogitanti excidit ⁊ verbulum in proximum elabitur: impatientia erumpit. Hæc ſimilia, ut vapores ex infirmitatis noſtræ fundo exurgentes ſolaris radius diſſipare ⁊ ſed & in rorem animæ proficuum valet convertere: dummodo firmiter duo ſtatuamus.

1. Ut quantùm Deo juvante poterimus, ab illis caveamus ⁊ quod cum perfecta noſtræ voluntatis cum divino beneplacito conſenſione: abſque impatientia, & deſideriorum immoderatione poſtulandum eſt. Hoc enim cum humili ſenſu quem de nobis gerere debemus convenit ⁊ ac divina Providentia motus hoſce inordinatos utilius ſanari poſſe prævidet, leves hujuſmodi lapſus permittendo: quàm ſi animam illis obnoxiam eſſe non fineret, vigentibus interim in ea hiſce deſideriis, amoris privati ſuperbiam, ac mollitiam foventibus.

2. Ut poſt lapſum pavos imitemur, qui conſpectâ pedum fœditate radiantes pennarum ſcutulas illicò complicant ⁊ & ad Deum humiliter converſi: ex infirmitatis noſtræ intuitu coram ipſo vileſcamus.

Hujuſmodi lapſus non impedient quominùs in illis voluntariè non perſiſtens, firmitérque ab eis abſtinere proponens in virtutis ſtadio proficiat ⁊ imò verò ſi in humilitate, cujus exercendæ præbent

occasionem, fideliter perstiterit: magis ac magis in illa promovebitur.

Impatientia in his lapsibus, ô Theotime, ipsismet lapsibus est deterior ⁊ sincerúsque humilitatis actus: contractam inde maculam abundantiùs eluit. Hæc de hoc malo tenenda sunt: quod quidem ex amore potius, quam ex formidine vitandum est: nec nos perturbare debet aut mœstitiâ vel leviter afficere. De hoc quippe differens Augustinus ⁊ *magnâ*, inquit, *divinæ Providentiæ dispensatione effectum est: quod infirmitatem culpæ à nobis omninò non abstulerit.* Hoc utique remedium viros spiritales in officio continet ⁊ cæteróśque utiliter erudit: dum post lapsum consurgere, ac per humilitatis viam docet incedere. Cùm anima post leviores hos lapsus admissos, dolorem unà cum suiipsius coram Deo vilitate ac contemptu gaudium concipere noverit: se in humilitate profecisse, ac esse robustiorem effectam indicium est.

Veritas quarta.

IMperfectio, perfectionísque defectus sunt quidem in bono defectiones: non verò mala. Inter mala tamen illa annumero ⁊ quòd talia plerumque à timoratis animis æstimentur: etsi sint à malis omninò distinguenda.

Imperfectionem appello quemlibet defectum, vel excessum, qui in actum bonum irrepserit ⁊ verbi gratia quando in corrigendo proximo zelus immoderatione verborum excessit ⁊ cùm in regularum observantia in remissionem aliquantulam, aut negligentiam, aut omissionem incidimus: ac denique in Charitate proximo exhibenda non satis cautè ac prudenter spectavimus quid res & tempus postulent, *&c.* Circa tales imperfectiones non est usquequaque scrupulosè ratiocinandum. Sponsa quæ sponsum diligit, vicissímque ab illo redamatur: suæ faciei maculas non adeò accuratè perquirit, ac eluit. In hoc pariter plus amori, quam scrupulosæ disquisitioni dandum est. Cúmque imperfectio aliqua deprehenditur ⁊ humiliter, ac imperturbata mente agnoscenda est: ejúsque defectus (si prudenter fieri possit) emendandus. Tunc quidquid posteà contigerit ⁊ te nullius conscium reputans, ac prudentiorem in posterum futurum confisus, quietâ tranquillâque mente consistas. Deinde bonis operibus pro more solito vacare debes: & ad Deum eâdem prorsus animi fiduciâ intendere. Qui enim ex ejusmodi imperfectione plus justò moveretur ⁊ ab humilitate deficeret: austerioremque Dei vultum in se meritò attraheret.

Per defectum verò perfectionis, quorumdam actuum defectum intelligo ⁊ qui cum sint sensibus graviores; & ad sublimiora consectanda procliviores: majorem utique amoris perfectionem indicant. Verum cum in Patris sui Domo multas esse mansiones Christus asseruerit ⁊

varios quoque esse ad consequendam gloriam perfectionis gradus, alios aliis superiores: minimè mirandum est. *Montes excelsi cervis,* Ps. 103. nobis verò *petra refugium* cum *herinaciis.* Ad supremum tamen amoris apicem suspirandum est, precibúsque continuis anhelandum: cúmque quidquid nostri muneris ac instituti ratio postulat, rectè constantérque, & cum Charitate studuerimus adimplere: ad montium sublimia, cervorum instar, vel incogitantes pertingemus.

Hæc veritatis placita, sic distincta in mente retine: cúmque circa illa pacem tuam impugnatam senseris: efficacissimum ad anxietates tuas propulsandas, sanandásque tibi remedium afferent.

Post lapsum, aut lapsûs opinionem ad has veritates confugito.

1. Te nihil aliud ex te ipso posse.

2. Deum paterno affectu humilium misereti.

3. Emendationis propositum cum magna in Deum fiducia concipiendum esse.

In fortuitis & inopinatis casibus has veritates perpende.

1. Dei respectu nihil esse fortuitum: omnia enim excepto peccato: sapientissimè decernit.

2. Nefas esse æternis illius decretis aliquid immutare, vel detrahere.

3. Tunc nos esse planè felices, cùm illis perfectè subjacemus: & ea opere implemus.

In dubiis circa voluntatis actus: útque utrum genuini sint, nécne, optimè cognoscas: ad hæc effata recurre.

1. Hujusmodi actuum veritatem à sensibili minimè pendére: & absque sensuum adminiculo reipsâ efformari. Quod Christi in horto orantis evidenter demonstrat exemplum: repugnat in eo natura ad sanguineum usque sudorem: dum perfectum sacrificium voluntas consummat.

2. Puriores sæpius esse absque sensibili voluntatis actus: tunc enim quæ sua sunt, minùs quærunt: sibíque blandiuntur.

3. Illos esse semper genuinos, cùm rationem ad volendum obfirmatam esse: nihílque velle huic proposito contrarium actu, vel consensu admittere: deprehendimus.

4. Cum voluntatis actus in effectum non transeunt, non esse concludendum illos proinde genuinos non fuisse; sed voluntatis, primis naturalis propensionis impulsibus succumbentis imbecillitatem tantummodò denotare.

In ariditatibus has veritates perpende.

1. Eas Deo permittente evenire, ut ille nos ipsos in nobis destruat: & ad se solum quærendum instruat.

2. Securiùs nos incedere, Deo mediis in tenebris deducente: quàm si clarâ luce ab Angelo perduceremur.

3. Eas ad spiritualem profectum, seu ad fugiendum malum, bonúm-ve prosequendum magis animæ conducere: quam si maximâ suavitate Deus illam perfunderet.

In contradictionibus denique (quas *persecutiones* nuncupas) quæ ab extrà inferuntur: has veritates animo perpende.

1. Deum eas à nobis facilè propulsurum: nisi ad probationem nostram perutiles prævidisset.

2. Nos præter id quod in nostra situm est potestate, nihil omninò posse ⁊ cætera omnia ejus esse voluntati committenda: qui cùm afflictorum partes tueatur, abundantioris tandem gratiæ largietur auxilium.

3. Rerum eventus, cùm ab ejus Providentia, non à nostra industria pendeant: ipsi esse committendos.

In quibusvis tribulationibus, hæc veritatis verba ausculta.

1. Tribulationem adversus mundi prosperitates, applausus, ac fallaces illecebras necessarium esse antidotum.

2. Tribulationem esse necessariam animæ, ut se à seipsa, à proximo, bonísque externis abalienet ⁊ ad Deum in necessitatibus recurrat: & illi soli adhæreat.

3. Necessariam esse denique, ut honorem Deo debitum inter labores & pugnas fidelis anima exhibeat: illúmque ex ordinatione sua, impensísque auxiliis præsentem agnoscat.

Verùm, si ad veritatem confugiens, ut ad mentis tranquillitatem redeas, turbulentis adhuc fluctibus concuteris: tempestatem illam in sensibus solummodò, non verò intra fundum animæ grassantem existima. Et hoc quidem summâ consolatione perfusus intelliges ⁊ dummodo Dei acquiescens beneplacito, spémque omnem tuam, fiduciámque in illo collocans: turbationis exitum præstoleris. Sicut enim cùm Æther horrendis fragoribus circumfremit, cuncti terrore perciti crucis signo se muniunt ⁊ ad aquam benedictam precésque confugiunt ⁊ ita Dei consilio in te oborta procella, ad majorem fiduciam tuíque ad ipsius beneplacitum conformationem te adigit: quoad usque imperet ventis & mari & fiat tranquillitas magna. Indè verò animam excellentissimâ ac jucundissimâ pace perfrui perhibetur: quod & in medio umbræ mortis firmiter, constantérque illam retineat. Cujus quidem pacis suavitas si non gustatur in sensibus, feliciori fœnore eò uberiùs cum Deo in anima possidetur. Verùm si constanter, fiducialiter, patienter, atque humiliter ad veritatis pedes steteris: abundantissimam illa in te pacem diffundet.

Multùm quidem pacem inter, pacísque sensum interest. Eáque de causa ipsam à filiis semper degustari Deus non sinit, quòd belli tempore vivant ⁊ unde tantùm ex ejusmodi tranquillitate, sensibilíque suavitate acciperent detrimenti: quantùm optimi pisces ex limpido fluvij

profluentis alveo in residem lutulentæ paludis aquam translati, quos vel statim emori, aut nihil nisi lutum sapere conspicimus. Id personis in sensibili suavitate nimium quiescentibus evenire, experientiâ teste didicimus: ideóque in eo statu diu residere Deus non permittit.

In pace optima, perutilique se constitutam anima persuasum habeat quandiù in firmo stat proposito fidelem se Deo exhibendi; ac in sancta ei adhærendi pertinacia perseverans, testimonium conscientiæ habeat: nihil in se velle servare & nutrire, quod ipsius amori adversetur.

Ad hujus pacis pretium evidentiùs cognoscendum, eum interrogemus: qui voluntariâ ignaviâ, ab ea deciderit. Porrò respondebit se non sine gravissimo suo damno, quod de pacificâ bonorum possessione vulgò dicitur, verum comperisse: nempè eorum pretium ex privatione maximè perspici. Enim verò ita comparata est hominum natura, ut his destituta graviùs moveatur, quorum vix afficiebatur possessione; quæque, cùm ex assuetis ut aiunt, non fiat passio: non magni pendebantur. Respondebit, inquam, se intimâ pace destitutum timori, conscientiæ angori, inopiæ, servitutique esse traditum; ac propheticæ vocis veritatem experimento suo didicisse: *cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccavimus.* *Thren. 5.*

Verùm ut prædicta faciliùs capias, filiorum familiàs exemplum attende; quos licet iis in paterna domo victus, vestitúsque ac cætera vitæ commoda abundè suppetant: effrænatioris tamen licentiæ libido ita abripit, ut rem omnem turpibus impensis profusissimè dissipent. Sed quid inter vitam inordinatam, subsidio destitutam, & à rectæ rationis tranquillitate extorrem: & vitam ordinatam, ac paternarum opum copiâ affluentem intersit illicò perspiciunt. Illius enim deliciæ ementitæ sunt: hujus verò genuinæ protsùs ac sinceræ; quæ animum eâ pacis abundantiâ perfundunt qualis in hac mortali vita valeat degustari. *Quid prodest homini momentaneam in sensibus pacem percipere; nullámque in mente, ac conscientia: pacem possidere.*

Deus pacis & dilectionis maneat semper in corde tuo, Theotime, tuísque precibus me plurimùm commendatum velim. Vale.

CAPITULUM VIII.

De humilitate & mentis ariditate. Respondetur quinque Quæstionibus circa hanc materiam propositis.

SIt Deus benedictus, ô Theotime; & ignem suæ Charitatis in nos diffundat: quo illuminemur, accendamur, & consummemur. Illo inquam, igne, cujus lux *illuminat omnem hominem venientem in hunc*

mundum: ſicut dicit D. Joannes ſui Evangelij initio. Et ideò diligenter cavendum nobis eſt: ne de illis ſimus, quibus poſteà ſic loquitur: *lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt.* Si quidem tenebræ illæ admiſſæ erant; & nutritæ à libertate rebelli, aut deſidioſa; & hæc cauſa erat, cur lux illa pulcherrima, eàdem ſuavitate, quàm ſuus ignis prædita: non comprehendebatur, nec tenebras illas diſſipabat.

Jampridem deſidero tuis reſponſum dare quæſtionibus; quia inde video te veros Dei filios æmulari: qui proprio judicio in rebus ſpiritualibus non fidunt. Chriſtus ad omnes loquitur dum dicit; *Si lumen quod in vobis eſt tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Omnibus etiam practicam hanc regulam tradit. *Qui facit veritatem, venit ad lucem: ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta*, & ſecundum veritatis regulas. Non debemus ergò proprij intellectûs lumini fidere: ſed ad Chriſtum tanquam ad unicum & verum lumen recurrere. *Matth. 6.* *Ioan. 3.*

Ad illud etiam nos remittit Propheta, *accedite ad illum*, inquiens, *& illuminamini.* Ipſe eſt enim qui tribuit ignem & lumen; Idque in mente habere debemus, quoties ab hominibus monita petimus, nempe ipſum Dei lumen effecturum: ut lumen ejus per hominem nobis reſplendeat quaſi per lampadis Ellychnium, quod accenditur. *Pſalm. 33.*

Quæſtiones à te propoſitæ ſatis amplas requirunt reſponſiones, quibus ita dilucidentur, ut nulla errandi occaſio menti tuæ relinquatur; nec ſinatur ultrà tua voluntas ad bonum propenſa ſuas in ſpeculationibus, variiſque ideis vires abſumere: ſed totas in practico Dei amore impendas. Hac de cauſa, cum per otium nunc liceat, expectationis tuæ uſuras per extenſius reſponſum tibi ſolvere propono.

PRIMA QUÆSTIO.

De humilitate quam Deo, & proximo propter Deum debemus: cujus tres gradus ipſemet tibi aſſignas.

1. *Vituperium & cenſuram non timere;*
2. *Contradictiones ſine perturbatione ſufferre:*
3. *Ex humiliatione delectari.*

NOn diſcitur humilitas, ô Theotime, vel ut convenientiùs loquar, non intelligitur quid ſit humilitas: niſi ut quiſque in ea proficit ac progreditur. Horret eam mundus; Quare? Quia non novit illam, ſéque incapacem efficit eam agnoſcendi; quippe qui ægrotos illos imitatur, qui non ſanantur eò quod nolint remediis uti: imò ſtomachantur quando eis proponuntur.

Credit humilitatem eſſe abjectum quid, vile ac contemptibile; at in hoc ſicut in multis aliis graviter fallitur: quia nihil verà humilitate nobilius, generoſius, & ab omni dominatione liberius eſt. Ipſa

enim se constituit supra omnes homines, quasi non valentes esse humilitatis objecta, cum merum nihil sint. Séque propter illos humiliare: est nihilum cum nihilo tantummodò comparare. Ecquid potest nihilum de nihilo sibi jure merito asserere?

Humilitas solum Deum pro objecto habet ; quippe cui nihilum totum debeat: cum solus ille sit qui eo possit uti ad mirabilia opera componenda. Ac quoties aliud sibi objectum proponit: à sua nobilitate degenerat, & sit pusillanimis. Verum cùm pura est, nihil ipsâ nobilius est atque generosius: totum enim Deo, & nihil creaturæ, qualiscumque sit, tribuit. Hoc modo se supra mundum evehit, cùm illum quasi nihilum reputet ; sicque singularem Dei similitudinem

Isaia 60. recipit: in cujus conspectu *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Deus quoque illi est omnia: cætera verò pro nihilo habet.

Anima in humilitate proficiens, omnem superat timorem ; quia omnem in Deo fiduciam collocat: qui ei fit *turris fortitudinis à facie*

Psalm. 60. *inimici.* Non timet mortem, nec varios vitæ eventus: nam voluntas ejus Deo plenè ac perfectè subdita est. Non contemptus, non hominum repulsas, quod in hac vita naturæ humanæ durissimum est: reformidat. In Domino enim simpliciter & absolutè confidit, nec naturæ aversionibus attendit ; sed gratiæ auxilium à divina Providentia sperat, quo vincat omnia: & quidquid eveniat, in sacrificium Deo offert, si permittat illud sibi contingere.

Omnia pacificè aggreditur ; nec ad ea quæ sibi injunguntur, attendit: Deum enim habet pro obside, pro auxilio, pro omnibus. Quid ergo nobilius potest desiderari, quid generosius, quid liberius vera humilitate? At supra omnia inde elevatur, quod à Dei Filio assumpta sit in sociam ; eâ fuerit ille vestitus, ut sacratam redderet: & ab eo nobilitata sit, ut filij Adam illam faciliùs amplecterentur quasi summum & efficax contra superbiæ phrænesim, remedium. Sicque Filij Dei honoratur contubernio, assumptione, sacræ ejus humanitati adhæsione, quam ubique comitata est in via humilitatis ab ea arreptæ ; quæ *mi-*

Luca 1. *rabilis est*: quia mundum universum salvavit ; *generosa*: quia uni-

1. Corint. 1. versas mundi & inferni potestates superavit ; & *Charitate plena*: quia omnia pertulit ad Deum honorandum, & ad eorum, qui sectando humilitatem, veritatem insequuntur, profectum procurandum. Porrò ipsa est, quâ Deus *fecit potentiam in brachio suo* ; & ostendit, *quod stultum Dei est: sapientius esse omnibus hominibus.*

Dirum hominis vulnus, ô Theotime, est superbia ; quæ destructæ in ejus ratione veritati altam suiipsius opinionem substituit: illúmque in cæcitatis noctem immittit, in qua quis & qualis sit, penitùs ignorat. Ex hoc vulnere, omnia peccata, & mundi inordinationes nascuntur, quæ sunt veluti sanies ex illo egrediens: at humilitas unicum hujus

hujus vulneris remedium est, magnúmque Dei donum. Luminis splendori, quod nos mediis in tenebris illuminat, comparari potest ; ejus enim beneficio videmus quid Deus sit, & quid simus : & sine eo in noctis illius, quam efficit superbia, in qua ratio posita miserrimè tantùm ratiocinaretur, atque res discerneret, tenebris maneremus.

Sed insuper, ô Theotime, pro certo habeo ad regiminis Dei suavitatem pertinere ; ut paulatim & per gradus lumen illud in nobis splendere faciat : quia superbiæ nostræ plaga semper tenera & delicata existens, leni manu tangenda est. Nostri oculi adeò teneri sunt, ut lux eis prudenter admovenda sit, ne illorum acies perstringatur : sed sensim ostendenda, donec ejus splendori sustinendo assueverint.

Si lumen illud nobis repentè & plenè ostenderet quales sumus ; anima, mens, córque ipsum quasi in terram corruerent : nec oculos ad se valerent convertere. Hæc est ratio cur regiminis Dei suavitas non solet humilitatis lumine nobis quid reipsa sumus, exhibere, nisi sensim, ac prout in Charitate proficimus.

Ex jam dictis agnoscere debes, charissime, humilitatem esse aliquid ab hominum opinione valdè alienum ; à Deo procedere : & ad eam obtinendam levandos esse cum Davide oculos nostros in montes cælestes, unde veniat auxilium nobis in valle semper stantibus. Intelligere etiam te oportet, nobilissimam hanc virtutem respectus humanos non admittere : qui certè in causa sunt, cur humilitas tam infirma sæpius reperiatur. Fortis quidem esset, instar vini meri : nisi accideret humani respectus admixtio.

Sed insuper scire debes humilitatem à multis virtutum studiosis non satis agnosci : illosque servilem ac pusillanimem subjectionem pro humilitate accipere. Putant, ut quis humilis censeatur, debere nemini contradicere ; neminem reprehendere, aut corripere ; sed è contrà, omnia, peccato excepto, facienda esse atque credenda ; nulla contemptuum atque injuriarum affici molestiâ ; nec hominum calumniis esse respondendum : cum ratio earum consecutiones & causas valet coërcere. At nihil eorum omnium est humilitas: idque Christus ipse suo nobis exemplo comprobavit. Etenim ipse repondit, contradixit, petita denegavit, reprehendit, corripuit, séque defendit : ut videre est, quando iis qui illum dæmonium habere dicebant. Sic enim respondit ; *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum : vos autem inhonorastis me.* Et tandem magnas in seipso contradictiones pertulit : quæ ad conquestus usque pervenêre. Quod testatur ejus Oratio in horto facta : & derelictio in cruce. Sed & in Psalmis de Juda proditore per os David sic loquitur ; *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi : sustinuissem utique. Et si his qui oderat me, super me magna locutus fuisset : abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, qui simul* Ioan. 8. v. 49. Psalm. 54.

mecum dulces capiebas cibos : &c. Hæc omnia fecit Christus, ô Theotime : nec inde destitit esse perfectè humilis. Quia hoc ordinatissimè fiebat, aderatque exinanitionis spiritus, quo perfectè cohærebat voluntati Patris cælestis; & actum lenitas & patientia comitabantur ⁊ quæ sunt quasi lapides Lydij, quibus dignoscitur ab humilitate non discedi : quando bona fide creditur honorem Dei requirere, ut ita agatur. Lenitas debet actum exercere, & patientia opus coronare; ut quando successus intentioni agentis non correspondet ⁊ sed resistentia, contemptus, persecutio, & calumnia in verticem humiliati descendunt: sacrificium humilitatis tunc Deo offerat ad exemplum filij Dei, qui sicut agnus coram tondente se obmutescit, pro persecutoribus orat: & conatur apud Deum crimen crucifigentium se excusare. Sic, sic patientia debet probare, & consummare humilitatem. Sed patientiam voluntariam intellige : ne in errorem labaris ex repugnantia naturali quam nihili debes facere. Sive enim sentiatur, sive non : nihil utique refert dummodò à voluntate superetur.

Ut autem tibi definiam humilitatem qualem illam capio : hæc dico, *Est virtus Deum habens pro objecto, quâ eum æstimamus prout verè est : eique reddimus quod debemus. Nos verò, ac cæteras creaturas tantummodò consideramus prout sunt coram eo ⁊ Nihil eis attribuimus ultra debitum & in eis tantùm attendimus quod gratia & ordo providentiæ posuit & operata sunt: semper distinguendo quid sint per se, & quid à Deo habeant, ac debita officia eis exhibendo ex respectu ad gratiam & ordinationem Dei, ejúsque Providentiam.*

Hanc definitionem paulò latiùs extendo, & quædam ibi repeto: sed ut faciliùs eam intelliges, ejúsque substantiam & praxim simul comprehendas. Indè enim dignoscitur fundum humilitatis consistere in propria annihilatione coram Deo, voluntate & opere exhibita, nihil à nobis sperando, sed totum ab illo; gloriam ei de omnibus tribuendo ⁊ ejúsque Providentiæ dispositionibus nos totaliter subjiciendo : propriúmque judicium errori & inconstantiæ semper obnoxium æstimando. Ecce quale debet esse fundum & interior nostræ humilitatis dispositio : animáque, ut humilis sit, nunquam coram Deo apparere debet ejusmodi propriæ voluntatis propositis & dispositionibus destituta.

In praxi exteriori debet semper se gerere quasi se ut nihilum reputans, agendo simpliciter sine ostentatione, aut voluntario desiderio applausus, aut æstimationem sibi conciliandi ⁊ nihil unquam ostendens quod fastum, aut proximi dedignationem redoleat : sed modestiam exhibens omnibus gratam ⁊ superioribus subdita, æqualibus condescendens, inferioribus compatiens: se tandem solam habere debet contemptui, cujus justa causa in suo peccato semper subsistit ⁊ & si quid contemnat in proximo, solum peccatum sit : in hoc etiam ei

compatiendo & agnoſcendo ſe eſſe capacem omnis mali, quod fecit & facere poteſt proximus.

Nihil etiam in hominibus æſtimare debet, niſi quod Deus in eis poſuit ˥ & indè fit ; ut qui verè humilis eſt Reges, Principes, & mundanas poteſtates, quaſi nihilum ante Deum conſideret. Cúmque eis ſe ſubjicit non eis propriè, ſed adorando Providentiæ ordini ſe ſubdit : quam æquè honorat in malis ac in bonis. Si ſic æſtimat ac pro nihilo reputat gloriam mundi & homines, qui verè humilis eſt, quid cenſet de illorum opinione? non examinat an verum, aut falſum dicant, quando ab eis laudatur ˥ ſed ad Deum refert quæ dicuntur : eíque relinquit diſcernere, an verum ſit. Rejicere tamen conatur quæ ſibi tribuuntur, quando novit non eſſe vera. Cùm autem ab iiſdem hominibus contemptum, aut perſecutionem patitur, apprimè novit nullo jure ab eis id fieri ˥ cùm miſeri homines ſint, ſicur & ipſe : iſtámque non rejicit notionem, quia juſtiſſima eſt & veriſſima. Sed ſtatim oculos in ordinem divinæ Providentiæ injiciendo, ac deinde in propria peccata pro quibus quemlibet contemptum meretur ˥ & ſacram Chriſti Humanitatem aſpiciendo, qui ad perficiendum noſtræ Redemptionis ſacrificium ſaturatus eſt opprobriis : illatarum ſibi injuriarum ſufferentiam conſiderat quaſi actum juſtitiæ quæ Deo & amori Redemptoris ſui debetur : hominéſque illos quaſi executores juſtitiæ, & Providentiæ Dei erga ſe exiſtimat.

In iſtis caſibus voluntatis oculos prima fronte conjicit in abjectionem, ut eam amplexetur quaſi quid pretioſum ˥ quippè quæ ſimilitudinem Chriſti in ſe imprimat ; & poſteà leniter reddit rationem de veritate, redditæ rationis ſucceſſum divino beneplacito relinquendo, ſicut Chriſtus ipſe egit circa calumniatores & crucifixores ſuos.

Porrò qualiter ſe gerere debet anima quæ verè humilis eſt ? In humiliationibus, quæ ex parte Dei ei eveniunt, offert ſacrificium laudis ˥ in his quæ procedunt ex parte hominum, juſtitiæ ſacrificium offert : & in his quæ ex fundo propriæ miſeriæ prodeunt, hoſtiam offert confeſſionis adinſtar D. Pauli dicentis. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Quæ eſt iſta virtus Chriſti ? humilitas, quippe qui per illam operatus eſt ſalutem noſtram ; ac Deo infinitam exhibuit gloriam, quam ſibi & etiam nobis acquiſivit.

Indè facile poteſt agnoſci ex humilitate veram requiem infallibiliter enaſci in anima ˥ per ſubmiſſionem enim Deo unitur qui centrum ejus eſt ; per ſui-ipſius diffidentiam efficitur à proprio ſenſu ſoluta ˥ & ex vero judicio de creaturarum nihilo quod ſibi format, ſpoliat ſe levi negotio eâ re quæ inquietudinem facilè generat, vanâ nempè hominum complacentiâ ˥ mundíque opinione atque anxio timore contemptûs ; ex quibus tempeſtates ferè continuæ excitantur in paſſionibus

quas ventus superbiæ commovet. Hæ quidem tempestates minuuntur eâ mensura qua ventus sedatur ; at non sperandum est videre unquam superbiam plenè extinctam in nobis quamdiu in hac vita vivemus. Similis enim est *Iota* Græcorum quod nunquam perditur, cujus loco accentus subrogatus remanet.

Voluntatis Dei est ut malum illud sentiamus: & indè ad remedium humilitatis recurramus, eóque benè utamur. Quod remedium ubique nobiscum deferre debemus, ut præservet nos; illúdque applicemus huic veneno statim atque tangit nos, ut sanemur.

In his, ni fallor, reperies responsum ad primum tuæ quæstionis articulum ; ibi enim videre tibi licet quam humilitatem debeas exhibere Deo; & quam hominibus propter Deum. Ad alios ergò articulos transeamus, qui spectant gradus humilitatis exercitæ eo modo quo illos proponis.

Gradus illi, quos proponis, non timere vituperium, nec censuras, ferre contradictiones absque turbatione, imò indè delectari, sublimes sunt; at satis erit si in voluntate generosa existant, quæ ad istos aspiret gradus & ad illos ascendere contendat. Hanc semper clausulam suo proposito addendo: *non obstantibus sensuum & naturæ repugnantiis.* Et ideò sic dicendum est. Non timebo vituperia & redargutiones ; & quamvis timoris motus in me excitatos sentiam: illos Deo juvante superabo. Libenter feram contradictiones, neglectis naturæ contrarietatibus ; voluntariè coram Deo gaudebo humiliari: non obstante naturæ aversione.

Sic sic, Charissimè, res apud te statuenda est & proponenda: ut agas secundum Regulas veritatis & justitiæ. Verum quidem est ex reportatis sæpius victoriis, & ex habitu virtutis effici: ut motus illi temperentur, & rationi subditiores evadant. At de homine animali sentiendum est sicut de cicuratis belluis; quæ semper ad libertatem naturalem propendunt, eámque resumere inopinatè attentant. Illi ergò non magis fidendum est, quam istis.

Optare & expectare ut sensus naturales sic amore & æstimatione humilitatis perfundantur, ut plenè tranquillati nullam amplius humiliationis ferendæ aversionem sentiant; id esset profectò magnam remunerationem à Deo in hac vita velle exigere. Hunc quidem statum à piis personis Deus nonnunquam gustari concedit, & tunc internâ quiete fruuntur, quæ potest comparari ei levamini quod experitur æger ossis luxationem passus, quando os illud in suo loco repositum est. At Deus id tantùm in actu transeunte efficit ; & vix exemplum reperitur concessæ hujusmodi quietis in actu permanente; id enim esset finem certamini imponere ante egressum è theatro, in quo nos tantùm ad certandum relinquit.

Illam ergò optabilem quietem plus minúsve concedit secundum

consilium suæ voluntatis. At anima verè humilis non fidit, aut expectat sensus sic subditos reperire, ut nec superbiæ motus, nec contradictiones ibi appareant, & cum illorum sentit accessum: indè occasionem sumit humiliandi se coram Deo, puriori & fortiori modo quàm si contradictionibus careret. In suum nihilum penitiùs intrat, dum ei sensibiliùs manifestatur; eòque utitur ad offerenda sacrificia Dei magnitudini, quam eò intimiùs agnoscit & honorat: quò clariùs perspicit se esse miserrimum nihilum, & in se nihil aliud habere, quàm germen omnium inordinationum, quod est superbia.

At tunc quid ei agendum? apud Deum se recolliget, & quietabit, atque volupè erit illum intueri supra omnia, & quasi unicum ens supremum; seipsam verò considerabit quasi nihilo longè inferiorem. Debet eum imitari, quem delectat aspicere turrim altam, quique humi se prosternit: ut altiorem adhuc videre gaudeat, quam si in pedes staret.

Habes qualiter intelligendi sunt gradus illi, qui modo quasi nativo in anima vigebunt quando humilitatis radix in ea plantata, & fixa fuerit; cujus fructus voluntas feret per actus sibi proprios & liberos, qui virtuti, sicut & peccato, ultimam formam tribuunt. At non magis in ejus libertate est sensum repugnantiæ impedire; quam efficere ut palmes è radice non pullulet. Palmes quidem potest avelli dum apparet; sed impediri non potest, quin nascatur.

Mente complectere & retine quæ de sensu naturali diximus; sive se se prodat, sive non; utrúmque pro nihilo reputandum est. Cum anima habitum sumpserit sic se circà sensum gerendi, sensibile illud sæpe evanescet, vel accedere non audebit, ita se despectum videns; at quamdiu anima illud æstimat aliquid esse inde insolescit, & Dæmon eo utitur ad inquietudinem animæ ingerendam. Quid notabile hîc tibi dictum est, ô Theotime; eo igitur, ut par est, utere.

Ne curiosè scire cupias in quo humilitatis gradu existas; nam eximia illa virtus se sibi occultat. Anima verè humilis non credit se esse humilem; idque si Deus ei demonstret, pacificè quidem intuetur: at indè accenditur ad profundius se in suo nihilo immergendum. Agnoscit enim virtutem illam non esse fructum è suo fundo prodeuntem; sed è manu Dei, qui per gratiam suam hoc virtutis germen ibi seminavit.



QUÆSTIO SECUNDA.

Quid remedij afferri potest nausæis, & debilitatibus, quæ in statu ariditatis & tenebrarum sentiuntur: & quonam pacto anima in hoc inopiæ spiritualis statu possit esse contenta.

SE se considerandum est quasi egenum, quem Deum delectat videre ad januam suam expectantem. Et ibi stare patienter oportet, ac contentum esse, quòd Deo ita placeat.

Id valdè succinctum est, ô Theotime, at non ideò minus verum. Si hîc me sisterem, siccè me velle respondere circa ariditatem arbitrareris; itaque, ut contendam lenire dolorem istius vulneris, quod sæpius te pungit: colloquium instituamus de causis & rationibus ejusmodi Dei ergà filios suos regiminis.

Sæpè cogitavi, & dixi, quod si quid esset undè de Deo possemus conqueri; quæstio circà ejus amorem versaretur, cur in hac vita nesciamus, an in ejus dilectione certò simus constituti, & in quo gradu eum diligamus. Possemus, ut mihi videtur, illi dicere, ô fons Charitatis, totus Charitas es, & unicè desideras, ut te diligamus. Filius tuus dilectus in carne assumpta nihil aliud nobis prædicavit, & spiritus tuus ipsemet ignem veri amoris venit mittere in terram? quare ergò in ea incertitudine vis nos esse, quam exprimunt Sacræ litteræ, *nemo* inquiunt, *scit utrum amore, an odio dignus sit?* Eccl. cap. 9.

Veritatem protulit Propheta quæ nullam admittit exceptionem, *omnia*, inquit, *in Sapientia fecisti.* At arcano paterni ejus regiminis tribuendum est, quod nobis in hac vita concedere noluerit certitudinem fidei de ejus in nos amore & de nostra existentia in statu gratiæ: sed tantùm certitudinem fiduciæ. Filiis enim illis similes sumus cum quibus prudenter & circumspectè patres se gerere debent, & quos in quodam suspensionis statu detinent circa ea quæ à patre sperant; ut in submissione & reverentia contineantur.

Certitudo fidei, ô Theotime, nos in quamdam tranquillitatem injecisset, ex qua in socordiam & peccandi facilitatem decidissemus, & indè in relaxationem; at certitudo, quæ fiduciæ tantùm est, spem semper exercet, eámque nutrit.

Timor qui animæ supervenit, utilis est, eámque incitat ad se securiorem efficiendam de amore & gratia. Timet semper non amare, quamvis verè amet; sicque Gratiam semper prosequitur, ut ei proximior efficiatur. Sub hâc suavi ignorantia crescit, ejúsque diligentia in quærendo, removet eam à scopulo desidiosæ familiaritatis, & congregat

thesaurum gratiæ in sinu Patris Cælestis, quem ei servat, licet qualis sit non ostendat: ut semper thesaurisare studeat, ac si nunc inciperet. Sic Pater Cælestis sapientissimè à nobis attrahit reverentiam & timorem ⁊ & complacet sibi videndo nos progressum magnum facere in bonis æternis sub velo secreti, quod ei eò gratius est, quò à proprio commodo remotius, humilius, & amorosius est.

Simili prorsus consilio & ab amore eodem proveniente, eadémque sapientia filios per ariditatem exercet.

Qui vult venire post me, inquit Christus, *abneget semetipsum & sequatur me.* In his verbis, tituli, qualitates, & hominis Christiani excellentia continentur, qui partem in Christi hæreditate habere non potest nisi eum sequatur: nec sequi potest, nisi crucem ad illius exemplum tollat. Hanc autem ferre non potest, nisi semetipsum abneget. Hæreditati ergò necesse est, ut renunciet, vel per ista exercitia transeat.

Necessitas crucem ferendi satis apparet ex dispositione illa Patris æterni qui eam pro proprio Filio selegit, & docet nos experientia quod mentium nostrarum superbia & cordium inordinatio hoc suavi pondere indigent, quasi libramento quo à tam facilè sequendo itinere propriorum desideriorum & cogitationum retrahuntur.

Crux Sceptrum est Regni Christi practici, ac virga directionis quâ ad se nos revocat per gradus libertatis generosæ ⁊ sed sui ipsius abnegatio est unicum medium, quo crux benè tractetur, & portetur cum effectu, juxta Christi propositum, & hac de causa abnegatio illa, prima ab eo nominatur, ut sciamus eam esse veluti manum, quâ crux teneatur, & pedem quo ambulandum est ad Christum sequendum.

Indè constat, Charissime, impossibile esse sine abnegatione crucem portare, Christúmque sequi. At sciendum tibi est abnegationem habere varias classes, sicut scholam optimè ordinatam ⁊ harúmque supremam in qua compendiosa & mirabili methodo abnegatio discitur; esse classem ariditatis. Nec quemquam posse esse apprimè eruditum in ea abnegationis scientia; quin diù & multùm in ea classe studuerit.

Abnegatio quæ vitiorum est, rationi nativum quid esse censendum est. Per se enim videt vitium esse quasi humorem noxium ex fundo corrupto procedentem, contra quem præcautionibus & remediis utendum est ei, qui vult sibi ipsi esse utilis. Abnegatio quæ bonorum est exteriorum, ad id tantùm spectat quod extra nos est. At illa quæ practicè fit in sensibili affectu boni quo anima se sentit per ariditatem spoliatam; est omnium mediorum optimum ad *seipsum* integrè abnegandum. In illo enim discrimine, illud *seipsum* abnegationis materia simul & forma est, sicut & sacrificij victima. Ibi ratio cum reliquis affectibus immolatam se reperit, nec aliam videt immolationis materiam quam

ſeipſam ; ſed ſic feliciter ad deſiderandum Deum pro Deo ; & virtutem pro Deo ſolo diſponitur.

Peccatum non tantum inordinationem paſſionum in corde introduxit, & evagationem cogitationum in mente ; ſed etiam in ipſam animam ſecretum virus infudit propriæ opinionis, maximè circa bonum per ſe agendum ; adhæſionis propriæ induſtriæ, complacentiæ atque erroris, quod virus tam ſubtile, tam occultum, & tam altè infixum eſt; ut vix percipiatur. Nunquam homo per quodlibet ſtudium & induſtriam poſſet uſque ad illud, pertingere. Virus enim illud totum ſpirituale eſt, & adhuc ſpiritualius facili negotio efficitur in piis animabus, quæ Dei totaliter eſſe deſiderant. Opus ergò eſt ut Dei miſericordia propriâ manu in hac re utatur ; animámque in eo ſtatu ponat, quo ſenſibiliter videat inſufficientiam propriam ad ſeipſâ utendum prout deſideraret; & ad bonum peragendum, prout illud agnoſcit & optat.

Id autem optimè exequitur ariditas, exſiccando in anima ſenſum boni, & relinquendo eam quaſi omnibus deſtitutam ; exceptâ ſolâ voluntate, quà obfirmata remanet in ſua Deo adhæſione. Status verò ille eò doloroſior eſt, quò anima amplius convicta eſt de verò & unico bono, illúdque avidiùs deſiderat. Sed ſtatus ille velut ignis eſt per quem ſi ſudare cogitur ; id fit ut evaporentur humores illi noxij & intimi quos ſuprà deſcripſimus. Si intumeſcat privationis hujus ebullitio ; id fit, ut ex illa effumatione purior fiat intentio ; & fructus operum *dilecti gutture digniores*, ut loquitur cantici ſponſa, efficiantur.

Paſſionum inordinationes per generoſam reſiſtentiam refrænantur, & per negationem ac repulſam quam mortificatio operatur ; animi evagationes temperari poſſunt per lenitatem, & per voluntariam reſciſſionem conſiderationum inutilium ; at venenum illud intimum ſolo ariditatis remedio purgari poteſt ; indéque anima, vera recipit media quibus ſui ipſius poſſit recuperare poſſeſſionem per patientiam, & per probatam in Deum fiduciam. Ipſa eſt *caminus ille humiliationis in quo homines receptibiles probantur.* Parum eſſet cordis motus refrænaſſe & animum cohibuiſſe, niſi adhibitum eſſet illud ſupremum ariditatis remedium, quo à propria exiſtimatione, complacentia, & adhæſione ſpirituali anima exoneratur ; in qua ſi remaneret virus illud, ſtatim ibi ſuperbia abundè germinaret.

Eccleſiaſt. cap 2.

Ab illa probatione egrediens (quæ quidem Magiſtri manus conciſè & per gradus, & cum convenientiſſima proportione exequitur) ſentit quid ferè ſimile ſibi accidiſſe, quod D. Paulo evenit miraculosè, & ab interioribus oculis quaſi ſquammas excidiſſe, quibus à clarè perſpiciendo impediebatur ; enim verò videt quod non priùs videbat, & aliter quàm priùs de pluribus judicat.

Idem Apoſtolus, Theotime, ſubtiliter nobis explicat permixtionem quæ in nobis eſt, & neceſſitatem unum ab alio ſeparandi cum dicit,

vivus

vivus est sermo Dei & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum & discretor cogitationum cordis. Materiali comparatione utitur ad exprimendam nobis rem merè spiritualem, & ad intimandam necessitatem destruendi, & dividendi in intimo animæ, ubi in privato amore subtilitas reperitur circà bona spiritualia; sicut in homine animali crassa propensio invenitur circa bona terrena. Ad id gladio merè spirituali opus est, qui usque ad animam pertingat ⁊ at solus omnipotens Dei sermo, per ariditatis probationem id efficere solet; & eâ postremâ utitur, ut primus profundiùs penetret. Hujus rei exemplum habemus in sponsa Cantici quæ in ariditate versabatur antequam sponsus ei loqueretur; & cujus anima liquefacta est, statim atque locutus est. Quod liquefit, prius durum & siccum fuisse certum est. Unde innotescit quod per ariditatem illam disponeretur ad se sic suaviter liquefaciendum. Indè ergò sequentes conclusiones eruendæ sunt. Ad Hebr. cap. 4.

1. Nos non posse, ut par est, agnoscere quid sumus, nec qualis sit status animæ nostræ erga Deum, nisi ariditatis probatione & experimento; mortificationis exercitium vitia relecat, & patientia jacturas rerum exteriorum superat, sed ariditas nos ipsos à nobis resecat. Coquit ad purum, ut loquitur Propheta, scoriam animæ quæ non minùs indiget hac scoria purgari, quàm cor & membra. Separat pretiosum à vili ⁊ exhibet quid Deus nobis est, & quid sumus, & efficit ut arescat virtus, & durescat sicut testa in igne posita. Sic loquitur Christus ipse per os David, & dicit, *aruit sicut testa virtus mea*, nisi etiam virtus nostra priùs siccata esset, & quasi per ariditatis exercitium cocta, consolationum cælestium aquas non posset recipere aut servare; sicut nec vas figuli aquam, antequam per fornacem transeat.

2. Cum ariditas sit abnegationis probatio & expurgatio, non possemus secundum communem viam, absque ea ad unionem cum Deo pervenire, nec ad suavitatem illius degustandam disponi; unio enim illa integram nostri spoliationem requirit, & gustus ille nativi modi gustandi atque sentiendi rationis correctionem postulat.

Secundum communem & ordinariam viam dico ⁊ nam missis extraordinariis gratiæ cælestis operationibus, Deus vult libertatem nostram certis circumdare mediis, quibus suaviter urgeatur: ut secundum ordinem naturalem agat, supernaturali auxilio adjuta. Per gradus eam conscendere facit ⁊ nec à fine ad finem perducit omissis mediis, nisi rarissimè; hæc enim via miraculosa est. S. Teresia pro prognostico gratiarum & consolationum cælestium sibi è cælo immittendarum habebat laboriosum ariditatis statum in quo versabatur; & secundum hujus gradum de illarum quantitate judicabat. In hac discretione possumus illam imitari ex sincera & humili in Deum fiducia; bonúmque augu-

rium nobis ex ariditate assumere. Si subtilis sit, signum est, Deum indè velle animam ad sublimiorem unionem elevare; ad quam eò perfectiùs disponetur, quò spoliatio ex ariditate proveniens erit subtilior.

Instabis & dices, sed undè provenit ista pœnæ ex ariditate vehementia? Id ex duabus causis nascitur; quarum altera est amor propriæ satisfactionis, cujus privatio sensibilis est, quantùm res, quâ privamur, animæ propinquior, eique convenientior est. At cùm sensus Dei, bonorúmque supernaturalium, id sit undè amplius delectetur; & ex eorum jam experto gustu cognoverit illud esse quod ei unicè conveniat; indè fit ut eorum privatio usque ad ejus imum penetret, & pœnam sentiat qualemcúmque dolorem superâtem ex aliarum rerum privatione procedentem. Tirones in vita spirituali, id graviùs sentiunt, quam alij, ex amore privato bonorum spiritualium, qui in eis vivacior est, & indè effectus producitur, ei similis, quem sentit homo calefactus, dum repentino frigore corripitur, quod eò sensibiliùs penetrat, quò pori ex prævio calore apertiores sunt. At dolor ille mitigatur eâ proportione quâ amor privatus in hoc *camino paupertatis*, ut loquitur Isaïas Propheta, evaporatur. Ita ut tandem anima hac scoriâ purgata & purificata inter ista, mansueta, tranquilla, & humilis remaneat; ac super se accersat idem quod mulieri Chananeæ evenit. Deus enim videndo ejus patientiam fiduciæ sociatam; effundit super eam magnam consolationem & sensûs suæ præsentiæ abundantiam. Sic omnia circà se reperit, à quibus longiùs discessisset, si ad anxiè quærendum fervorem sensibilem se tradidisset; imò per vias errasset, atque indè diutiùs privata pace intimâ remansisset.

Magnum remedium huic primæ causæ ariditatis applicandum, tibi satis, Theotime, expressum & traditum habes in his quæ jam suprà diximus; undè tibi propositum Dei in ariditatis exercitio designatur; huic autem proposito acquiescendum est eâ submissione, quam bono patri bonus filius exhibere debet, & æger medico; propriæ satisfactioni renunciando, & calicem ariditatis accipiendo, ac veluti salutare medicamentum superatâ naturali repugnantiâ epotando.

Instabis & dices ex ista repugnantia majorem tibi provenire dolorem. Videtur enim tibi quod quantumlibet bonam habeas voluntatem ferendi patienter statum illum, id exequi non vales; quia quasi coactè eum toleras, & si janua aperta tibi esset, proculdubio effugeres. Una est è tuis quæstionibus, cui infrà respondebimus. At tibi interim dicendum est te errore in hac opinione duci: velles enim sacrificium offerre absque ulla immolatione. Ista, quam sentis, repugnantia, sive aversio est victima sacrificij, quæ etsi non rarò trahenda sit, sicut animal quod ad victimam ducitur: nihil refert dummodo in honorem Dei immoletur. Hæc repugnantia amoris privati genimen est; quod renunciationis ictu feriri potest. Ecquid in sacrificio mactaretur, si

nihil ſenſibile reperiretur? at ſenſim venio ad alteram iſtius pœnæ cauſam, nempè *ignorantiam*, quæ ſæpius primam cauſam nutrit & auget. Hæc autem per documenta diſſipari debet.

Putas Deum te deſerere, ſed ab hoc propoſito longè diſtat. Agit enim tantùm amici adinſtar qui in tenebris lumen tibi extinguit, ut videat quam perſonam in hoc ſtatu geras; ſed manet & exiſtit circa te ſicut priùs, cùm ea tantùm differentia, ut eum non plus videas, quàm ſi de facto te deſeruiſſet. Huic exercitio aſſueta erat ſponſa Cantici, & piis perſonis in ariditate conſtitutis iſta verba inſcribit. *En ecce ſtat poſt parietem noſtrum aſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Bis repetit *ecce* ſicut evenit his qui ſtupore & gaudio ſubripiuntur quando eis occurrit, aut detegunt quod quærebant & deſiderabant; idemque tibi eveniet quando obvium tibi erit quod deſideras. Nihil cæleſti ſponſo gratius eſt, quam patientia perſeverans, & generoſa fiducia in proſequendo ejus amore exhibita; quarum alterâ omnia feruntur, & alterâ omnia ſperantur. Iſta verò eclipſis luminis optimum medium eſt ad utramque virtutem exercendam, & perficiendam. At cura illi eſt de elargienda conſolatione quantùm ſatis, etſi animæ videtur, totum in ſe frigidum eſſe. Id ita diſponit cæleſtis medicus; ut calor ejus poſteà adveniens profundiùs penetret, luménque ſuum ſplendidiùs lucere faciat, quod poſteà cum ſuæ præſentiæ conſolatione rursùs accendit. Túmque anima cum Davide exclamat. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.* Si ergò Deus tunc non apparet ſenſui animæ, in ejus intimum ſe recipit, & efficit ut plura bona operetur quæ quidem ipſa non videt, nec guſtat, ſed indè ſecuriora, liberiora, & puriora ſunt. Piæ verò animæ ſufficere debet quod Deus ea agnoſcat, ſolúſque deguſtet, *ac de pœnis innocentium*, ut loquitur Job, *rideat.* Quæ B. Viri verba multùm conſolari debent animas in ariditate conſtitutas, & patientiam, ac firmam bonæ voluntatis fiduciam in ea ſervantes; ex illis enim innocentibus ſunt, de quibus loquitur.

Cant. 2. *Pſalm. 30.* *Iob. cap. 9*

Objicies, ſed quando in iſtis tenebris verſamur, ignoramus an noſtrâ culpâ id proveniat, vel non. Ibi, Theotime, reperitur optimum remedium ad culpas diluendas; nempè ſi in hac ignorantia quaſi expirare eligas, & Patris Cæleſtis voluntatis conſilio acquieſcas; ſicut acquieſcere debes ignorantiæ, utrùm amore vel odio dignus ſis. Examinatis tandem tuis defectibus, aut voluntariis negligentiis, cum firmo emendationis propoſito, quaſi pedibus Divini beneplaciti abjectus; ſub tecto reſignationis & patientiæ quieſcere debes, donec *dies eluceſcat & Lucifer oriatur in corde tuo.*

David de Deo loquens *poſuit*, inquit, *tenebras latibulum ſuum*, id in ariditate completum invenitur. Quod ſi verum ſit; illæ tenebræ proculdubiò luci præferendæ ſunt. Nimis conſolati eſſemus ſi in iſto ſtatu *Pſalm. 17.*

constituti sensibiliter cognosceremus nos tunc Deo magis placere quàm in alio. At ad subtilitatem ariditatis pertinet, ut de hac re dubitemus; alioquin ariditas jam amplius non esset ariditas. Sicque Dei propositum de destruendo per eam amore privato in intelligentiis & desideriis nostris non, ut par est, adimpleretur.

Porrò exemplum filij Dei superat quidquid possumus super hac re verbis exprimere; & ejus actus pro securitate & documentis nobis esse debent. Mirabiliora opera ad extremitatem vitæ suæ mortalis reservavit, unúmque ex illis, ariditas est; in quâ se in horto olivarum orantem, ac in derelictione morientem constituit. Eâ quasi gladio usus est ut sacrificium usque ad animam pertingeret: nec dubitare possumus quin eam acriter senserit; cum indè sanguineum sudorem pertulerit, & in cruce usque ad conquerendum devenerit.

Id inter subliminiora & subtiliora charitatis ejus gesta numerandum est, quæ indè piarum animarum consolationi & instructioni providere voluit: quas sic docuit, illas ariditatis tenebras non esse indicia desertionis Dei, sed pretiosa media, quibus ad abnegationis Christianæ libertatem, ad unionis divinæ suavitatem, & sacrificij consummationem perveniamus. O Salvator mundi quantùm tibi debemus quod nos arcanum illud docueris, statim illum in te ipso ferendo? quid dicere, quid agere potuissemus ariditatem patientibus, nisi in te ipso & in tuo experimento reperiremus; undè quodlibet ratiocinium, sensúmque humanum sistamus? His consideratis, ô Theotime, num justum est, ut querelas contineamus, & in ariditate positi, illa Davidis verba proferamus. *Obmutui, & non aperui os meum quoniam tu fecisti.* Ibique stemus, egregias patientiæ & fiduciæ virtutes exercendo.

Psalm. 38.

Est aliud quod ariditatis adhuc dolorem acuit, quódque tibi explicandum est, nempè *animi teneritudo*, in qua sapienter se gerere magni momenti est; magna enim & frequens cordis teneritas, in his maximè qui benignam indolem habent, magnam sensim generat mollitiem, & laboris aversionem; dispónúntque ad vivaciter sentiendam ariditatem, non secus ac frigus sæviens à calefacto homine vivaciùs sentitur, sicut jam suprà tibi explicuimus. Id ergò faciliori & familiari modo, quo potero tibi explicaturus sum.

Sensibilis devotio quæ cor emollit, solem verni temporis æmulatur qui flores aperit; at cum gelu nondum plenè abierit, sæpè accidit, ut ex frigore nocturno superveniente in terram dejiciantur. Quid agendum ut ad eam vicissitudinem non veniatur? Imitandi sunt prudentes hortulani qui pulchritudini diei non fidunt, & sicut à nimio solis ardore per diem pretiosas plantas servant, ita & nocte eas aliquo operimento muniunt.

Intimi illi amoris sensus corda juniorum aperiunt, undè affectus, desideria, magnáque conceptuum multiplicitas se se facilè produnt,

imò in oblivionem præteritæ difficultates mittuntur, ac si totum luminosum esse deberet, nullúmque deinceps obstaculum earum propositis ac desideriis occurrere. At quis nesciat eas decipi, cum hæc mortalis vita noctibus sicut & diebus composita sit; plúsque in ea certandum sit, quam sensibilis requies gustanda?

Non ergò te tradas aut plenè permittas ejusmodi teneritudini. Ibi enim quid merè humanum & naturæ genuinum sæpè reperitur; imò ferè semper mixtum est. Cùm enim tunc naturalis sensus impressioni supernaturali participet, quâ verum bonum animæ sensibiliter demonstratur, statim ei permiscet proprium, & nativum agendi & gaudendi modum, suóque modo hac impressione utens non rarò se pueriliter gerit; & ideò expedit, ut tunc anima se intra se recolligat, séque quasi sic alloquatur. Eia pauperculum cor satis agnosco, te libenter saccharum manducare adinstar puerorum; téque inter sacchara, mirabilia polliceri: at timendum ne pollicitationes tuæ in fumum vertantur; nec firmiores sint quam puerorum promissiones. Post modum ad Deum se totam vertat, dicátque: Deus meus nihil aliud volo quam voluntatis tuæ adimpletionem; sufficit mihi, ut fidelis sim in te diligendo; quidquid residuum est, in manus tuas repono.

Sic adimplebitur quod tam lepidè dicit D. Franciscus Salesius: cor mortificandum esse in suis gaudiis; & consolandum in suis tædiis. Opus est formare cor ad æqualitatem inter hujus vitæ inæqualitates, ubi omnia in continua vicissitudine versantur: alioquin quasi per saltus incedet; & excessus, inquietudines, ac dolores solummodò reperiet. Ut autem id benè perficiatur jungenda sunt ista B. viri consilia verbis S. Scripturæ dicentis; *in die malorum, memor esto bonorum, & in die bonorum, memor esto malorum.* Hoc enim modo si gaudia temperata sint & ordinata, dolores sequentes non tam acriter pungent animam; quæ proindè tranquillior & fortior existet. Anima quæ sic se gerit in sensibili consolatione, longè melius disposita erit ad ferendam ariditatem subsequentem, & cum senserit in parte inferiori inclinationes ad malùm & contradictiones reproduci sicut priùs; non amplius indè movebitur, quam si videret pueros lacrymari post promissum ab eis meliorem agendi modum. Firma manebit & robusta ad urgendam naturam quasi virgâ arreptâ, sicuti urgentur pueri, quando amicè nolunt obedire; at junior anima quæ se consolationi sensibili totam tradiderit, tristis & desolata, adveniente ariditate, remanebit. Et undè hoc? quia illa dulcedine emollita est, & plus æquò confisa cordis sui sensibilitati; ac si ejus naturales repugnantiæ redire nunquam debuissent.

His ergò morbis Pater Cælestis optimum applicat remedium: etsi quandoque immittit consolationes sensibiles, ut totum hominem ad se trahat eximio unguentorum suorum odore; ariditatem etiam ad eum reformandum, purgandum, moderandum, & roborandum admovet.

Utroque ſtatu utitur, ut anima probetur, & per utriuſque differentiam agnoſcat quanti momenti ſit ei, ſupra omne ſenſibile ſe ſe elevare, ut Deum ſolum reperiat ꝰ cúmque ſic fuerit ei omnia in omnibus, vero & unico bono in ſua ſcaturigine & puritate fruatur; atque indè à creaturarum viciſſitudine independens & libera fiat.

Non dicimus, Theotime, conſolationem ſenſibilem eſſe rejiciendam, ſed tantùm in ea ſobriè & prudenter agendum. Cum reverentia quidem recipienda eſt, ſed abſque voluntaria adhærentia; conſiderato potius labore qui eam ſequitur, quam præſenti dulcedine. Enimverò ea reputanda eſt quaſi refectio & refocillatio quæ militi conceditur ad ſtatim viriliùs certandum; & quaſi monitio ad ſe parandum ad novam pugnam dato ſigno, quod fortè ſtatim inſonabit.

At, inquies, cur etiam in orationis exercitio, iſta ariditate fatigamur? Videtur enim convenientiſſimum eſſe ut ſaltem ibi ſentiretur quod Deus complacet ſibi audire orantes ꝰ & ad placitum eum alloqui liberum eſſet; cùm ad petendum & recipiendum ejus auxilium oratio inſtituatur.

Ad hoc, uno verbo tibi reſponderem dicendo, quod ſi oratio ſit quaſi locus ubi Deus ſe frequentiùs piis animabus communicat; ibi etiam vult eas urgere ad purgandum amorem privatum. At hîc maximè iſtius amoris jacet & latet ſubtilitas in quærendo proprio commodo ꝰ vellet enim Deum invenire ſapido ſibi modo; cum è contra amor ille debeat reduci & ſubdi divinæ voluntatis beneplacito. Hac de cauſa in orationis exercitio anima ariditate premitur, ut ſubtilitas illa amoris privati in ſua orationis prætentione vacuetur; ſicut linteum madidum premitur, ut indè aqua egrediatur. Non mirum ergò ſi ex juniori anima ſub hac preſſura poſita, aqua lacrymarum uſque ad oculos aſcendat; at ſe ſe conſolandi rationes ex ſubſequentibus capitibus deſumendæ ſunt & docendæ.

1. Ejuſmodi ariditatem in oratione optimum medium eſſe quo pertingant ad id quod optant ꝰ ad quod opus eſt ut prius ſuiipſius guſtum & ſaporem perdant & ad id conducit ariditas.

2. Orationem, fornacem eſſe duobus effectibus inſervientem ꝰ nempè ad animam igne divini amoris ſuccendendam, ſicque ad omne bonum, flexibilem efficiendam. Deinde ad eam purificandam ſicut aurum in fuſorio calice ꝰ in qua operatione ariditas partes agit compoſitionis illius quod arſenicum vocatur. Sicque intentiones purgantur & affectus; & vana complacentia evaneſcit.

3. Animam in oratione à Deo requirere, *quis ſit*, cum magno deſiderio eum cognoſcendi ꝰ at Deum velle illam diſponere ad obtinendum quod petit docendo priùs eam, quid ipſa ſit, ut ablato velamine, ab oculis ejus, poſſit videre, quis ipſe ſit. Opus ergò tantùm eſt patientiâ ſub manu Dei exercita, quaſi ſub emplaſtro ab optimo medico applicato, quod curationis remedium continet.

4. Juniorem animam, cujus cor accepto luminis cælestis radio in oratione apertum est, videndo se statim repressam & quasi in ariditatem rejectam in qua quasi hebes in momento effecta est; posse tunc tædium solari per sensibilem comparationem, quam tibi trado, sicque nascentem in se mœroris tempestatem sedare.

Sæpè videtur sol manè clarissimè oriri, agros inaurans & serenam diem promittens ⁊ at statim exurgit nubilosa caligo quæ omnia turbat; & in momento gratam illam Cœli faciem immutat. Quid simile accidit ejusmodi animæ in suo statu spirituali, nec amplius mirari debet unum quàm alterum. Cum autem fide cognoscat divinum solem nihilominùs semper eumdem esse in lumine & influxibus, quamvis nube tegatur; indè potest optimum sibi argumentum sumere eum alloquendi cum humilitate & fiducia, sic apud se dicendo. O pulcherrime sol justitiæ, indigna sum quæ luminis tui pulchritudinem videam, & terrena mea crassities facilè producit ea nubila quæ inter me & te se collocant; non ideò minus es sol meus & vita mea, quamvis te non videam; quam si te absque nubilo & clarè viderem. Sufficit mihi si benignâ manu me teneas, ne obices ponam tuis influxibus, qui nunquam se se effundere desinunt; sicut nec ipse esse desinis principium & finis omnium.

Si sic exposita sui latentis solis beneplacito in patientia maneat ejusmodi anima, secretos in eam influxus immittet, illáque nubes in pluvias benedictionis vertet, ex quibus fertilis in omni bonorum spiritualium genere efficietur.

Si advertat aliquam crassam negligentiam in se irrepsisse, suam fateatur indignitatem ⁊ ac mereri, ut obliquè tantùm aspiciatur, vel deseratur; quasi indigna quæ respiciatur. At rejectâ tunc qualibet turbatione, debet personæ Chananeæ benè agendæ incumbere, illámque pro virili in fiducia repræsentare. Conabitur præteritas culpas ac defectus fide & fidei fiduciâ reparare; sicque disponetur ad dulcia Salvatoris verba, cum sequentibus effectibus in se attrahenda. Post modùm, ô Theotime, cor & animum in Deum erige. Fateor cum S. Francisco Salesio, & tibi dico ex ariditate vulnus dolorosum infligi animæ Deum amare volenti ⁊ ejus enim amor valdè mœstus est, videndo Deum quasi ignorare quantùm eum diligat; quippè qui eam relinquat veluti creaturam, quæ ejus non est. At vulnus illud, vulnus amoris est, quod tantùm abest ut quidquam destruat in vita nostra interiori, quin incrementum potiùs ei conferat, atque ad meliorem statum promoveat. Ad dulcedinem, suavitatem, ac deliciosam consolationem semper propensi sumus & ducimur ⁊ at nihilominus fructuosior nobis est ariditatis asperitas; sicut Sanguis in Calvario effusus, claritate quæ in Thabor resplenduit utilior est. Enimverò in altero practicè exercetur fidelitas libertatis quæ pugnat & contradictiones debellat, in altero verò tantummodò recipitur quod gustare deliciosum est. *Panis sine sacchạro melior est, quam saccharum sine pane.*

Nullum admitte dubium, quin Deus obsequia tibi inter contradictiones interiores & exteriores reddita, præferat obsequiis quæ inter suavitates ei exhibentur. Cùm ipse Christus, ut nos gratiores & amabiliores Patri suo æterno efficeret; ei nos reconciliaverit per proprium Sanguinem, per tristitiam in oratione, & derelictionem in cruce, per labores & mortem. Quò magis à Deo privamur consolatione, eò generosiùs laborare debemus ad ei exhibendum fidelitatem ⁊ & pro certo habendum est, unicum fidelitatis actum in siccitate exercitum plus valere, quam plures cum cordis grata teneritudine peracti; cùm tunc nihil aliud nos attrahat ad ei obsequendum, quam fidelitas volendi ei obsequi.

Recipe ariditates quasi sal tibi è cælo applicitum; nam procul dubiò aliquâ te corruptione liberabit. Vel eas considera quasi illa aromata, quæ devotæ Christi amatrices ad ejus sepulchrum attulerunt ⁊ cum quibus aromatibus, si per aliquod tempus quasi sepultus maneas; inde ad recipienda Resurrectionis gaudia paraberis.

Noli philosophari circa causas ariditatum quas pateris; nam quamvis à tua culpa procederent non deberes indè inquietudini te tradere ⁊ sed cum simplici & leni humilitate de eis dolere, ac posteà in manus Domini te committere; ut vel pœnas tibi infligat, vel remittat & parcat prout ei placuerit. Si verò differat tempus & repletionem desideriorum tuorum; id fit ut suaviùs id posteà reperias. Veniet ergò illa fœlix hora quam desideras, die quam in misericordiæ arcano Divina Providentia destinavit ⁊ & tunc cum mille consolationibus intimis, cor tuum & orationem effundes in conspectu divinæ ejus bonitatis; quæ rupes tuas in aquas, serpentem in virgam convertet, ac spinas cordis tui in rosas, quæ odoris suavitate spiritum tuum recreabunt.

Verus Dei amor in consolationibus & cordis mollitia non consistit ⁊ alioquin Christus Patrem non dilexisset quando tristis erat usque ad mortem; & quando clamabat *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*? Quamvis certum sit, actum amoris, magnitudine & perfectione quodlibet excedentem, ab eo tunc prolatum fuisse.

Memineris Filium Dei te quidem dilexisse in Paradiso; sed plus amoris tibi demonstrasse inter flagella, clavos, spinas & tenebras Calvarij, quàm usquam alibi. Maria Magdalene Christo loquebatur, séque credens ab eo separatam, plorabat, cùm eumque requirebat; & in tam anxia sollicitudine versabatur, ut eum videndo non agnosceret. Idem sæpius evenit piæ animæ in ariditate constitutæ. Animæ quietior ergò fiat; Salvatorem suum prope se habet, eíque semper absque ulla separatione loquitur; quamvis eum non videat. Dummodo in anima firmam voluntatem habeamus vivendi & moriendi in Dei famulatu, non moveamur nec tenebris, nec impotentiis, nec repagulis quæ inter se & nos ponere videtur, ne ad pedes illius perveniamus, & illos teneamus;

sicut

sicut facere volebat S. Magdalena. Sed S. Virginem Matrem imitemur, quæ Ministris nuptiarum in Cana Galileæ, nihilominus præcepit, ut facerent quæcumque diceret suus Filius, quamvis ipse vinum dare nolle videretur; sicque videbimus miraculum conversionis ariditatum nostrarum in vinum cælestium consolationum, quod adeò præcellens est, ut mentes inebriet.

Si Deus in desertum nos ducat; id fit ut ad terram promissionis perveniamus. At ibi nobis identidem elargietur, unde pluris æstimemus desertum, quam fertiles regiones; ubi frumentum in abundantia crescit, sed manna minimè reperitur. In illo ergò deserto, ô Theotime, fiducialiter vivamus & si ibi sub protectione Dei commoremur & stemus, securi simus de nostra felici ad terram viventium perventione, ubi mel dulcissimæ quietis & lac innocentiæ in æternum fluent.

Æstimo quod in his omnibus reperies unde quæstioni tuæ fiat satis; nec indigeas ulteriori explicatione, aut specifica applicatione. At unum tibi adhuc annoto; nempè non mirandum esse si quod cognoscitur de ariditatis utilitate; quasi Eclipsum patiatur & abscondatur ab oculis animæ, quando in ipsa ariditate constituta est. Schola enim est, in qua Deus provectiores animas ad Novitiatum revocat; ut inde ab omnibus spolientur, & ponantur coram Deo & coram seipsis sicut in die, quâ natæ sunt, per istum utilissimum humilitatis statum. Beatissima virgo certò sciebat Filium suum resurrecturum; nihilominus tamen passionis ejus præsentia cognitiones & sensus ejus sic dissipaverat; ut in statu isto doloroso relinqueretur. Si sic Matri Christi accidit; idem libenter Matris Filij ferre debent; & inde gloriari quòd aliqualem occasionem habeant eam imitandi in ferenda illa amoris pœna.

Ita est, ô Theotime, & meritò hanc pœnam amoris nomino; si enim anima Deum non amaret non tam avidè illum sentire desideraret; nec tam sollicita esset de assecurando sibi ejus amore. Si patitur, id procedit ex eo quod non habet quod optat; at non desideraret, nisi amaret; & ideò concludendum est id procedere ex amore, qui timet non esse quod est; licet de facto sit, sed imperfectè. Quam ob rem purus Dei amor ariditate utitur, ut ad puriorem & sublimiorem statum amorem nostrum promoveat.

Finem tandem loquendi de hac quæstione faciamus per Prophetæ verba quæ totum ariditatis mysterium paucis complectuntur. *Quis ex vobis*, inquit, *timens Dominum*; *audiens vocem servi* sui? *Qui ambulat in tenebris & lumen non est ei, speret in nomine Domini & innitatur super Deum suum.* Agnoscere ariditatem veluti medium optimum, à quo discitur sperare in Domino & inniti super Deum nostrum; ex ariditate non terreri, sed sperare in nomine Domini & inniti super eum: In his totum arcanum continetur regiminis Dei & nostri in ariditate, quod nos ista Prophetæ verba edocent.

Isaia cap. 50. v. 10.

QUÆSTIO TERTIA.

De indifferentia in recipiendis bonis & malis, quasi æqualiter de manu Dei procedentibus.

An voluntas æqualiter esse possit in tam diversis effectibus?
Et an anima possit esse æquè contenta in uno quam in altero?

AGnosco, ô Theotime, te intelligere tuo modo bona & mala; & ad solvendum tùm quæstionem, tùm difficultates inde tibi enatas; opus tantùm est explicare tibi quid sit verum bonum & verum malum. Nec bonum, nec malum ponderari debent ad lancem convenientiæ, quam sive sensus naturalis, sive animus, sive etiam ratio ibi reperiunt; sicut judicium justum ferri non potest de medecinæ bonitate, ex ejus gustu & sapore. Nihil boni in mundo est præter id quod ex voluntate Dei procedit; & quælibet res ex convenientia tantummodo quam habet cum Dei voluntate, bona æstimanda est. Optimè à Davide vita in voluntate Dei ponitur; quia extra ejus voluntatem vita nec vitæ nomen meretur. Si ergò vita extra voluntatem Dei non est vita, nullum verum bonum erit in vita sic transacta; quippè quæ primum bonum externum æstimetur, & omnium aliorum fundamentum sit.

Inde agnosce, quicquid naturæ durum videtur & pœnale, esse verum bonum quando à Dei voluntate ordinatum est; ac proinde quando nomen mali ejusmodi pœnis tribuitur, id referri ad sensum hominis animalis. Nulla enim sunt alia vera mala, quàm quæ à peccato & peccati productionibus nascuntur. Deus duas voluntates non habet, sed unam tantùm & ideò nulla differentia ponenda est inter consolationes & pœnas, quibus terminis utor vice bonorum & malorum, quia inde res significata tibi evidentiùs patebit. Debent ergò considerari per modum unius, cùm ex eadem scaturigine procedant. At nodus quæstionis tuæ in hoc versatur, an anima possit esse æquè contenta in uno ac in altero. Video enim te semper recurrere ad sensum, quasi ad baculum tuum, qui, si tibi desit, credis nihil bene actum, vellésque semper illo sustentari, ut securus esses. Cùm autem sancta Dei voluntas æqualiter scaturigo sit amborum effectuum, licet à se invicem valde differentium; Respondeo tibi animam posse æquè contentam esse in uno ac in altero secundum voluntatem & propositum libertatis quæ se divino astringit beneplacito, sed non, communiter loquendo, secundum sensum naturalem. Aversiones enim & repugnantias proprias sentit, easque animæ objicit quæ si inde generosum componat sacrificium eas superando, tunc longè majus bonum peragit, quàm, si pœna caruisset. Quoad plus vel minus repugnantiæ, quæ sentitur

res tota divinæ Providentiæ relinquenda est & imputanda; nec perscrutandum, cur plus, aut minus eas sentiri permittat. Id enim vadit & venit sicut de Spiritu respondit Christus Nicodemo; at firmiter standum est in summissione divino beneplacito, cum fixo proposito nihil agendi nec volendi nisi sub conditione ejusdem beneplaciti. His mediantibus ex illorum beatorum numero erimus de quibus David. *Qui seminant*, inquit, *in lachrimis, in exultatione metent*, & experimento agnoscemus, quàm verè Deus dicatur *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* *Psalm* 125. 2 *Corinth. cap.* 1.

QUARTA QUÆSTIO.

Ex aversione quæ sentitur ad coactionem & dependentiam sollicitus es, & quæris, an & qualiter mortificationes necessariæ possint effici voluntariæ, quia ex necessitate quâ vitari non possunt, cum tædio feruntur; ipsaque mortificatio minus tolerabilis inde redditur.

UNa ex subtilioribus & magis cavendis dæmonis artibus ea est, quâ discretionem inter operationes voluntatis & eas quæ hominis animalis sunt, obnubilare & auferre satagit. Enim vero quando anima extra cognitionem actuum voluntatis suæ abducta est, remanet sicut cœcus à recta via digressus, cui insuper baculus sublatus est. Itaque, Theotime, in hac re seduliùs studendum est firmiter inhærere veritati, & distinguere actus genuinos rationis à sentimentis, sit venia verbo, hominis animalis; utraque ferè confusa reperiuntur in hominibus recenter à mundi vanitatibus abstractis. Cùm enim ex habitu sensus & cogitationes hominis animalis mixtim & æqualiter cum homine rationali egerint; inde fit ut verus Dominus vix in propria domo se Dominum esse recognoscat. At Deus qui optimus Magister est, mirum in modum utitur remedio tentationis ad separandum alterum ab altero, ut quisque se noscat; & per hoc remedium anima dignoscit voluntatem suam longè diversam esse à propensione, sive volendi modo hominis animalis.

Firmiter ergò standum est in cognitione quam nostris expensis tentatio nos docuit: & pro certo habendum nihil liberius esse ipsa voluntate, & quamdiu ratio renuit aliquid sibi ab homine animali quasi propositum agere, aut ei consentire; quicquid in contrarium in nativitatis rota, ut loquitur D. Jacobus Apostolus sentitur, ad hominem animalem pertinere censendum est, nec plus ad bonum, aut malum, ad virtutem aut peccatum efficere; quàm clamores catulorum in cavea occlusorum, qui magnum quidem edunt strepitum, sed inde non egrediuntur quamdiu Dominus portam tenet occlusam.

Causa ordinaria tædij, quod sentitur in mortificationis praxi, est

ipsa naturæ aversio, quæ se se manifestat statim atque voluntas proposuit facere illud, quod sensum mortificat. Cúmque voluntas se quasi mixtam videat cum ista sensûs naturalis repugnantia; sibi tribuit tædium illud quod sæpius è solo naturæ sensibili procedit. Ea autem natura nec privationes, nec punitiones, nec contradictiones, nec pœnas vult; sed vellet omnia esse dulcia & quasi bombycia & saccharea. Ex ejus ergò clamoribus ne turberis! dummodo enim ex bona voluntate agas quod debes; etsi natura ipsa quasi invita trahatur, bonum completum est. Quoad necessitatem spectat, semper fœlix illa æstimanda est, quæ ad meliora compellit. At si consideremus à Deo ipsò nos in ista necessitate constitui, facilè persuadebimur istas contradictiones in optimas virtutes per victoriam converti.

Plus minúsve generositatis potest esse in voluntate quando nimis circa naturæ objectiones deliberat, vel aliquid agit non relata ad Deum, ea quâ par est, generositate, intentione. Sed in hac re in humili ignorantia standum est; nec scrupulose indagandum. Soli enim Deo competit agnoscere quem bonitatis gradum opera nostra habeant. Bona fide tantùm credamus, nos velle bonum; & difficultates quas patimur à naturæ repugnantia procedere. Erga hominem verò animalem nos geramus, ac si ei diceremus, sive tractus, sive lubens ista feres, aut facies. Si sic agamus opera nostra semper bona erunt, & quamdiu tædium, aut murmurationem voluntariè & deliberatè non admittemus, contradictio ad naturam, non ad liberam voluntatem pertinere censenda est.

In his ergò, ô Theotime, siste & firma gradum, & bona fide sic operare quasi qui res concessas deglutiunt non attento cibi sapore. Si dextera tua nesciat quid faciat sinistra, tantò illud melius est. Sic enim Christus Eleemosynam, ut optima sit, docet esse faciendam. Quò virtus occultior, eò securior est. Sufficiat tibi ut in conspectu Dei appareat & ei sit grata, solúsque ex ea complacentiam hauriat.

QUÆSTIO QUINTA ET ULTIMA.

Qualiter intelligendum est quod in quodam libro legisti, Quoscumque actus nostros ac quicquid boni facere possumus non posse Deo gratum esse, nisi libenter acceptemus mala quæ nobis fiunt, ac ferre volumus.

ID tibi sollicitudinem infert. Nam statim recurris ad difficultatem ac tædium quod natura patitur in illis ferendis, quod vitare difficillimum esse putas. Non tantum difficillimum esse; sed supra vires humanas esse pronuntio illud vitare. At non ideò bonum, minus bonum efficitur; quin imò melius inde fit; quippè quod per pugnam & victoriam perficiatur.

Dubito authorem quem citas eadem verba protulisse quæ refers, vel in sensu quo illa capis. Ibi enim quid corrigendum occurreret; & sufficit unum verbum addere, aut mutare ad sensum authoris prævertendum. Id ad summum potest imputari animæ quæ obstinatè non vult ullam pœnam acceptare de manu Dei & statuit contra eum inde murmurare.

Cum dicitur, nisi recipiamus mala *ex animo* id intelligendum est de bona & efficaci voluntate. Forma actuum qui fiunt cum circumstantiis necessariis ut sint boni, non pendet à pœna supervenientc post actum, quæ non ex animo acceptabitur; & ideò absolutè dicendum est propositionem illam esse erroneam in sensu quo illam exprimis; sed inde occasionem sumo ad memoriam revocandi quædam monita, quæ jam tibi tradidi.

Ne sis curiosus in legendis tot libris recentibus & subtilibus; enim vero multiplicitas, novitas, & subtilitas curiositatem nutriendo; multa etiam offendicula ponunt in virtutis stadio. Imò non rarò fit ut ex simplici differentia expressionum circa eamdem rem, fidelis anima in dubia & difficultates incidat, ad quæ solvenda tempore & pœnis digestis opus est; idque non modicis inquietudinibus luit, antequam in suo sensu res concilietur & quieta remaneat.

Pete dilucidationem rerum quas non benè intelligis, vel quæ difficultatem dubiúmve ingerunt; ex hujus enim defectu sæpè accidit, ut piæ animæ in errorem labantur, gravésque pœnas interiores sibi accumulent; in quibus postquam diu multúmque desudarunt & laborarunt; tandem detegunt se studuisse ad seipsas turbandum, imò se variis periculis exposuisse.

Exemplum de hac re præ manibus habeo, ex quo ad compassionem moveor, quoties recogito. Quidam per decem annos in quadam præoccupatione animi versabatur ex qua ad impossibile laborabat, & inde quales inquietudines orirentur judicium penes te relinquo; cùm nunquam perficeret quod se agere debere putabat. Idque totum proveniebat ex malo intellectu loci celebris libelli de pugna spirituali. At vero sensu ei demonstrato intra spatium quod recitando Pater & Ave sufficit, se à tot & tam diuturnis pœnis liberum reperit. Hinc collige, ô Theotime, quàm discretè & dilucidè scribere debeant, qui libros asceticos componunt. Discretione pollere debent non tantùm pro seipsis, sed etiam pro omnibus qui eorum scripta lecturi sunt. Prævenire debent quantùm possibile est difficultates quæ in tironibus formari possunt, sibíque magnum illud Apostoli verbum applicare *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* Id est fortibus & debilibus, firmis & infirmis. Sed ut id bene compleatur, ad exemplum ejusdem Apostoli verborum elegantiæ non est in scriptis asceticis studendum. In qua re excelluit S. Franciscus Salesius, cui meritò verbum illud libri Ecclesiast.

tici applicandum est: *renovavit nobis sapientiam de corde suo.* Eam nempe digerendo in corde piissimo, & exponendo, modo perspicuo, intelligibili, omnium viribus accommodato & pro singulis secundum proprium statum discreto. Ejus libri sunt veluti mensa in qua cibi reperiuntur omnibus apti. Ibi parvuli lac inveniunt & majores solidum cibum. At quia de mensa sermo nobis esse cœpit; inde sumam mihi exemplum, unde explicabo tibi quid censeam de Lectionibus & Libris.

Idem est de varietate librorum spiritualium, ac de variis ferculis in magna mensa positis, ubi omnigena condimenta reperiunrur. Qualirer se gerunt Sapientes in ejusmodi epulis? prudentiores de duobus, aut tribus tantùm generibus ciborum comedunt, qui sibi bene noti sunt velut proficui & suo stomacho convenientes. Qui vero de sua sanitate non sunt tam solliciti, de pluribus volunt comedere & illorum gustum probare; sed inde sæpe oritur indigestio, ex cujus cruditatibus stomachi œconomia subvertitur, & quod, nutrimento inservire debebat in invalitudinem vettitur. At qui volunt de omnibus indifferenter comedere, tam sibi notis quàm ignotis; in ægritudinem decidunt. Idem sæpe piis animabus ex lectionum varietate accidit. In hoc casu quid agendum? si in illum incidas, recurre ad remedia, quæ sunt, consilium, & quæsita instructio sive dilucidatio; nec permittas tuo stomacho attentare, ut id solus digerat; nam diutiùs, quam tibi opus esset, in invaletudine versaretur.

Porrò tot experimentis didici, quantùm fideli animæ Deo & virtuti devotissimæ noceat Lectio malè intellecta, aut suo statui non conveniens; ut securè tibi dicere audeam his dogmatibus esse inhærendum.

1. Homines in materia Religionis novas veritates producendi incapaces esse.

2. Eas Veritates contineri in verbo Dei & exemplis Jesu Christi.

3. Imitatione tantùm opus esse, non curiosa discussione.

4. Homines randem nec Angelos esse, nec Prophetas, ut sine aliquo defectu possint loqui, aut scribere; & sic exactè ut nullum relinquant difficultati locum in suis expressionibus.

His ergò observatis quando in legendo occurret tibi aliquid quod tibi videtur oppositionem habere his de quibus jam edoctus es, vel libris spiritualibus, qui tibi à ductore tuo traditi sunt; locum illum pertransi & intellectum scriptori relinque, nec inde quicquam in tuis cognitionibus absque consilio moveas, aut mutes.

Idem observa circa concionatorem. Verbum in Cathedra facilè promitur, sed si difficultatem inde tibi enatam proponeres dicenti, rem aliter quàm intellexisti tibi explicaret. Distinguenda sunt tempora, ut intelligantur Scripturæ. At etiam status animarum & variæ aliæ circumstantiæ distingui debent, ut fiat prudens applicatio singulari per-

sonæ, eorum quæ dicuntur pro omnibus in genere. Ecce quod pro tempore tibi respondendum esse arbitror tuis Quæstionibus ꝰ si quid ibi obscurum reperias vel quia à me minùs clarè expressum est, vel à te minus intellectum, liberè poteris me interrogare; Deúmque orabo ut illuminet vultum suum super nos, & consilium voluntatis ejus mihi & tibi manifestum fiat.

CAPITULUM IX.

Quomodo se se gerere debeat anima in Tentatione, & afflictionis tempore.

Benedictus sit Deus, ô carissime Theotime, qui te protectionis suæ dexterâ sustinet, dum te facit sub directionis suæ virga ambulare.

Non ergo miror, quod *vox inimici, & tribulatio peccatoris te* bene currentem non patiatur ulterius progredi; quin tuis insistat vestigiis ac te prosequatur. Videt enim te brevi è manibus suis elapsurum; cùm Ægyptum suam, vanásque ac periculosas illius nugas jam tunc dimiseris, terram promissionis ingressurus; ac Desertum nullâ habitâ fatigationis ratione celeriter ac generosè trajeceris, ut Angelum tuum liberatorem sequereris. Sic Israëlitas olim Ægyptij persecuti sunt; sed ipsum mare, quod feliciter Filij Dei transmiserunt, eorum hostes penitùs absorpsit. *Psalm. 54. n. 3.*

Rem æquè mirabilem videbis huic, qui te insectatur, mundi Principi evenire, si pergis, ut jam incepisti, ejus suggestus, servitutémque effugere: spes ejus imminuentur, quò te videbit in arrepto proposito magis proficere: ac si illum, qui factus est dux noster, ac via nostra, eâ fiduciâ, quæ ejus amori debetur ꝰ eo animo, quo labores suscepit ꝰ ac eâ tandem fidelitate, quam ejus tibi exempla præmonstrant, fueris insecutus; Moysis Canticum in Pharaonem tartareum, ejúsque exercitum, ac luculentum eorum apparatum aquis submersum cum magna consolatione decantabis. Ad opem tibi laboranti ferendam nihilominus accurro; ut terrorem ex horum hostium visu conceptum abjicias. Id ipsum Israëlitico populo contigit, Pharaonem intuenti concitato curru sibi imminentem. Opportunè tunc eis affuit Moyses: ut timore dejectos erigeret ac instrueret: ego verò tibi adduco Moysis in spiritudo, ctrina ac pietate successorem: Jesum videlicet Sirach filium, & libri autorem Ecclesiastici, cujus caput secundum exscripsi, illud tibi oblaturus. Consolationum & documentorum

scaturigines continet, quarum aquæ in tentationum ac tribulationum, quæ te circundant, æstu mirum in modum recreabunt: eásque tibi libentissimè ministrabo, explicatione à me tibi faciendâ, modo tuo statui, qui mihi apprimè cognitus est, convenientissimo.

Porrò adverres nihil in hoc capitulo desiderari, quod animæ contra tentationes dimicantis ductui atque subsidio expediat, & necessarium sit; hincque ea tibi evidentissimè constabit veritas, quâ te persuasum omnino percupio: nempè sacram Scripturam illum esse thesaurum, quo invento, cætera facilè dimittuntur. Unum ex his capitibus plus in se continet intellectûs atque sententiæ, quam integro volumine possit referri. Unus versiculus, unum verbum germen est piarum cogitationum uberrimum: éstque verus fons, in quo purissimæ aquæ sapientiæ salutaris eporantur. Hujus aquæ stilla animam adeò infundit; ut foras superfluat. Hoc enim videre est in omnibus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, qui quicquid scriptis prodiderunt; ex illa hauserunt abundantia, quam sacra scriptura in ipsorum corda largissimè effudit: & sicut eorum scientiæ fons erat, atque origo; ita & eorum consolationis causa, spéique alimentum existebat. Hæc efficacia, testante Apostoli, illi præcipua est; sed in hac veritate tuum animum propria experientia obfirmabit.

Quoniam verò in hunc de sancta Scriptura sermonem incidimus, libet illum nonnihil extendere, ut effictâ in animo tuo prout expedit, de illius dignitate, ideâ; vehementi erga illam studio accendaris. Et hoc insuper pro præfatione adhibebimus; ut quæ sumus dicturi, faciliùs intelligas.

Quidquid nos docuerunt sancti Ecclesiæ Catholicæ Patres, non aliundè ipsimet edocti sunt, quam ex humili sacrarum Scripturarum meditatione cum ratiocinio & congruenti cordis præparatione conjuncta, quæ quidem in tribus potissimum consistit, humilitate scilicet, oratione, & cordis puritate, quibus Deum ipsum, sicut Christus Dominus pollicitus est, anticipatâ quadam visione cognoverunt. Ex iis enim, quæ nobis de illo scripserunt, liquidò apparet velum eis aliquantisper fuisse deductum, ut Divinæ Majestatis mirabilia, quantùm in homine est, perspicerent; illa tamen excellentiori, ac sublimiori modo interiùs contemplabantur. Affectiones enim, quas gratiæ lumen in animo imprimit, longè multùmque superat, quod verbis humanis potest explicari. Non est abreviata Dei manus; convivium etiamnum integrum est; ac nobis, sicut & illis præparatum. Ac si velimus ad illud cum ea, quâ par est, animi affectione accedere; mentes nostras præsumptionis, ac propriæ existimationis tumore, per humilitatem evacuare; gratiam oratione attrahere; cordiúmque sordes purgationis quæ immoderatos animi motus se se rationis lumini tanquam nube-

culam

culam opponentes coërcet, exercitio abstergere; exilij nostri solatium in eo, ut illi, procul dubio inveniemus.

Multi sunt libri, qui de tentatione, déque modo in ea se bene gerendi eleganter ac doctè disserunt; sed ego, secundum illud Ecclesiastici Caput in medium proferens, ad ipsum te fontem adduco, ubi aquæ puriùs ebibuntur. Paucis complectitur quicquid necessariò sciendum, faciendúmque est, ut tentationes cum omni discretione atque perfectione sustineas; nobísque apertè demonstrat Dei consilium, voluntatémque esse, ut ex tentatione intelligamus vias omnes, per quas nos deducit, misericordiam & veritatem esse; his enim nostra sanat vulnera, mentísque nostræ defectus detegit, qui manifesti fiunt *cogitationibus inter se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus*, ut ait Apostolus. *Psalm. 24.* *Ad Rom. cap. 2. n. 15.*

Antiquus ille noster Jesus animam alloquitur veræ sapientiæ studiosam; quæque ipsemet expertus est, illam edocet. Vias ostendit, per quas plerúmque pergendum est; sed eam in primis commonet de dispositionibus ad rectè in istis semitis ambulandum necessariis; quas hic tibi subjicio; quæque tales sunt.

1. Firmum propositum sapientiæ præcepta auscultandi, & ejus consiliis in omnibus obtemperandi.

2. Perseverantia in certaminibus, quæ subeunda sunt, ut eam consequamur.

3. Tale ac tantum ejus acquirendæ desiderium, ut ad illam obtinendam, nihil non agamus; nihil non conferamus.

Prima è gratiæ procedit illecebris, quæ sui radio luminis, sapientiæ pulchritudinem menti deregens, ad illam absque mora, & intermissione consectandam allicit, excitátque ad progrediendum per illius usuum motuúmque semitas, ut ad castos illius amplexus perveniat, simúlque degustet nullum esse animæ rationali convenientiùs alimentum.

Secunda fortitudinem designat, quâ exteris oppugnationibus viriliter obsistit, atque expugnat quicquid sensuum interpositu, conatur illam seducere lenociniis cupiditatis, quæ id unum intendit, ut à vero bono avocet, & ad sensibile convertat, aut ejus fervorem imminuat, aut ejus denique prosecutionem interrumpat: eam ob rem, ô Theotime, hujusmodi conatus, *Tentationes* appellantur; quippe qui ejus fidelitatem probent, illámque obligant quam in partem propendeat, declarare.

Tertia ex prima oritur, & incrementum sumit è secunda. Experientiâ innotescit animæ, quam necessaria sint gratiæ auxilia. Ex victoriis enim quas anima per ea reportat, *omnis domus illius impletur à generationibus: & receptacula à thesauris illius,* Ejusque voluntas statuit omnia ad illius obsequium conferre, nec quicquam sive in mente, sive in corpore, sive in bonis temporalibus excipere. Novit enim *Eccl cap 1. vers. 21.*

extra sapientiæ exhibitum obsequium, nihil sub sole præter laborem &
Eccl. cap. 1. afflictionem spiritus reperiri.

Eodem prorsus modo nos gerere debemus in certaminibus, quæ pro Deo & sapientia nobis sustinenda sunt; ac cùm de illius amore agitur. *Toto* quippe *corde, tota mente, totisque viribus* nitendum est, si velimus ab hostibus qui quærunt animas nostras, ut eas auferant: pugnaciter nos defendere.

Sed audiamus, ô Theotime, antiquum Jesum suos casus, laborésque nobis describentem, ut ejus sensus, & actiones animo melius effingat.

Cap. 51 v. 25. *Colluctata est anima mea in illa: & in faciendo eam confirmatus sum.*

Vers. 26. *Manus meas extendi in altum; & insipientiam ejus luxi.*

Vers. 29. *Venter meus conturbatus est in quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem.*

Cap. 23. v. 1. *Timenti Dominum non occurrent mala: sed in tentatione Dominus illum conservabit: & liberabit à malis.*

Vers. 17. *In benedictione Dei & ipse speravi: & quasi qui vindemiat, replevi torcular.*

Vers. 18. *Respicite quoniam non mihi soli laboravi: sed omnibus exquirentibus disciplinam.*

Cap. 51. vers. 32. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in Domum disciplinæ: Quid adhuc retardatis? animæ vestræ sitiunt vehementer.*

Ejus mentem multò clariùs expressam videbis in ea quam ad libri sui calcem addidit, confessione, quam tibi post secundum illud Caput explicabo, in quo te pugnandi modum edocet, qui bellum reddit pacificum, & victoriam certissimam. Quo ordine, & quâ prudentiâ in pugna spirituali se se habendum est, describit: pœnas transfugarum, & pusillanimorum damna exprimit: præliantium animos efficacissimis adhortationibus accendit: omnésque militiæ spiritualis regulas in hujus secundi Capituli contextu complectitur; quod ego tibi cum pleniori interpretatione, exponam, & considerationes quasdam in singulos versiculos adjiciam.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem.

ECCLI. CAP. 2. V. 1.

Tibi primâ fronte modum suppeditat terrorem deponendi, ac optimè de tua tentatione augurandi: te verè ad inserviendum Deo, fuisse electum; siquidem susceptum consilium, tentationis, ad quam vult Deus servos suos semper esse paratos, probatio mox sequitur.

Ad firmiter & in justitia permanendum sufficit humilem esse. Humilitas enim justitiam perficit, dum hæc unicuique quod suum est resti-

tuit; Deo scilicet, cùm ejus essentiam venerando confitemur, quod ipse est, & quidquid in nobis est ab eo acceptum referrimus: ac nobis cùm sincerum concipimus miserrimi nihili nostri sensum. Miserrimum jure merito dico nostrum hoc nihilum; cùm ei peccatum adjecerimus, quod nihilo deterius est, & ex quo omnes nostræ miseriæ atque calamitates enatæ sunt.

Verum enim verò quid nobis agendum est, ut in timore constantes simus? Cùm enim cor semel ille invasit, adeò debile efficitur, ut totum corpus tremat; atque ubi imaginationem affecit, animus omninò perturbatur. Non hic à nobis timorem sensibilem exigit, qualis causatur rerum visibilium aspectu, quæ sensus ferientes, terrorem incutiunt; sed timorem rationis participem, qui Dei Majestatem agnoscat modis omnibus extimescendam, quíque potestatem illius humiliter reverendo gaudeat, quòd creaturas omnes eâ facilitate moderetur, quâ illas è nihilo eduxit.

Ut animi firmitatem in hujusmodi timore teneamus, magnâ nos armare debemus in Deum fiduciâ, quæ metum omnem facilè vincit; quandoquidem amor, qui fiduciæ fons est; *foras mittit timorem*, cùm perficitur. Lenis igitur sit tuus timor; & fortis ac constans fiducia; ut timori superior sit. Tuus timor sit tanquam dulcis aquæ rivulus qui profluat è Divinæ Majestatis, tuæque indignitatis cognitione; ac tua fiducia sit velut Oceanus, in quem rivulus iste leniter & quietè sine intermissione devolvatur. Aquæ dulces, in mari salsuginem contrahunt; sic in Deum fiducia timorem à corruptione vindicabit: est enim verum sal quod corruptionem omnem, ac mala, quæ inde sequuntur, effecta ab eo aufert

1. Epist. Ioan. c. 4.

Sic igitur bene dispositus, ô Theotime, mentem tuam ad tentationem, cum advenerit, sustinendam præpara; hæc enim via necessariò tenenda est: ad eámque securè deambulandam te accingas velim voluntariâ tuiipsius abnegatione, ac integrâ Dei beneplacito subjectione. Si enim abnegationem hanc justitiæ & timori, quem modò descripsimus, conjunxeris; tunc ego te perfectè dispositum existimo.

Te mundus persequatur insaniis suis falsis, & inanibus fallaciis; tempestates in te commoveat Diabolus; appetitus in te tuus rationis imperium detrectet; si tua justum judicium exerceat humilitas; si tua fiducia maris amplitudinem æmuletur; si timor tuus in illam leniter influat, ac se totum immergat; si abnegatio tua sit sincera atque integra; tentationis impetus omnes facillimè retundes, experientiáque disces nihil utilius fructuosiúsque esse Deum amantibus, quam cùm tentatione dimicare.

Sed vera vocis hujus significatio tibi aperienda est, ne forte tria confundas quæ ad faciliorem illius intelligentiam sunt distinguenda, nempe calamitas, tristitia, & tentatio.

Calamitas eadem est ac affectio cujusdam rei naturali propensioni repugnantis, sive sit in mente simpliciter, quales sunt anxietates, ariditates, & plura id genus alia, quæ calamitatem eò subtiliorem & acutiorem faciunt, quo causæ illarum minùs materiæ participant; sive corpus & mentem afficiat. Hoc certandi occasionem præbet; sed nondum est inchoata pugna.

Per Tristitiam intelligenda est affectio illa melancholica quæ nascitur ex objecti cujusdam invisi conspectu. Motus ille non magis perterrere nos debet, quam micantis arteriæ in febricitante pulsus: cùm sit æquè naturalis.

Per Tentationem verò accipienda est illa impressio quæ facit ut spiritualis homo calamitatem illam, quæ contraria sensibus naturalibus apparet, aversetur; vel etiam concupiscentiæ instigatio qua illi suadere nititur, quod offert, esse rationi omninò consentaneum, omnémque industriam adhibet, ut illud in deliberationem vocet, quâ postmodum faciliùs ei consensum præbeat. Hæc illa est impugnatio quæ spiritualem hominem adigit ad insurgendum in semetipsum, continuóque certandum, ut suo consensu divinæ legi non aversetur; sed quod gratia, fides, ratióque illum edocent, fideliter exequatur.

Hæc tria vulgò in noviter conversis simul reperiuntur.

Fideles animæ, quæ jam in novitate vitæ provectæ sunt, tristitiam sive ærumnam, absque tentatione, & tentationem sine ærumna sæpius experiuntur: sed perfectæ atque illuminatæ animæ absque tristitia & tentatione calamitates patiuntur; sicut Apostolis evenit, qui ibant gaudentes à Conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act. cap. 5. vers. 41.*

Possemus, ô Theotime, tibi tentationem accuratiùs depingere: sed quæ præmisimus sufficere possunt animæ in virtutum palæstra se se exercenti. Porrò te docebit experientia, multa ex paucis cogitare: atque antiqui Jesus consiliorum intelligentiam studiosâ & animosâ mentis contentione facilè assequêris. Superest quædam de timore difficultas tibi nunc enodanda. Quando legis in sacra scriptura nos ab illo excitari ad serviendum *Deo in timore & tremore*, attende semper cui illa loquatur, & Deum advertes se tanquam justum & optimum Dominum gerere, qui potestatis suæ terrorem solis incutit servis qui proterui sunt ac licentiores; pœnásque eis minatur, quos videt ad nocendum suis conservis procliviores, justitiæ atque autoritatis illis concessæ limites excedendo. At servi boni & fideles nihil in Domini sui sermonibus invenient, quod terrorem inferat; sed potius quod prorsus auferat; eósque recreet atque consoletur. *Nolite timere*, inquit, *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro vobis dare regnum.* Et alibi: *faciens misericordiam in multa millia diligentibus me.* Quisquis ergò verba vellet iis indifferenter attribuere, quæ non pro ipsis, sed pro aliis

Psalm. 2.
Lucæ cap. 12. v. 32.
Deut. c. 5. v. 10.

dicuntur, cuncta certè confunderet, atque optimo Domino nostro crudelissimi Regis famam inureret, qui non mitiùs in servum bonum ageret, quam in eum qui ægrè ac oscitanter ei famularetur. Hæc etiam verba possumus nobis ipsis invicem applicare juxta statûs, in quo vivimus, diversitatem. Expedit tamen, ô Theotime, ut discrimen agnoscas, ut timor tuus ordinatior sit, ne postquam mentem tuam fatigaverit, animi tui robur etiam enervet.

Deprime cor tuum & sustine ꟸ inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus : & ne festines in tempore obductionis. VERS. 2.

EN primum, ô Theotime, quod in Tentationis praxi sciendum est, quodque tria capita continet, quorum primum est, tumidi cordis depressio. Idem plerúmque in corde efficit tentatio, quod in Oceano Aquilones. Ejus motus assurgunt, accrescunt & irritantur prout insistit ac durat tentatio; tempestatémque sine dubio excitabit, nisi motus illi modis convenientibus coërceantur.

Cor primâ fronte sollicitè incumbit, ad incommodum, quo premitur, à se procul depellendum; sed mens considerationum suarum operâ ad tentationem penitùs extinguendam utitur. Attamen illi persæpe contrarium evenit; quippe quæ suis involuatur cogitationibus, non secus ac avicula, quæ alarum plausu retibus magis ac magis implicatur. Hæc anxietas illi tristitiam parit, ac deindè in impatientiam facillimè labitur. Cor tuum igitur propriæ tumidum existimationis deprime; scitóque protensos sermones, & superfluas considerationes quæ tentationis fiunt tempore, ejus esse potius fomitem quam remedium.

Intuens verò cor irrito conatu voluisse à tentationis tricis & incommodis se se expedire; ad murmurationem convertitur, cui se valdè proclivem sentit. Quod si pœnæ hujusce causa sit illi inevitabilis, occasionem inde arripit conquerendi de magna discrepantia quam illius intellectus in hoc invenit, quámque illi per naturales animi affectiones, quasi per vitrum coloratum repræsentat. At si causam hanc potest à se quodammodo depellere ꟸ in scopulum periculosum incidit; cùm anxietatem suam sublevare existimat, aliquid in tentationis gratiam faciendo. Si enim illud agendum aggreditur, experientiâ discit, voluntate suâ ex eo debiliore effectâ, tentationem vires ex hac ejus debilitate auxisse, quod illius etiam mœrorem cumulat.

Cor denique impatientiæ se addicit, ac vitæ spiritualis jugum tanquam laboriosum & intolerabile intuetur. En quibus cor humanum commotionibus in tentatione plerúmque agitatur. Sed in his oportet

ipsum coërcere, nec iis assentiri, quæ sua in agitatione persuadere conatur. Non enim tunc sui bene compos est; ejúsque fervor reprimendus est, quando vult in tentationem insurgere, atque cum illa sermonibus & rationibus contendere. Revocari etiam debet ad humilitatis & patientiæ leges, quoties videbitur intumescere; ac denique isti cogitationum fluctus tranquillo animo, & absque voluntaria attentione sedandi sunt.

Nisi animum aliò deflectas, sed eum sinas tentationi curiosiùs attendere; quicquid in agitatione sua facturus est: nihil aliud erit, quam præsumptio, jactura temporis, & afflictionum accretio. Verùm si cordis studes depressioni, ac mentis tranquillitati comparandæ; patientia tua Deo erit acceptissima: tuámque non in teipso, sed in Dei adjutorio fiduciam collocans, te viribus auctum persenties; & miraculum impetrabis. (*Matth. c. 8.*) *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna*; quod certè non minori te, quam ipsos Apostolos, admiratione afficiet.

Nunquam tentationem intuearis adversâ fronte oppugnandam; sed in ea firmitate animus tuus persistat, ut solum Deum respiciat; ac si forte tentationem videat, in illam tamen mentis aciem minimè defigat.

Secundum hujus Lectionis caput est, verba intellectûs studiosè, & attentè auscultare.

Si tuâ patientiâ omnes cordis tui motus compescis; si mentis tuæ cogitationes, ut somnia reputas; si denique animam Deo attentam efficis; quasi è media nube, erumpentes videbis radios, qui tuum intellectum suaviter ferient, ac intelligentiam præstabunt. Ipsa quoque gratia illustrationes quasdam in te profundet, quibus miris ac sublimibus modis, sed ab humano ratiocinio alienis quid sit Deus & quis sis ipse, apertissimè cognosces. Cognosces etiam per tentationem, quod nunquam potuisses aliis viis intelligere: ac Dei dirigentis sapientia majorem in te excitabit admirabilitatem. Tunc ingenij tui labes, errorésque tibi innotescent: tuúmque propositum ejus consilia, judiciáque non sequendi augescet. Percipies quam tibi necessarium sit gratiæ auxilium; ejus in te adjuvando fidelitatem experieris; atque utrumque in solido humilis fiduciæ statu stabiliet, quæ de se nihil arrogantiùs sentiendo, Deum ad se totum converret. Fateberis Isaïam ac nostrum antiquum Jesum, meritò pronuntiâsse (*Isaia c. 28. vers 19.*) *solam vexationem intellectum dare auditui*. Et *eum, qui non fuit tentatus, nihil scire*. (*Eccli. cap. 34. v. 9.*)

Tunc igitur, ô Theotime, nihil aliud expetas, quam intellectûs voces: bona colloquia, piásque Lectiones perquiras velim. Deus enim suam in ea gratiam infundet, cui voces illæ erunt quasi nubecula, per quam hæc in te penetrabit; & cogitationem tibi ingerendo: fervorem quoque & pacem conciliabit. Voces solummodo ausculta,

judicij: & non nugarum & inconstantiæ; vanitatis, aut curiositatis. Hæ quippe ad nihil aptæ sunt & utiles, quam ad te in mœrore & angustia magis demergendum, cùm aures eis præbendo potiùs defeceris, quam profeceris.

Tertium hujus Lectionis caput in eo consistit, ut in sequenda propria sententia nimiùm non festines.

Id ipsum in nostris cordibus operatur tentatio, quod in vulnere sanando medicaminis cujusdam pretiosi malagma: quod pus illius omne extrahit: antequam cicatrix obducatur. Sanie verò penitùs expressâ, tunc vulnus illud coalescit & omninò sanatur. Dolorem ex vulnere sub malagmate patitur ægrotus: unde nonnunquam gemit & lacrymatur: malagma tamen minimè detrahit; nec potest illud evellere, quin sanationi renunciet. Malagma pariter est pretiosum Tentatio, quam Divina Providentia cordibus adhibet ad eorum sanationem vulnerum. quod vox *obductio* nobis indicat, quæ in aliis sacræ Scripturæ locis vulneris operimentum significat. Debet virus omne extrahere, antequam perfectè saner. Si ergò dolorem sentias: noli animi tui motibus derepentè obsequi: sed neque illum speres delinire oblectationibus indulgendo, quæ discretionis, tuique status limites excedunt. Illis enim elapsis, cor tuum simile evaderet recrudescenti vulneri, cui adhibitum malagma longè acerbiorem, quam antè, dolorem infert; tuaque sanationi mora & impedimentum afferretur. Ægroti dolore vulnerum oppressi in unguentum medicum facilè invehuntur: de illius virtute & efficacia dubitant, magisque ad illud rejiciendum, quam probandum inclinant, donec errorem suum sua experientia dignoverint. Idem prorsus evenit tentationum utilitatem nondum expertis; illam ex animo execrarentur. Sed absit ut eo sis animo: expertus enim agnosces hanc esse remedium omninò præsens atque efficax; dummodo in eâ te habeas, sicut antiquus Jesus te edocet.

Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo & sustine; ut crescat in novissimo vita tua.

HIc tibi demonstrat, ô Theotime, quibus, durante tentatione, debeas occupari: nempe in Dei, qui tuum unicum præsidium est, auxilio requiescere: téque illi conjungere. Tua ejus beneplacito submissio unam efficiet ex tua & illius voluntate; & oratio mentem tuam illi strictissimè copulabit. En quibus te potissimum debes exercere.

Ac primum quidem in palæstræ nostræ principem ac ducem oculos converte: & intuere qua ratione Lectionem hanc ad praxim redigit, mœstitiâ in horto affectus, animum suum Deo oratione conjungit:

Lucæ cap. 22. v. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me*, & voluntatem suam paternæ uniens, addit: *verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Hinc discamus praxim unionis nostræ cum Deo in tentationis tempore ritè faciendæ: nostram illi exhibeamus in oratione submissionem; & orationem insumamus ad submissionem nostram corroborandam, fidémque ipsi servandam. Deinde dolorem suum patienter sustinet, quoad usque Angelus ipsum consolaturus accedat: Sicque nos instruit qualiter nostras molestias debemus quoque sufferre, innitendo scilicet divinæ gratiæ præsidio, ac nostram ab iis liberationem pacatè in silentio præstolando.

Matth. 10. v. 24. *Non est discipulus super Magistrum*; inquit Christus Dominus. Ne igitur adeò superbè de nobis sentiamus; ut absque prævia ad Deum prece aliquid posse speremus æquanimiter pati. Audacter & confidenter petamus: sic tamen petamus; ut non perturbemur, si postulationis nostræ concessionem aliquandiu differat. Quæramus, pulsemus cum patientia & perseverantia. Hanc enim ob causam moram hanc fortasse facit; vel ut melius aliquid largiatur, illud opportuniùs concedendo. Cùm videmur à Deo repelli bonum ejus spiritum quærentes: plus certè nobis tribuit per istam repulsam, quam si postulatis statim annueret. Novit enim quid nobis magis expediat: tempúsque scitè & commodè ad illud nobis erogandum capit.

Si sic impetum sustineamus, quoad ei finem Deus imposuerit: statum nostrum spiritualem longè perfectiorè existere, ac prius fuerat, cognoscemus; Dominium in affectiones nóstras auctum sentiemus. Patientia quippe in internis contradictionibus componendis, animi moderatio, & ad Deum perfugium eas submissiores, puriores, ac liberiores reddent. Nostra in Deum fiducia augebitur ex ejus Providentiæ, regiminis & præsidij experientià, quæ sensibilia, nos protegendo, & a malis vindicando, effecta sunt. Nostrum perfectionis desiderium majus erit & ardentius, cum illam videbimus incrementum ex iis sumpsisse, quibus perditum iri timebamus; ménsque robustior in deambulandis Dei semitis fiet; tametsi spineis aculeis hirsutæ appareant. Cùm nobis aliunde compertum sit eas optimas esse, ac nihil delectabilius, jucundiúsque esse illas decurrere, *cùm gratia cor dilatavit.*

Duo hîc observà, ô Theotime, quæ tibi præ cæteris commendo.

1. Mentis lenitatem in tuæ cum Deo unionis actu potiùs, quam in quovis alio adhibe: illam exprimè brevissimis ac fidissimis voluntatis anhelitibus, ac simplicibus ad cor reditibus: quasi illud per simplicem intuitum coram Deo velles totum effundere; aut pedes illius deosculari. Si enim colloquiis & considerationibus prolixioribus animum vexares; illum haud dubie minus idoneum redderes ad sustinendos tentationis impetus. Ille facis suæ duo extrema accendit, qui cogitationum agitationi longos sermones adjicit. Hoc tibi consilium sæpius

dedi:

dedit ; sed illud itero; ne memoriâ excidat. Illius enim sciendi, vel observandi negligentiâ, ut tentationes reputantur quædam cogitationes, quæ velut apiculas frontem prætervolarent, nec unquam aculeum infigerent, nisi tangerentur. Uno verbo ex muscâ elephantum sæpissime facimus.

2. Nunquam sis otiosus, ô Theotime ; sed aliquam immisceas spiritualibus exercitiis occupationem, ut nimiam attentionem tuam prudenter avertas ; mentem impedias, quominus suis cogitationibus se ultra modum involuat; ac ejus in consideranda suæ anxietatis causa propensionem interrumpas.

Voluntatem tuam, ut arcem quamdam inspice, nec terrearis si cogitationum agmina circa muros tuos pertranseant; non enim te unquam poterunt apprehendere, nisi te sponte tradideris.

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe ; & in dolore sustine : & in humilitate tua patientiam habe. VERS. 4.

Quoniam in igne probatur aurum & argentum ; homines verò receptibiles in camino humilitatis. V. 5.

MAgna est humani ingenij proclivitas ad philosophandum de quibuslibet rebus; sed res maximi momenti est, suum hîc ratiocinium continere. Si enim facultas ei integra concederetur ; magnam profectò in eo quod patitur, discussis priùs ad libitum illius causis & effectibus, rationis dissensionem inveniret. Sibi videretur ex omni alia re posse consolationem capi ; sed quantùm ad malum quo impræsentiarùm afficitur : non potest non mediocriter affligari. Hujusmodi Philosophiam è vestigio reprimamus ; ejus enim argumenta errore nituntur ; ac suipsius amor horum consequentiam eruit. Tentatione enim præoccupatus; de rebus, prout ipse jam affectus est, dijudicat. Istud interim allucinationem parit, qui mentem exsiccat ; ac nisi cautè devitetur ; ejus in spiritualibus profectui officit.

Non penes nos est nostra electio ; Deus noster Dominus est : & nobis tanquam organo quodam musico uti debet, ut suavissimus ejus sapientiæ concentus audiatur. Libera esse debet & expedita illius manus ad chordas quas sibi libuerit, tangendas ; eæque hac dexterâ perstrictæ symphoniam gratissimam efficient. Sed si ratiocinationem illi admisceamus; concentum omnem perturbabit. Divinis consiliis humiliter acquiescamus ; huícque firmiter adhæreamus veritati ; videlicet statum in quo Deus nos constituit, omnium semper esse optimum, ac

nostræ sanationi & saluti convenientissimum. Quod nobis eligit, longè utilius est; quam quidquid possemus peroptare. Quò magis in hac & praxi proficiemus; hæc veritas eò fiet evidentior. Nec certiùs proferri potest nostræ in amore divino progressionis argumentum; quam indiscriminatim ea venerari & diligere, quæ nobis ab ejus Providentia immittuntur. Hæc igitur dimisso ratiocinio amplectamur ꟸ quandoquidem adoranda ejus voluntatis ordinatio, æquè in tentationis ac consolationis statu reperitur. Noli autem præbere suasionibus quas tua tibi mens propositura est; nempe te tentationi locum dedisse, sed ultra progredere. Quamvis enim hoc verum esset, res acta est. Nec obstabit; quominùs quod modò pateris ex Dei procedat Ordinatione, qui te simul purgare, ac punire intendit. Illius te submitte beneplacito; *& omne quod tibi applicitum fuerit, accipe.* Anima variis statibus, in quibus illam Deus collocat, honorandis assuefacta, nihil ei potest evenire, quod timeat; & quælibet tentationes, quasi fumus coram illa evanescunt. *sustine in dolore* harum cordis & animi convulsionum, qui solitos usus suos ægrè, ac invitè dimittunt: *& in humilitate tua patientiam habe.* Homo superbiâ totus intumescit: ac nullo magis offenditur, quam propriæ abjectionis consideratione. Avertit se animus, ne illam videat: nec eam cor impatienter tolerat. Præsentissimum tamen est curandæ superbiæ remedium ꟸ quod tentatio apprimè adhibet; dum cordi suam infirmitatem, animo suam inopiam patefacit.

Nihil reputa, aversiones & conatus quibus vilitatis suæ intuitum vitare tentant ꟸ ama cordis in intimo illam eis spectandam exhibere ꟸ tuáque in hac humiliatione patientiâ, illos adige ut humilitatis suæ æquanimiter aspiciendæ assuescant: donec libenti ac tranquillo animo illam intueantur.

Divini consilij ratio, quam noster antiquus Jesus ex ignis & auri comparatione desumpsit, auro ipso debet esse tibi pretiosior ꟸ tentationis, &, quæ illam comitatur, humiliationis status pluris æstimandus est, quam quilibet thesaurus: quandoquidem non dedignatur te in adimplendis hujus consilij Decretis admittere.

Humiliatio cordi est, quod auro est arsénicum: stridorem edit, quamdiu impurum est: silet verò expurgatum. Pari modo, cum vilitatem suam cor absque perturbatione, & animi dejectione inspicit: illud ad purum excoctum esse credendum est.

Crede Deo & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum: serva timorem illius, & in illo veterasce. V. 6.

DEus nonnunquam sinit, ô Theotime, ut anima ad eas redigatur angustias, ut filo se se existimet pendére ꟸ ménsque nihil inspiciat,

quod illam tacitè non moneat, sperandam tantummodo sibi deinceps esse tristitiam & afflictionem; ac de pristinâ tranquillitate recuperanda desperandum. Non hoc tibi mirum videatur, ô Theotime: nec iis credas, quæ mens in obscuritate sua se videre existimat: cum nihil sint aliud quam nocturni terrores. Sta in veneratione quam verbis ejus fidelissimis debes, & in fiducia ejus dilectioni debita. Ad hoc enim ut credas, sicut expedit: duo hæc necessariò debent occurrere: *& recuperabit te.* Existimabas te esse perditum: sed ipse te recuperabit: ac te tibi restituet. Si te in aërem, ut scyphum, projicit, nil pertimescas: integrum ac inoffensum facilè potest illum manu excipere. Si te in fenestræ crepidine collocat, quasi te deorsum præcipitaturus: cogita illum esse patrem, qui fidem tuam vult hoc modo probare; quique tunc eò te strictiùs tenet, quamvis non appareat, quò eminentius est periculum. Timorem omnem prorsus abjice: neque Deum metuas; non enim te odit. Conare solummodo vias tuas ad illum dirigere: tuáque facta omnia, laborésque ad majorem illius gloriam, ac sanctissimæ ejus voluntatis executionem referre.

Ille est qui *percutit & sanat.* Hæc duo conjungit scriptura, quia ejus flagella remedia sunt salutifera: scitque dolorem plagarum, in consolationes suavissimas convertere. *Deuter 32. ve f. 39.*

Serva timorem illius. Id præstabis, si Tentatione adveniente nihil de virtutis praxi remittas: nec eam perfunctoriè negligentérque excolas. At si de piis operibus statui tuo addictis dimittas: nonnihil timoris ejus amisisti: siquidem docet nos scriptura, eum qui verè Deum timet, nihil negligere. Non possumus vel uno passu timorem hunc transgredi; quin etiam uno similiter ad tentationem accedamus. Quandoquidem ex tantillâ hujus timoris jactura, remissi, debilésque evadimus; ac tentatio ad nos invadendos, debellandósque robustior existit. *Eccl. c. 7.*

Dico remissionem in bonis operibus esse fugiendam; sed aliter de mentis exercitiis censeo. Ejus enim nimia contentio aliquando temperanda est; & oblectatione quadam honestâ relaxanda. Nihil in tentatione inconsideratiùs committi potest, quam obstinatè velle animum labore assiduo contendere; ac probris illum continuis lacessere. Hac enim ratione unguem, ut ita dicam, in ejus vulnus demittis; illúmque tunc opprimis, cùm cogitas sublevare. Tractandus est ut ægrotus cibos fastidiens: ac prudens moderator tunc illum statum facilè restituet, si amici vicem gerat, qui infirmum ad comedendum excitat: buccellas ei moderatè exhibet, atque illius ori suaviter offert: qui verba miscet ad ejus cor exhilarandum congrua: quique dicta graviora & magis seria in aliud tempus reservat. Disce ex Davide, quomodo animam suam hujusmodi angustiis laborantem interpellat. Illam sic dulciter alloquitur: *Quare,* inquit, *tristis es, anima mea, & quare conturbas me?* Illam deinde solatur

Psalm. 41. hæc addens ˥ *spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultûs mei & Deus meus.*

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus ˥ *& ne deflectatis ab eo: ne cadatis.* VERS. 7.

ANtiquus noster Jesus adhortationibus modò utitur, ut sua documenta efficaciùs nobis ingerat ˥ vel potiùs cordis sui plenitudine ea profundere compellitur; ut veritatem, quam propriâ experientiâ didicit, nobis insinuet. Non potest apertiùs enunciare quid de fidelitate Dei in servis suis adjuvandis sentiat, quam exclamationibus in præsenti versiculo ac tribus sequentibus, adhibitis ˥ quæ sunt ad inflammandos dimicantium animos aptissimæ; & ad illis in prælio ingerendos usus spiritualis militiæ perfectiores. In hoc versiculo de fiducia in Deum loquitur; ac de fidelitate, quâ debemus illi strictissimè inhærere. Si verissimum est divinam bonitatem, ne momento quidem suos in creaturas omnes influxus intermittere, ut in sua existentia perstent, & ad finem suum, secundum creationis suæ ordinem perducantur ˥ quantò magis credendum est, ejus misericordiam, quæ præ se fert omnes hujus bonitatis titulos, nec ab illa potest unquam separari ˥ nostris semper adesse miseriis spiritualibus, ut ab eis peccati virus amoveat, & illas in virtutes commutet? opus ejus in hoc mundo præcipuum est; salutem nostram operari. Nec permisit nos miseriis premi; nisi ut Redemptionis suæ divitias, efficaciámque patefaceret. Quis igitur mortalium in animum suum jure merito inducat, Deum minus in præcipui operis sui curam incumbere ˥ quam cæterorum in quæ suæ concursum protectionis indesinenter influit? verum enim verò nisi viribus deficere, ac salutis periculum obire velimus: illi fidelissimè adhærere, nec *ab eo deflectere* debemus.

1. ad Corinth. cap. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus est*, inquit D. Paulus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Illius gratia infirmitati nostræ opitulatur ˥ viréśque voluntati nostræ suppeditat: quæ maximam in nobis cum inimicis æqualitatem constituit. Hoc freti gratiæ auxilio possumus illos intrepidè aggredi; ac certissimè superare. Porrò, ut hujus auxilij beneficium obtineamus: cum datore strictissimè conjungi necesse est. Si ei fideliter conjuncti permanserimus dimicando: hæc proportio in utilitatem nostram cedet. Si verò de hac fidelitate quicquam detraxerimus ˥ proportio utique imminuetur ex nostræ remissione voluntatis; Ad Eph. cap. 4. quæ *Spiritum Dei contristaverit*, ut loquitur Apostolus, sibi, vel creaturis nimium innitendo.

Si commissis quibusdam negligentiis voluntariis, ad Deum citò non recurramus, ut illi ferventiùs uniamur ˥ spem magnam inimici indè

concipient: & solitò molestiores fient, eò quod illis nos impugnandi locum hac in re dederimus. Si verò negligamus in Dei nos gratiam restituere, nostráque ignavia augeatur proportione inter nos & inimicos, qui tunc viribus superiores nobis erunt, nisi gratia partes nostras suscipiat, multùm tunc imminutâ; in apertum Tentationi succumbendi discrimen venimus, nisi potentis gratiæ motu eruamur.

Et illud est quod nobis declarat antiquus noster Jesus: dum nos adhortatur, ut *non deflectamus ab eo, ne fortè cadamus.* Nisi enim Deo conjunctissimi fuerimus: paulatim decidentes, gravissimè tandem corruemus.

Hoc monitum, Theotime, Christianorum maximè interest: sed eorum præcipuè qui se bello spontaneo illigaverunt, vitæ genus eligendo, quod in rerum multarum privatione consistit; & in quo aliæ multæ suscipiuntur, quas aversatur ipsa hominis natura. Ita enim aliquando prona est ad rixas excitandas: ut anima coacta sit in armis ad ipsam impugnandam semper stare. Inhæreat ergò Deo perfectè conjuncta; ne vocationis suæ gratiam suâ negligentiâ deperditam sentiat. Hæc est enim quæ convenientiam animæ cum illius status officiis statuit: quæ nisi fulciatur, citò decidet. O viri religiosi antiquum Jesum loquentem attentè audite: *Ne deflectatis à Deo*, inquit, addicta statui vestro munia perfunctoriè exequentes: *ne cadatis.* Objicietis fortasse eorum pleraque sub peccato non adstringere: sed ea observandi negligentia unctionem ad perseverandum valdè necessariam imminuit. Quantò magis unctionem hanc senties, eò suavius & amabilius jugum tuum erit; ac vita tua pacis & gaudij spiritûs particeps efficietur. E contrà verò si ab illa te submóveris; infirmitatem tuam ad facilius cadendum præparabis. Baculum ægroto eripies: túncque aut consistat, necesse est, aut in terram cadat, deficiente, quo fulciatur, sustentaculo.

Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces vestra. VERS. 8.

ÆTerna Dei veritas æquè in omnibus integra est, ac certissima: nullæque vicissitudini subjacet; quippe quæ nec errori, nec falsitati obnoxia sit. Si sensum nobis tollat tentatio: non debemus inde perturbari; sed firmo animo esse in debita ejus sermonibus veneratione, & constanti obfirmatáque voluntate plenissimè assentiri certitudini nobis per fidem inditæ, paternam eorum curam gerere qui volunt illum diligere, eíque fideliter servire.

Non timeamus, ô Theotime, ne labor noster irritus ac vanus fiat, si in hoc proposito persistamus; *non enim evacuabitur merces nostra.*

Sed ſi in medio tentationis curſu fluctuare animo incipimus : idem fortaſſe quod D. Petro accidet, qui ubi primum dubitavit, in aquam pedes immerſit; ac toto corpore demerſus fuiſſet, niſi Domini ſui exprobratio efficax, fidem ejus excitaſſet, ac labanti manum porrexiſſet auxiliatricem. Si vero dubitatio noſtra augeſceret : laborum noſtrorum jam exantlatorum fructum omnem uno temporis momento amitteremus; ſicque merces noſtra verè evacueretur.

Mercedem *Fidei* attribuit : nec immeritò; hæc enim primam in nobis demolitionem cauſat, intellectum in captivitatem adigens, & proprium judicium ſupremæ ſubjiciens veritati. Porrò æquitas poſtulat, ut in remuneratione præferatur; quod in ſumptibus primum fuit.

Qui timetis Dominum, ſperate in illum: & in oblectationem veniet vobis miſericordia. VERS. 9.

SPes, Fidei comes eſſe debet individua; eodémque cum illa greſſu procedere. Illam vocat Apoſtolus *anchoram animæ tutam ac firmam.* Hanc enim retinet, impedítque quò minùs à fide disjungatur; ac Tentationis fluctibus abripiatur. Verum ut his perfrui poſſimus prærogativis, in Dei ſinum ſpes noſtra projicienda eſt: ſummóque ſtudio à nobis contendendum, ut vera ac ſincera ſit. Si vera eſt: incrementum ex tentatione potiùs capiet, quam imminutionem. Neceſſitas enim plerúmque nos ad ſperandum ſollicitat & impellit.

Ad Hebr. c. 6. v. 19.

Conſolatio ſpem conſequitur : ex hac enim illam expectamus; ídque ſuâ experientiâ adeò certum, exploratúmque habet noſter Jeſus; ut ſe quaſi ſponſorem faciat ſpem noſtram expectatione ſuâ nunquam dejectum iri.

Qui timetis Dominum diligite illum: & illuminabuntur corda veſtra. VERS. 10.

SÆpe efficit tentationis ſenſus ut ab animæ oculis divini amoris ſenſus diſpareat : hic amor nihilominus in animæ intimo ſubſiſtit; ſicut anima ipſa ab ægroti corpore non fugit, quin omninò deceſſerit. Ac reipſâ quidem in hujuſmodi disjunctione divinus amor, purior in ipſa, perfectiórque exiſtit : ſi voluntas in fide maneat: firmitérque ſtatuat iis, quæ illi diſplicent, nunquam aſſentiri.

Dicere poſſumus Tentationem eſſe fornacem, in qua amor expurgatur : ipſa enim defectus ejus omnes patefacit : legitimum ab adulterino ſecernit; & ab omni labis concretione ſegregat. Experimentum facit, ut in amoris noſtri cognitionem nos adducat : & utrum ex

eorum numero simus, de quibus Regius Propheta dixit: quod *confitebuntur Deo, cùm benefecerit eis.* Vel ex iis, de quibus sic Ecclesiasticus ⁊ *est autem amicus socius mensæ: & non permanebit in die necessitatis.* Pronum est in lætis, ac prosperis rerum eventibus amicum se modo humano, & naturali profiteri ⁊ sed probat Tentatio superveniens, an sincerus, supernaturalisque sit amor noster; nec ne. Si enim subtracto hoc gaudio, amor noster perstat ⁊ sincerus, omninò est: nec potest hujusmodi à natura effingi. *Psalm. 48. vers. 19.* *Ecclesiast. cap. 6. v. 10.*

Cordis illuminationem amoris constantiæ attribuit; hic enim cor semper intendit Deo conjungere ⁊ ac quemadmodum lignum igni admotum ardet, & ardendo fit luminosum; si *Deus noster*, ut ait scriptura, *ignis consumens est*; lucidum facit, quidquid ad illum proximè accedit. *Pater luminum* appellatur. Quid mirum, si lumen suum in animam quam visitat, infundat ⁊ ac lætetur in illam abundantiùs profundere, quæ constans fuit ad se coram illo humiliandam ⁊ fidelis ad verbis ejus credendum ⁊ patiens ad illius auxilium expectandum ⁊ ac denique fortis ad perseverandum in hujus fidelitate amoris quem Tentatione probare voluit; ut agnoscere possit, quantùm illam diligat, & quàm studiosè curam illius gerat. Ad hujus splendorem luminis, ô Theotime, animus noster seipsum intuetur, agnoscitque quam opus illi sit à terrenâ mundi contagione se se segregare, ut ad Deum liberiùs assurgat ⁊ oculi ejus aperiuntur, ut sensuum, Dæmonum, carnisque infirmitatem ac fallacias advertat; ac denique discit cogitationum suarum commotione, imaginationisque illusionibus, quæ somniis ipsis fallaciores sunt, minimè perturbari. *Ad Hebræ. cap 12.* *Iacob. c. 1.*

Hæc illustratio ad cor ipsum pertingit ⁊ facitque ut quamvis cæcum sit, intelligat, motus suos omnes ratione dirigendos esse: ac fateatur illum propriis commodis, suæque quieti studere, qui divinæ voluntatis Ordinationi, quæ rationis, ac veræ quietis centrum & principium est, cor suum perfectè subjicit.

Hæc omnia nos edocebit experientia, si à veri amoris regula non discedamus ⁊ *corda* enim *nostra illuminabuntur*; percipiemúsque, quoties à tentatione appetemur: nos salubri hoc remedio indigere tam ad evitanda nova vulnera, quam ad vetera curanda.

Deus nos debet diù probare antequam se nobis credat, & in cognitionis suæ arcanum introducat.



Respicite, filij, nationes hominum * *& scitote quia nullus speravit in Domino : & confusus est.* VERS. 11.

Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? V. 13.

Quoniam pius & misericors est Deus * *& remittet in die tribulationis peccata : & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* VERS. 13.

ADeò certa sunt quæ noster antiquus Jesus hîc refert,& longo illius usu comperta * ut nullum in toto orbe terrarum reperiri posse constanter affirmet ; qui ea justè inficietur. Ejus verba ita lucida sunt & ad persuadendum efficacia ; ut nihil iis addi queat.

Porrò qui Deum *in veritate quærunt*, ij sunt qui obfirmatâ voluntate statuunt potius mori, quam peccatum mortale committere * qui Deo student magis ac magis appropinquare, quique ab imitandis triplicis generis falsis spiritualibus, & improbis militibus longissimè abhorrent, quibus noster Jesus væ pronunciaturus est in tribus versiculis sequentibus, ac eorum ignaviæ punitionem prædicturus.

Væ duplici corde & labiis scelestis * *& manibus malè facientibus : & peccatori terram ingredienti duabus viis.* VERS. 14.

DUplicis cordis homines primam horum Hypocritarum speciem constituunt * iique sunt qui suum amorem cum Deo ac seipsis partiuntur ; ut illum pro libito perficiant. Illos hîc antiquus noster Jesus cum ferventi zelo accipit.

Excæcati illi homines inire cum Deo volunt divisionem * sed sic partiendo, se se ab illo separant : ac periculo exponuntur carendi auxilio & influxu, quem nonnisi Deo uniti sint, excipere possunt. Suiipsius ex parte tantùm Domino esse volentes, digni sunt quos Deus tradat cordis sui desideriis * siquidem cor istud nativâ suâ dispositione illos edocet se ab omni divisione abhorrere : & inquietudine suâ integrum ei deberi, qui propter se solum illud efformavit. Eorum cæcitas, quando longo usu obfirmata est, eò nonnunquam devenit, ut partitionem hanc, quam suiipsius amor tali caligine offusus facit, minimè advertant * sibique falsò ablandientes se Dei totos esse existimant ; cum ex operibus suis contrarium innotescat.

Sunt

Sunt nonnulli qui mira suis in orationibus aliquando eloquuntur & quorum colloquia magnam denotant ingenij sublimitatem; qui vitæ spiritualis subtiliorem substantiam & quasi cremorem inquirunt; qui voces affectant plebeis hominibus incognitas: qui denique idearum suo in animo effictarum fulgore, aliis volunt quasi caliginem offundere. Verum si extremo, ut ita loquar, digito quædam eorum cupiditatum, aut propriæ existimationis capita tetigeris; mox è sublimi elevatione sua in terram descendunt; ac sermonibus suis, & doloris sui sensibus iterùm, iterúmque expressis, se multùm adhuc de homine animali participare manifestant.

Sunt & quidam alij qui austeriores videri cupientes, ad extrema, omnia transferunt; sed in alios solummodo se adeò severos exhibent; nam ipsi *digito suo nolunt ea onera movere, quæ imponunt in humeros hominum.* Sub illo imprudentis, ac speculativæ severitatis, quam in seipsos nunquam experti sunt, prætextu: omnia incognitâ causâ judicandi, ac non aliis quam suis fulti rationibus, condemnandi summum jus sibi vindicant. *Matth. c. 23. v. 4.*

Amant cæteros liberiùs docere, ac redarguere, cùm ipsi sint omnis disciplinæ ac salubris consilij impatientes: ac inter mores corruptos numerant, quidquid ab ipsorum sententia dissentit. Errores ac peccata in alienis actionibus argutè deprehendunt; dum linguis suis, quasi gladiis acutis proximi famam liberè exscindunt: nec Deum verentur qui dixit, *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Charitatem quidem laudibus extollunt; sed suam circumscribunt propriorum commodorum cancellis: nec eam sinunt usque ad injuriarum condonationem pervenire. Quod si in occulto quis peccavit; prædicant ubique super tecta, non attendentes, se ad operienda proximi peccata omninò adstringi: nec damna satis pervidentes ex hujusmodi scandalo erumpentia. Ad eum modum corda illa dispertita se gerunt. Fatentur se nosse Deum, quem factis suis inhonorant, dum præcipua Evangelij consilia eâ arrogantiâ violant, ac si præclarum aliquod facinus perpetraverint. *Zachar. c. 2. v. 9.*

In hoc videntur esse similes mulieri illi adulteræ, de qua Salomon ait quod *tergens os suum dicit: non sum operata malum.* Numquid igitur ipsos meritò dixit antiquus noster Jesus, *labiis scelestis, & manibus malefacientibus* incedere; siquidem quæ dicunt non magis reipsâ præstant, quod tamen veris spiritualibus apprimè convenit, quàm quæ impij promittunt; ac quæcumque agunt, non magis cum dictis concordant, quam sceleratorum flagitia. *Vox quidem vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esaü.* *Proverb. cap. 30. v. 20.* *Genes. cap. 27. v. 22.*

Hujusmodi homines, ut sibi, sic & aliis perniciosi sunt. Propriæ enim existimationis amore magis ac magis vanissimè occupantur; & aliis cerebri sui visiones exponendo, nec pluris faciendo quod com-

mune est, quam domûs quisquilias; facilè inducunt suiipsius amorem, ad effingendam sibi quamdam spiritualitatem Chimericam, quæ mera erit cæcitas; simulata superbia; & multarum iniquitatum, ac criminum radix; quæ nonnisi gratiæ efficacis operâ evelli poterit. Eam ob rem *væ* illos percellit, ac meritò appellat *peccatores terram duabus viis ingredientes.* Verbis suis perfectionis sectatores se jactitant: cum sint reverà proprij judicij, voluntatis suæ, ac cupiditatum suarum asseclæ. Non sic sancti ad Deum pergunt: neque enim ad eumdem finem, per duas vias adeò oppositas gradiendo, pertingere possumus.

Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo. VERS. 15.

HIc devotos alloquitur remissos ac tepidos; qui quidem, quia traditas ab ipso spiritualis militiæ regulas fideliter non observârunt, tam imbecilles in spe sua effecti sunt; ut à divino auxilio vix quicquam expectent. De vitando modis quibusdam naturalibus Tentationis certamine potiùs cogitant, quam de projicienda in illius Providentiæ sinum sua fiducia. In Deo leviter ac remissè sperant; nec eâ quâ par est æstimatione ac veneratione illius præsidium excipiunt. Æquissimum igitur est ut proprio regimini permittantur: qui à fiducia discedunt, quam debent in Dei gubernatione collocare. In statum deteriorem paulatim delabuntur. Ægrotis enim similes sunt cibum non sumentibus: ac tandem in salutis suæ discrimen devenient, nisi novâ in Deo, qui *mutat fortitudinem*, spe assurgant. Quippe pro naturali supernaturalem impertit, quæ dat pennas, ut volemus sicut aquilæ, & non deficiamus.

Væ his qui perdiderunt sustinentiam; & qui reliquerunt vias rectas: & diverterunt in vias pravas. V. 16.

Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus? V. 17.

PAucis hîc describit quousque progressa est spiritualium hominum à recto veritatis itinere deflectentium infelicitas: qui à certamine ad cupiditatem deflexerunt. Verùm hæc illos longius abducet; quippe quæ æquitatem omnem rejiciat; nec modum sciat tenere. Fluvius est exundans, qui aquas suas extendit, quousque possunt excurrere. Hosti se tradiderunt: sed ipsos ad inopinatam & non vulgarem morum inordinationem perducet. Hîc, ô Theotime, experientiâ comprobatur axioma illud Philosophicum: optimi cujúsque pessimam esse corrup-

tionem. Deus Tentatione utitur, ut homines ad debellandum dæmonem obliget: atque ut fideliter pugnando: inustam sibi per peccatum ignaviæ infamiam propulset. Sed è contra videtur Diabolus à corruptis istis hominibus exigere; ut illam sibi ex præteritis eorum victoriis injuriam sarciant, dum in non vulgarem vitæ immoderationem illos conjicit.

Eorum ingenia in Tentationis conflictu se se exacuerunt: sed voluntatis malitia, quæ à Deo deflexit; perspicacior, subtiliórque effecta est, ut finem intentum assequatur. Subtiles experti sunt Dæmonis astutias tam in cogitationibus, quam commotionibus, quas ille ad eos tentandos adhibuit: sed Fide violatâ; cognitionibus suis abutitur ad mali argutias studiosiùs inquirendas. Natura in ipsis est ad malum propensior: & ad vitium omne fertur; non secus ac sitiens equus, & habenis liber ad aquam properat. Nihil est igitur quod lugendos perversorum horúm hominum lapsus demiremur: quorum tristis exitus ipsis cumulum miseriarum persæpe affert. Illos antiquus noster Jesus lamentatur: Heu, *quid facient*, inquit? quid facturi sunt, cùm miserrimam eorum vitam Deus penitùs scrutabitur: ac contempti ejus amoris indignationem persentient?

Nos quoque, Theotime, eorum casui ingemiscamus: digni enim sunt, quos lugeamus; ac Deum instantissimè rogemus, *ut juxta quod* 1. *Corinth.*
misericordiam consecuti sumus, non deficiamus, sed in numero pugnato- *cap.4. v.1.*
rum Deum verè timentium censeamur: quorum formam ac prætogativas in reliquis hujus capituli versiculis Ecclesiasticus describit.

Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius:
& qui diligunt illum: conservabunt viam illius. V.18.

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei:
& qui diligunt eum: replebuntur lege ipsius. V.19.

AMor & timor simul debent in strenuis spiritualis militiæ militibus inveniri: atque hi sunt characteres quibus ab aliis secernuntur: unde noster Jesus utrumque simul conjunxit.

Timor ille neminem desperat: *Siquidem homines credibiles* efficit *verbo Dei*; qui se nobis amoris sui pollicitationibus obstrinxit. Ex amoris quadam veneratione & existimatione nascitur potiùs; quàm ex mala servilis formidinis affectione. Quam ob rem attrahit potius, quam repellit: & per gradus hîc designatos ascendit; ut ad Deum propius accedat, & felicitati suæ appropinquet. In Fide constans: fit quoque in virtutum praxi stabilis; nec ab ea potest amoveri. Augetur deinde perfectionis acquirendæ desiderium, quod ad perquirendum

quod Deo acceptius est, illum inducit ⁊ ac tandem felicem illum statum assequitur; in quo Deus illi est omnia in omnibus, & illius observatio, votorum suorum expletio est. En quatuor, quæ hic continentur: sed expositis jam tribus aliis, ultimo paululum hæreamus.

Psalm. 39. vers. 20. Verissimè dici potest iis *adhærere sedem iniquitatis, qui fingunt laborem in* Dei *præcepto.* Nihil enim continet quod non sit naturaliter insitum animæ rationali: & signum illud est quod Deus in illius centro, lumine vultûs sui impressit. Originale peccatum pulverem super illud effudit, qui impedit, quò minus apertè legantur injuncta præcepta momentáque omnia regularum justitiæ, quæ in ea, Dei digito scripta sunt. Peccatum actuale majorem ejus lineamentis obscuritatem offudit ⁊ attamen sunt ex seipsis indelebilia; ac quilibet homo, licet improbissimus in eis scriptum legit, unde certò & evidenter rebellionis evincatur.

Fidelis anima pulverem hunc virtutis exercitio abstergit ⁊ & quò diligentiùs eluit; characterum pulchritudo emicat. Illorum excellentiam agnoscit ⁊ ac nihil esse perpendens quod sibi sit lege divina convenientius: illius amore tota succenditur. Ejus voluntas ad illam venerationc studiosâ prosequendam excitatur; atque in ejus observatione desideriorum suorum adeptionem nanciscitur. Nihil magis veretur, quam adversus illam vel in minimo delinquere: atque experientiâ magistrâ cognoscit legem Dei sibi satis supérque esse ad illam omnimodè replendam. Sic usu innotescit sensus ac veritas eorum omnium quæ ab antiquo nostro Jesu hîc promittuntur.

Qui timent Dominum, præparabunt corda sua: et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. VERS. 20.

Cordis præparationem, quæ ad se prudenter in tentatione gerendum valdè necessaria est, descriptam habes in primis hujus capituli versiculis. Tibíque aliàs indicavi, quam adhibiturus sis, ô Theotime; ut omnes vitæ tuæ actiones ad rectæ rationis amussim componas. Unum igitur hîc addam ⁊ scilicet cor, ut in sua præparatione sartum tectúmque conservetur, expediendum esse ab omni creaturarum immoderatà affectione: quò nihil obstet, quin anima voluntatem Dei unicè exquirat. Hinc duplex, quæ hîc subjungitur, procedet utilitas ⁊ nempe verus in perfectione progressus, qui ejus desiderium semper augebit: & magna in præsentiæ Dei exercitio facilitas.

Anima quæ in tentationum conflictu, experientiâ suâ edocta fuerit, & notitias ex eis sibi comparaverit ⁊ benè præparatam se sentiet ad Deum in se videndum: vel simplici intellectûs apprehensione, vel unico vivæ Fidei intuitu. Nec necesse erit ut sensibiles sibi formas effingat,

aut vehementem adhibeat animi contentionem, ficut incipientibus ac tironibus fæpiùs evenit; qui experimento fuo difcunt, Deum veriùs quæri cum animi fuavitate; quam cùm conatu vehementiffimo. Illa enim plus habet humilitatis, & gratiæ: hic verò magis fecundum naturam eft, & amori proprio magis obnoxius.

Nota, ô Theotime, hæc omnia continenter fequi; ac fibi cohærere. Poftquam enim cor bene præparatum & ab omni rerum creatarum adhæfione liberum, locum Deo dedit; illum in femetipfo refpicit: ac reverentia, fuavitas, & cognitæ illius præfentiæ auxilium ad id inducunt animam, quod illam ftrictiùs cum Deo poteft conjungere.

Qui timet Dominum cuftodit mandata illius: & patientiam habebunt ufque ad infpectionem illius. VERS. 21.

Dicentes; fi pœnitentiam non egerimus: incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. VERS. 22.

Secundum enim magnitudinem ipfius: fic & mifericordia illius cum ipfo eft. VERS. 23.

IN hac præfentis Capituli conclufione deprehendes inter cæteros verorum Dei Filiorum characteres, ô Theotime, quoufque tandem illos perducat in impugnanda Tentatione fidelitas: quofque in eorum animis fenfus imprimat. Pœnitentiæ humiliationem patientiæ confociant; & pœnas fubjiffe meritis fuis longè inferiores agnofcentes, patienter expectant, donec illos ex eo ftatu educat Deus, in quo ex voluntatis illius decreto pofiti funt: ac certò fciunt omnes, quibus involuuntur, tenebras unico illius afpectu penitùs fore diffipandas. Tantam ex fua fpe, atque fiducia confolationem capiunt; ut, fi tunc ab ipfis quæreretur quid in intimo corde de Deo fentiant: cum S. Job
fine dubio refponderent, ***etiam fi occiderit me, in ipfo fperabo***. Sen- *Iob. cap. 13.*
tiunt fe per Tentationem ad virtutes propenfiùs ferri; ac fedatis ejus *verf. 15.*
fluctibus, multùm confolati ac læti agnofcunt, illam fibi profuiffe ad fe fuperponendum Creaturis: quemadmodum Diluvij aquæ Noë arcam fuper montes evexerunt.

Vides in hoc Capitulo ea omnia documenta quæ mitigandis vitæ noftræ ærumnis, quantæ quantæ fint, poffunt infervire; ad hæc actiones omnes noftræ conformandæ funt; & quidquid cum eis non concordat, nihili reputandum eft. Si attentè illud confideremus; Vitæ Chriftianæ perfectionem in illo contentam reperiemus; ac tentatione, quafi calcare quoddam, ad eam nos promoveri. Verum fi quæcumque continet fecerimus; antiqui noftri Jefus Canticum *Confitebor* canere

libebit : quod tibi sum explicaturus, cùm è tentationibns generatim sumptis, ad eas, quæ te exagitant pervenerimus.

Vid. sup. vers. 1. Hoc in primis consilium dat, *ut suscipias verba intellectus*; nonnulla igitur in quamlibet tuarum tentationum à me tibi dicenda sunt: postquam Deum rogavero, ut salubria ac tibi proficua suggerere dignetur.

De Tentatione quæ D. Paulum impugnavit: & pro qua à se amovenda ter Dominum rogavit.

1. Corinth. cap. 12. QUod Deus Paulo supplicanti respondit, non mediocriter te debet consolari : nempe quod *virtus in* hac *infirmitate perficiatur*. Non miror tamen quod hæc oppugnatio nonnihil te perterruerit; hoc enim vulgo contingit viris timoratis, ac Deo servire incipientibus, qui se conspiciunt corruptionis carne circumdatos; quæ eò procedit insolentiæ, ut ejus, à quo ipsa tentatur, partes audeat suscipere. Verùm eis dicendum est illud Davidicum : *illic trepidaverunt timore ubi non erat timor*. Ne quidquam formides, ô Theotime; sed Deo humilitate & fiduciâ firmiter inhære; & infirmitatem hanc non esse ad *Ioan. 9. vers. 3.* mortem percipies; *sed ut manifestentur opera Dei in te*, qui gratiam suam in infirmitatis vase triumphantem ostendit. Nec alio fine permittit hâc te miseriâ impugnari, nisi ut te, tanquam ejus tutelæ opus inspicias; ac ejus curæ, & præsidij memoria altiùs in mente infigatur. Animum igitur erige: & quæ sum dicturus, observa.

1. Pro certissimo fundamento statue fidelem esse Deum, *qui non patietur* *1. Corinth cap. 10. v. 13.* *te tentari supra id quod potes*; veritas enim hæc est indubitata quam nobis proponit D. Paulus : sed quæ necessariam habet cum divinis attributis cohærentiam. Si te appetit tentatio ; *faciet cum eâ proventum, ut* *Ibidem.* *possis sustinere*.

Si ergò dæmones corpore tuo ad te impugnandum utuntur; pro certo habe Deum tunc præsentem esse : téque respicere, non secus ac olim spectatores ex amphitheatris Athletam cum bellua certantem intuebantur. Hanc pugnam permittit Deus, ut illi soli honor & gloria tribuatur; unde nullatenus ambigendum est, illum & suæ ratione justitiæ, & gloriæ totum incumbere ad prælianti succurrendum, modo fini, quem sibi proposuit, convenientissimo. Hæc omnia ad ejus amoris, bonitatis, ac sapientiæ trutinam accuratiùs, æquiúsque appenduntur, quam sennæ dragmata, quæ medicus in potione medicata miscenda proponit.

2. Autem penitùs avertas velim ab illa mentis curiositate, quâ sæpissimè disquirit, cur illa tentatio aliquos plus, minúsve appetat; alios repetitis vicibus aggrediatur : ac nonnullos atrociùs, violentiúsque impugnet. In his enim multa continentur abscondita mysteria, quæ

nobis non convenit agnoſcere. Naturalis conſtitutio iſtud in multis perſæpe efficit; nullus tamen hæc patitur abſque Divinæ Providentiæ omnia ſapientiſſimè diſponentis certiſſima ordinatione; & ad eam ſemper recurrere debemus, illique conſtanter ſtare, nec in fallacium conjecturarum tricas animum conjicere.

Suprema hæc Providentia naturam pro ſuo beneplacito condidit; & ſi ob finem ſibi notum, illam qualem videmus, fabricavit; neque etiam abſque intento fine ſinit hujuſmodi rebellionibus animas impugnari. Quæ ſi in certaminis conflictu ad ſudorem uſque laborent; non mediocre referent ex eo ſolatium, quòd nihil bonam voluntatem in rationabile ſui corporis odium efficaciùs adducat; nihil, quod à creaturis, quarum laqueos & inſidias tentatis detegit, nos utiliùs ſejungat; nihil denique quod nos perfectiùs Deo conjungat. Ad hæc omnia ſe neceſſitate compelli animadvertit: ſed nimiùm felix ea neceſſitas quæ nos ad meliora compellit.

3. Sed neque acquieſcas cogitationi, quæ, quantùm conjicio, hoc tibi libenter objiceret; ad quid porrò hujuſmodi Tentatio? Non licet nobis divinæ arcana ſapientiæ penitiùs intrare; ſed quaſi ad oſtium ſtare ut ea proſpiciamus; ac ſanctè humilitérque veneremur. Nihilominus tamen multæ hinc cauſæ advertuntur; quæ ſimul, vel ſeparatim erui poſſunt, pro variis eorum qui Tentationem patiuntur, diſpoſitionibus, & ſtatibus.

Hæc pœna prudenter in pœnitentiam indicta eſt hominis ſuperbiæ; nihil enim clariùs, dilucidiúſque ſuam ipſi miſeriam patefacit: atque ideò ſe coram Deo deprimendi neceſſitatem. Hujus conſideratio phreneſis, quæ ſuis deliriis rationem excæcare nititur, eámque haud dubiè ſeduceret, ſi ſuis illa viribus confideret, animæ fortiter inſiſtit, ut ſpem omnem ſuam in Deum projiciat: & fortitudinem ſuam in illo exquirat. Hæc pœnitentia præſentiſſimum eſt adverſus ſuperbiam antidotum; quod Deus Paulo adhibuit; *ne magnitudo revelationem ipſum extolleret.* *2. Corinth. cap. 12.*

Juſta utique eſt peccatorum in ſextum præceptum commiſſorum punitio. S. Mariæ Ægyptiacæ exemplum nos edocet, Deum tentationes eum ad finem immittere; ſiquidem ad eum mirabiliter converſa; in violentarum carnis Tentationum exercitio, ſeptemdecim annis relicta eſt. Quod perpetrando peccato inſervierat: ad illud in ſeipſa caſtigandum adhibuit. Sícque vecordia, quâ ſuam animam diabolo proſtituerat, ne quidem volens turpiſſimâ unius momenti ſe voluptate abdicare; forti ac diuturno certamine emendata eſt: tótque de hoſte, à quo prius devicta fuerat, victorias retulit, quoties perverſos illius uſus, aſſenſum ei denegando, deteſtabatur. Suas injurias melius non poterat, quam in earum autorem ulciſci: & eam ob cauſam hunc ipſi Deus iterùm objiciebat.

Prælium eſt, quo ſuiipſius abnegatio, defectio a Creaturis, ac Deo adhæſio nobis comparatur: his enim armis ſolummodo poſſumus in eo ſubſiſtere, vel vincere. Experientiâ ea arma agnoſcimus; eis uti neceſſitate compellimur: ſicque iis utendo eorum utilitatem atque uſum ediſcimus.

Saluberrimum eſt adverſus imprudentiam, & negligentiam remedium; hominem enim ad Deo, ſibique attendendum obligat; ejúſque aures aperit ut magnum hoc Chriſti Domini conſilium auſcultet; *Matth. c. 26.* *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: ſpiritus enim promptus eſt, caro autem infirma.* Experientiâ comperit annexam eſſe hujus conſilij praxi benedictionem; quæ magnam illius exiſtimationem parit: eóque rectè utendo cautior atque vigilantior efficitur.

Ejuſmodi Tentatio denique magnum eſt incitamentum ad excitandam animam, ut in bonorum ſuorum poſſeſſionem redeat; importunæ enim rebelliones, quas in ſe experitur, ac damna, quæ non ignorat ex iis conſecutura, ſi ſe vinci pateretur, rei momentum ac neceſſitatem ei indigitant.

Si Deus permittit his concupiſcentiæ motibus animam agitari; non alium certè ob finem ſinit, quam ut illa cognoſcat ſe ad his motibus dominandum eſſe creatam: ac debere ex illo certamine victricem evadere, niſi velit in viliſſimam ſervitutem redigi.

Hæ rationes magnoperè te debent & conſolari & animare; pro certo autem habeo illas ex animo tuo timorem omnem eſſe penitùs depulſuras: quo tentationem illam eſſe *plagam inimici* reformidas, *Ierem. c. 30. v. 14.* *quâ percuſſit te Deus caſtigatione crudeli.* Perſpicis enim à Divina Providentia ordinatam atque directam eſſe, ejúſque impetus ſaluti plurimùm prodeſſe.

Antiquus noſter Jeſus modum accuratè edocuit te optimè in hac tentatione gerendi; attamen ut faciliùs queas generales ejus regulas huic ſpeciei particulari accommodare: quædam hîc monita tibi ſubjiciam.

1. Ut benè contra Tentationem hanc inſtructus ſis, ô Theotime, ſtudere debes ut in humilitate magis ac magis excreſcas; teipſum in hujuſmodi pugnæ tanquam vilem & contemnendum reſpicias: & fiducia tua in Deum, tuam coram eo annihilationem, adhæſionémque teſtetur. Vigilantia tua ſit prudens; illam oratio ſemper comitetur: at nimiam in agendo feſtinationem, trepidationémque à te prorsùs amove.

In memoriam revoca miniſtri Eliſeï hiſtoriam, qui viſo exercitu urbem, in qua morabatur, circumſidente, terrore correptus cucurrit ad Dominum ſuum dicens; *Heu, heu Domine mi, quid faciemus?* quid *4 Reg. cap. 6. v. 16.* de nobis fiet? cui Eliſeus reſpondit; noli timere: *Plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Hæc verba ſervi timorem paululum ſedarunt

verum

Verum cum ejus Dominus Deum orasset, ut servi sui oculos aperiret, hicque maximam equitum equis igneis insidentium multitudinem in Elisei circuitu conspexisset: formidinem suam omnem deposuit. Historiam ad teipsum converte: atque pro certo habe, Tentationis oppugnationem, longè inferiorem esse auxilio, quod Deus sibi fideliter servientibus suppeditat: licet corporeis oculis non videatur.

2. Quantacumque sit pax tua, nunquam tamen tibi ipsi fidendum est: nec sic te geras, quasi prælium omninò confectum sit: aut longè à te dissitum. Omnia prudenter præcavenda, atque circumspicienda sunt. Quippe serpens sub foliis sæpius dormit: at non ideò mortuus est: si illum imprudenter tetigeris, derepentè expergiscetur.

3. Noli usus quosdam, quantumvis spirituales, adhibere tanquam quibus fiat quædam hujus prælij anticipatio, quæ mentem in continua trepidatione detineat: periculosus enim ibi laqueus tenditur iis præcipuè qui seculo renunciarunt; ac quorum conscientiæ teneræ sunt. Harum anticipationum praxis, ad accersendum quod timetur, sola sufficit. Hinc enim provocatur imaginatio, quæ nimium excitata menti quietem adimit; illámque in anxio, molestóque conflictu ferè distinet, in quo anima & conscientia sæpissimè vulnerantur. Ex hoc vulnere non solum dolor, sed & periculum maximum existit: qui enim illud acceperunt, adeò delicati & imbecilles fiunt: ut vel umbra bellum & tempestatem in ipsis excitet. Quæ nulla ratione sedari, vel mitigari possunt. Cuncta eis videntur laquei & congressus: quódque ab aliis vix attenderetur: periculum eis efficitur; & hac defatigatione gravati in fastidium incidunt. En quousque hujusmodi usus eos perducit.

Non alia tibi sit, ô Theotime, anteoccupatio; quam humilitas, plena in Deum fiducia, & accurata eorum, quæ tuæ vocationis sunt, observatio. Nec alium laudabiliorem habitum contrahere possumus: quàm generosum illum contemptum concipere, qui ex hujusmodi mentis dispositione emanat. Nobilis enim ac generosus ille contemptus nullum in animo tumultum movet: silentium ac pacem in eo stabilit: sicque mirum in modum resistit, ac vincit gratiæ fretus auxilio.

4. Accedente tentatione ad Deum te nullâ morâ converte, ubi videris oppugnationem esse formatam: ac crede te oppugnari, ut ad ipsum confugias: quemadmodum oves, persequente cane, ad Pastorem suum profugiunt. *Conjungere Deo & sustine*; Hæc in secundo & tertio hujus capituli versiculo explicata reperies.

5. Non aliter tuis cogitationibus attendas; ac ij qui pertranseunt surdum simulantes. Mentis aciem ab omni curiositate avoca; ejus cogitationum cursum compesce voluntatis ad Deum aspirantis actibus. Exteriores occupationes, si per tempus & decorum liceat, adhibe; sed

hæc omnia suaviter, fortitérque exequere. Voluntas tua totam se in Dei sinum effundat brevibus, sed fiduciæ plenis aspirationibus. Hùc se recipiat, ut secura sit; attamen in actualium renixuum exercitio non se constituat; quasi vellet in hostem irrumpere. Ista quoque in iisdem versibus enucleatè expressa invenies.

Quamvis tuæ te cogitationes, velut apes concitatæ circumdarent; minimè terrearis; nec ejus motus magis te percellant, quam fulgura æstatis tempore micantia. Ea enim est animalis natura. Sed animum
Psalm. 120. erige, *levans oculos in montes, unde veniet auxilium tibi*; tuáque in
Psalm. 26. Deum fiducia hæc Davidis verba proferat: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, & si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Terror animi vires debilitat; imaginationem reddit ad suscipiendas inimici permotiones magis idoneam: huícque occasionem præbet duplò amplius desæviendi. Nihil est quod vereamur quamdiù Deo unicè adhærebimus; his tantum timendum est, qui non satis perpendunt quantùm indigeant se Deo unire, ut in hoc certamine non succumbant; qui sua in vigilantia improvidi sunt, & ad fugiendas occasiones periculosas parùm seduli: quíque orationis gladium non distringunt quando cum illo hoste certandum est. Hæc sunt nostri antiqui Jesus documenta omnia; Et hæc sunt quæ in præsens argumentum esse tibi scribenda judicavi: ac tibi debent sufficere pro eo, in quo nunc es, statu. Noli esse nimis cupidus in istis fieri suprà quod expedit doctior; cúmque illis tantummodò anxietates tuas & scrupulos communica: quibus tradidisti conscientiæ tuæ directionem. Duo hæc monita in animo tuo altiùs infige.

De illius privatione qui te in Religione instituerat.

NOn diffiteor te in hoc à Deo probatum fuisse modo sanè acerbissimo; in spem tamen inducor te per hanc jacturam, adjuvante illius gratiâ, præparatum iri ad hæc Psalmistæ verba cum plenitudine
Psalm 15. vers. 5. cordis & in veritate decantanda: *Dominus pars hæreditatis meæ, tu es*
Psalm. 72. vers. 26. *qui restitues hæreditatem meam mihi.* Et illa; *Deus cordis mei: & pars mea in æternum.*

Mentis oculis in hac tua afflictione te respexi; optavíque ut illa tibi prodesset ad magnum tuæ fidelitatis incrementum erga eum: qui suam
Malach. cap. 3. in promissis suis, auxiliis, consiliísque nunquam imminuit. *Ego Dominus*, inquit, *& non mutor.* Ut in essentiâ, ita in qualitatibus suis mutabilis non est. Porrò duas præcipuè habet nobis valdè honorificas & gloriosas: *Patris* scilicet & *sponsi.* Priori ad reverentissimam attrahimur hujus ductui & correctioni subjectionem: alterâ verò nos ab omnibus sejungit, ut ei conjungamur. Nónne debet sponsa patrem & matrem relinquere; & sponso suo cum quo aliquandiu in terris victura

est, adhærere? Cur ergò anima quæ cælestis sponsi sponsa est, ejus dotata sanguine, ac ejus vitæ pretio empta, ab amicorum consortio se penitus non abstrahet ? ut ad æquissimam sui sponsi voluntatem se conformet, eique copuletur cum quo æternùm regnatura est?

Verba intellectûs, quæ vulneri tuo salubriora sunt; ea esse debent quæ ingerant perfectam à creaturis abalienationem. Igitur, ô Theotime, quæ tibi dicturus sum sedulò attende.

Fatendum est modum, quo res humanus intellectus apprehendit, sæpissime fallere simul, & falli. Nihil habet homo suâ libertate pretiosius ? nihil instantiùs desiderat & perquirit: attamen nihil est quod lubentiùs illigat. In hoc mirum in modum allucinatur ? sub specie enim eâ libertate utendi circa quædam creata, vinculis ita subtilibus illam implicat; ut ea tunc solùm advertat, cùm ex ipsis vult se eripere, aut cùm privatio ipsum ab iis separat. Solicitudo quâ angitur, dolórque quem illi causat hæc privatio, tunc illum manifestè convincunt, ligatam esse suam libertatem: nec aliunde dolorem suum, pugnámque quam in seipso patitur, oriri. Sic misera illa libertas deluditur. Sed quid ad hæc dicemus? Fateamur, ô Theotime, libertatem rerum omnium esse optimam: sed bonum illius usum plerúmque nos ignorare. Inquirimus quod illam ligat: & fugimus quod ipsam, solutis ejus vinculis, verè liberam reddit. Quamdiu enim vel minimùm irretitur: perfecta nequit esse, nec vocari libertas. Spiritus Dei ad nobis succurrendum adveniat necesse est, ut rectum illius usum nos edoceat ? & cæcitatem illam tollat quæ libertatem nostram ad creaturas impellit; atque in foveam nos dejicit, ex qua non nisi cum multo labore emergere possumus.

Ubi Spiritus Dei, inquit Apostolus, *ibi libertas.* Patet igitur Deum nolle quicquam nobis auferre ex hac libertate, adeò pretiosâ, ut totus mundus non habeat, unde ejus pretium dignè solvat; ? sed illam in nobis servare: siquidem id unum intendit ejus Spiritus, nempe ad veram libertatem nos reducere. *2. Corinth. cap 3. v.18.*

Hoc nobis innuit, juxta Apostoli mentem, Dei Spiritum, ex quo in animam intravit, servitutis jugum ab ea depellere ? & allaborare, ut veriùs de libertate sentiat ? eámque liberet, atque exercitatione corroboret; ne in idem periculum se se in posterum involuat..

Idem Apostolus libertatem Filiorum Dei sæpe commemorat ? illam prædicat, ut quietis & tranquillitatis portum: ac velut bonum, cujus soli Dei Filij digni sunt fieri participes. Hinc vides, ô Theotime, omnia nos ad libertatem invitare. Spiritus Dei ad hanc nos allicit ? in eam naturaliter anima propendet ? sed ad illam ascendere non potest, nisi per gradum solutionis: cum ab eâ per solam Creaturarum adhæsionem arceatur.

Nullæ divitiæ cum iis comparandæ sunt, quas anima possidet nullis

implicata vinculis; idque experientia comprobatum est. Cùm enim ab aliqua cupiditate quæ illam alicui rei subjectam detinebat, se se expedivit ꝛ sibi videtur novum aërem respirare : ac oppressione, quam asthmatici in pulmonibus patiuntur, non absimili sublevari. Æquè se liberam videt, ac is, qui asthmate suo solutus respirandi facilitatem recuperavit. Talis erat David, hæc Deo psallens : *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Summo gaudio afficitur anima, quæ se sentit nulli prorsus rei adhærescere: sed & illud utique probat se propter Creaturas minimè fuisse à Deo formatam. Si adhæsio ad Creaturas illam in statu violento detinet : indicium est illum non esse sibi a natura insitum. Si verò ad Deum adhæsio tranquillam efficit: indubium est quod illa sit ei omninò naturalis. Quod si hæc à creaturis solutio quæ simplex est libertatis ad se uniendum Creatori dispositio, tantam animæ dat suavitatem ꝛ quantò majorem porrò percipiet, cùm ei se sentiet unicè conjunctam?

Psalm. 115.

Hæc omnia David expertus fuerat. Magnus ille Rex iis omnibus deliciis perfruitus fuerat, quæ possunt sensus & animum explere ꝛ his verò degustatis, aliò se convertit, ac justum veritati testimonium perhibens : *mihi*, inquit, *adhærere Deo bonum est*, & *ponere in Domino Deo meo spem meam.* Noverat expertúsque fuerat, quanti pretij Deus animæ est. Sed rationibus evinci facilè potest hanc à Creaturis solutionem multis ejus libertatem doloribus & anxietatibus eximere.

Psalm. 72. vers. 27.

Creaturæ qualescumque sunt, quatuor defectibus laborant ꝛ imperfectæ sunt, instabiles, caducæ & non diuturnæ : Unde absentia & privatio statim subsequuntur. En quod ipsis nativum est. Quod imperfectum est ex parte & ad modicum tempus delectat. Ut enim imperfectio deprehenditur : generatur fastidium. Quod mutabile est : sollicitudinem semper parit. Quod fluxum & caducum est, timorem incutit: Quod abest, dolorem affert acerbissimum. Verè igitur ac meritò dici potest animam à Creaturis solutam magnâ servitute, multísque doloribus liberari : quandoquidem eorum causæ creaturis indivisim annexæ sunt. Sed quatuor isti miseriarum fontes ante libertatem fugiunt, (sicut noctis tenebræ oriente Sole dissipantur) cùm illa à Creaturis soluta est, ut soli Deo strictissimè jungatur. Ipse enim qualitates creaturarum defectibus oppositas eminenter possidet: quæque vnicè possunt libertatem saturare & quietare. Perfectus est, & tam absolutè perfectus, ut ejus perfectio eò admirationem & desiderium animæ moveat, quò magis ei innotescit. Permanet: nec ulli vicissitudini, aut mutationi obnoxius est. Interire non potest ; ac ubique & semper præsens est. In eorum omnium cumulum, adjice id quod dicit Apostolus : *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* Si unus cum Deo Spiritus efficitur : ejus profectò libertas non potest melius unquam stabiliri, nec rebus necessariis ditiùs ornari & instrui. *Adhæsit anima mea post te*, inquid David; *me*

1. Corinth. c. 6. v. 17.

Ps. 62. v. 9.

Suscepit dextera tua. Si manus Dei nos dirigit, à quonam securiùs regi poterimus? Cuncta in mundo pereunt; ac pereundo, causam doloris nobis suppeditant. Anima verò à creaturis perfectè libera nihil habet quod amittat. O quot igitur illa, quantísque doloribus immunis est.

Quæ cùm ita sint, ô Theotime, mirúmne nobis videri debet, si Deus ad alienationis scholam animas deducit, quas vult ad fidelium sponsarum dignitatem & ad libertatem filiorum suorum evehere; minimè profectò. Sed mirari nos potiùs convenit in hoc præclaram ejus sapientiæ dispositionem, & ferventibus nostris precibus illum inducere ad impertiendam nobis cælestis hujus scientiæ benè addiscendæ gratiam, quam ipse docere dignatur; atque sapientibus ejus consiliis nullum impedimentum nos interposituros, polliceri.

Tres in hac schola classes à nobis optimè possunt distingui.

In prima alienatio à Creaturis edocetur ex mutationibus, & adversis casibus, quæ nos cogunt illarum privationem perpeti. Quot amicos nobis aufert Deus, tot dat nobis renunciationis documenta: sicque de cæteris rebus quæ pro arbitrio suo moderatur, censendum est. Juxta progressum quem quisque nostrum in hoc studio facit, sublimioribus illum præceptis imbuit. Sed si minimè proficientibus aliqua tamen tradit, quæ nobis videntur difficilia, credendum est illum velle nos provehere; ac brevi tempore peritissimos efficere. Omnium, quæ animæ sibi dicatæ tradit, difficillimum esse arbitror separationem, ac privationem juvaminis cujusdam personæ ex qua ducebat multa virtutum exempla, magnam consolationem, ac sinceram in spiritualibus disciplinam. Esto, condonemus eis breves quosdam in hoc casu gemitus. Scimus juniores sponsas viris alienigenis matrimonio conjunctas non sine lacrymis extremum parentibus & familiaribus suis vale dicere, attamen non eis succensent earum viri: quin imò mollibus verbis ipsarum dolorem conantur mitigare. Quippe qui illas videant, etiamsi in mœrore sint, ad ipsos subsequendos esse paratas: ac longe abesse à cogitatione ipsos deserendi. Non aliter se geret erga sponsas suas sponsus cælestis: ipsarum lacrymas ultrò excusabit, dummodo nihil diminuant de proposito illum sequendi. Imò verò amat vanitatem earum rerum quas deflent, illis patefacere, quantúmque errarent sic lugendo, nisi voluntas hos fletus cohiberet; quemadmodum infantes amissis crepundiis lacrymantes placamus.

Anima illa de sponso suo in primo doloris sui æstu libenter conquereretur, quòd illius personæ sive absentis, sive defunctæ præsidio eam privaverit, sed non videt, quod sublato creaturæ subsidio, ad sublimiorem illam evehit cognitionem: qua addiscit soli sponso incumbendum esse, ut sit ipsi omnia in omnibus. Numquid aliquando vidisti quo artificio Architecti fornices struunt? Arcus ligneos supportandis lapidibus subjiciunt; subjectósque tenent donec fornicis umbi-

licus sive clavis impositus sit, & arenatum omninò siccatum sit. Post hæc illos deponunt ; alioquin enim fornix perfecta videri non posset: solúmque materiarum exterarum congeries conspiceretur, nec dici posset fornix-ne sit, an non. Ad eum se modum Deus erga sponsas suas gerit ; quando illis subtrahit optimi cujusdam directoris subsidium: Atcûs lignei pars est quædam quam dejicit, ut fornicis opus videatur, ostendâtque illam fabricasse, ut absque illo adminiculo stare possit.

In secunda hujus scholæ classe suiipsius abnegationem docet: ex contradictionibus & pugnis quarum causæ in nobis sunt.

In tertia denique solutio à propria voluntate discitur, sanctæ obedientiæ exercitiis. Nunc, ô Theotime, primæ classis documenta in praxim redigis ; postquam verò in duabus aliis operam nostram, studiúmque impenderimus; in sacrum libertatis Filiorum Dei ordinem Doctores cooptari merebimur. Libertatis hujus vel ad momentum gustus adeò suavis esse cognoscetur: ut reliqua quæ in mundo sunt, nequeant cum ipso comparari. Verum enim verò si jucundus adeò est in hac mortali vita libertatis gustus ; qualis amabo in gloria degustabitur? Siquidem altera est solummodo in solutione: altera verò in possessione. Si libertas tantæ est excellentiæ ; quantùm cupidi ac solliciti esse debemus, ut ad nihil seipsâ indignum adhærescat.

Quasdam hic tibi rationes subjicio obicem consiliis Dei non ponendi ; quibus vult ut omnem amorem à Creaturis abjiciamus; & illi soli inhæreamus.

1. Deum in omnibus tanquam omnis boni fontem intueri oportet? firmitérque credere; nihil esse nobis bonum, aut utile, quàm illud cujus autor ipse est.

2. Studere sensibili coërcendo circa pios homines quibus videmus illud velle adhærescere. Probos feliciter diligamus, sed semper liberè ; ut, libertate nostrâ nullis astrictâ necessitudinis nexibus, Deum facilè possimus sequi, quocumque nos attrahere illi placuerit: ac si quodam doloris sensu corripiamur, illum nihilominus liberi, nec repugnantes sequamur, qui dolores nostros lenire, ac labores remunerare potest.

3. Divinæ Providentiæ placitis ex plenè resignata voluntate acquiescere in privationibus quæ nobis eveniunt ; Deúmque sequi, ut sponsa prudens ac perfectè subjecta conjugem sequitur ad exteram regionem proficiscentem.

De Directoris obitu.

Quidquid proximè jam tibi diximus, huic vulneri debet applicari ; eidem tamen superaddendum est quorumdam verborum intellectus

balsamum : ut illius dolor placetur. Video enim illum esse acerbissimum, & plurimas ex oculis lacrimas elicere.

Mirum nemini videtur, quod divinæ privatio consolationis animam dolore afficiat : hoc enim rationi omninò consentaneum est. Absentia statûs quem primo degustavit, quíque tam justus illi, sanctúsque, atque necessarius apparet ; & alterius statûs præsentia, qui illi innatus est quidem, sed cujus miseriam & insufficientiam tunc sentit, in mœrorem ipsam conjicit : & discrimen, quod inter duos illos status adeò oppositos intercedit, causa illius tristitiæ est. Contrarietas illa plena doloris est ; sed Deus eâ utitur ad nostrum profectum. Non erit etiam mirandum si anima ex Directoris sui privatione tota in mœrore jaceat ; quippe qui omnium ejus cordis arcanorum conscius erat : quíque motus ejus dirigebat, ut illam ad Deum perduceret. Hic enim nexus æquissimus, utilissimus, ac valdè consolatorius esse videtur : atque utriusque doloris causa magnam inter se similitudinem habet. Divini sensûs absentia affligit : & auxilij ejus ministri privatio tristitiam infert. D. Paulus hujusmodi pœnis commotus fuisset ; ipse enim homines qui *sine affectione* sunt, vituperat. Sed Dei sapientia, quæ servum suum ad se evocat ; non minus est suspicienda & admirabilis. *Ad Rom. c. 1. v. 31.*

Domino licet pro arbitrio suis domesticis uti ; ísque contumeliosus in ipsum foret : qui sublato uno operario, ejus opus cessatum iri arbitraretur. Si servum à seculo retrahit Dominus ; hinc docere vult spirituales affectus, sicut & alios quibus libentissimè astringimur, esse penitùs dirumpendos : agnoscamúsque illius servos velut organa esse, quæ ipse pulsat, ut resonent.

Privationes istæ plurimum juvant ad veritatem suadendam ; nempe Deum in cordibus nostris insculpere, quod homines auribus insonare tantùm valent : nósque firmiores reddunt, ut lumen internum, atque in ejus amore crescendi rationem ab ipso duntaxat spectemus.

Si illius Providentiæ pedibus stes attentus Lectioni, quam tibi hac privatione vult tradere : in hac tua submissione thesaurum invenies. Sed ut hoc fiat, ejus decreta sunt profundè adoranda ; servandum patientiæ silentium : ac fiduciæ sermo usurpandus est.

Si tibi aliquid ex una parte aufert ; mille modis, viísque potest illud ex alia reddere, & quia Pater spirituum est, amat in animas, se se effundere, quæ totum spiritum ab eo expectant.

Quandoquidem ipse dixit, *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* ; haud dubium est profectò, magnum esse meritum illam sic perdere : & quod pro illo libentissimè deperditur esse cum magno fœnore reddendum. *Matth. cap. 10.*

In hoc possumus Dei bonitatis, ejúsque in nos indulgentiæ abundantiam animadvertere. Cùm aliquid nobis eripit ; de suis bonis solummodo disponit : cùm sit rerum omnium Dominus. Vult tamen ut

lucrum ex hoc, quod nobis aufert, percipiamus: dummodo non invito, sed libenti animo dimittamus. Sic se gerit erga nos illius bonitas, quasi nollet nos éa re privare, quam tantummodò commodaverat: quin aliquid melius, ut nos consoletur, in illius locum sufficiat.

Æquo animo igitur esto, Theotime, ac recogita, etsi tubus, quo ad te aqua decurrebat, oculis ampliùs non appareat: nihilominus tamen fontem integrum permanere. Aliùndè profluet, vel si teipsum inundaverit; magnum tibi erit emolumentum. Sciet utique qua parte se poterit effundere ut nos repleat, ut ejus aquas recipiamus: ejúsque bonitatem tam justam esse experiemur, ut quod suum est, nolit cum tertij damno accipere. De illius causa in hac privatione agitur. Si tibi ductorem eripuit: habes jam in ipso erepto amicum judici maximè gratiosum.

Confide, ô Theotime, *Fides tua te salvum faciet.* Qui tibi organum illud abstulit, de altero tibi providebit: vel per semetipsum, quod tibi utilius, gloriosiúsque futurum est, vices ejus supplebit.

De impiorum prosperitate & bonorum adversitatibus.

HÆc quæstio ex se potest, ô Theotime, mentem humanam non mediocriter agitare, sed & infortunium, quod accepit Dominus N. tuum in primis animum hac consideratione percelluisse existimo. Sanguinis proximitas ictum retorsit in cor tuum tenerrimum; ex quo saucium hactenus remansit. Mens tua hoc vulnus voluntariis reflexibus quasi fricuit, suísque se totam in cogitationibus abdens Tentationis certamine implicata est. Verùm integrum habeo verborum intellectus quaternionem tibi super hac re proferendum.

Eodem planè modo tentatus est David, ut in Psalmo 72. videre est; quem his verbis incepit. *Quam bonus Israël Deus; his qui recto sunt corde.* Ab eo Psalmi exordium sumit: quod finire debuerat. Hæc enim verba sunt quasi synopsis, eorum quæ ex hac tentatione experimento didicit, sed hæc veritas ejus cordi tam altè insederat, ipsúmque adeò impleverat, ut non posset aliter sublevari: quàm cogitationes suas, posthabitis rationibus aperiendo. Hæc verba mentis exclamationes sunt errorem deponentis; quámque aperta veritas in subtilium Dei super homines consiliorum admirationem conjicit. Sed omnem tentationis suæ seriem deinceps exponit.

Mei autem penè moti sunt pedes, inquit, *penè effusi sunt gressus mei: Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.* Eorum deinde prosperitatem & arrogantiam describit, usque ad tertium decimum versiculum, in quo fatetur se adeò violenter fuisse à tentatione impugnatum: ut intra se dixerit. *Ergò sine causa justificavi cor*

meum,

meum, & lavi inter innocentes manus meas; quandoquidem *fui flagellatus totâ die : & castigatio mea in matutinis.* Mox ad se rediens, injuriam toti filiorum Dei communitari se illaturum agnoscit; si sententiæ huic diutiùs insisteret. Impiorum lapsum ac desolationem deinde prosequitur; fatetur Deum, dum sinit impios bonis affluere, in loco lubrico ac fallente illos posuisse : ac demum propositum, susceptúmque consilium modo planè intimo exprimit. *Quid mihi*, inquit, *est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum : quia, ecce qui se elongant à te peribunt.* Et reliqua, quæ in hoc Psalmo, qui totus legendus est, videbis. Quod enim hîc dico, ad faciliùs ejus sensum intelligendum tibi tantùm inserviet. Experientia, verbáque Psalmistæ tranquillare debent animam eâdem tentatione impetitam.

Observabis illum Tentationis suæ fluctus describere; testari cum admiratione qualiter ab ea eductus fuerit & tanti beneficij grates sapienti Dei Providentiæ referre : sed in reddenda ratione verba minimè extendit. Porrò ejus anima à veritate illuminata audire, ac reddere rationem alienum à se judicabat; præsertim cum humana ratio cum divina sapientia comparata, adeò vilis, abjectáque sit, ut coram ejus consiliorum sublimitate atque excellentia comparére non mereatur. Nihilominus tamen, cum omnia ejus consilia rationibus plena sint : per ipsum nobis licebit eas cum veneratione comtemplari. Utque nobis evidentiores sint; ab una parte illas statuemus, quibus vulgò utitur in dirigendis suis filiis; ab altera verò illas seponemus propter quas sinit improbos prosperitate frui : hísque ita dispositis manifestiores existent.

Quod Tentatio evidentissimus sit Filiorum Dei, ac Prædestinatorum character.

ALlucinaremur profectò gravissimè, ô Theotimè, si in omnes crederemus nos posse rationes penetrare : propter quas Deus hominem post lapsum suum conservare voluerit. Infinitæ sunt in uno eodémque consilio, rationes, quas musicæ symphoniæ comparare possumus : cujus tonorum oppositorum varietas mirum concentum efficit. Plurimæ admirabiles occurrunt, sublimiores atque inferiores, quæ in hominum conservatione concurrunt. Huic tamen uni insistam : *Deum* scilicet *velle hominis* fidelitatem laboris exercitio comprobare.

Videtur in innocentiæ statu raras fuisse ejus fidelitatis exhibendæ occasiones. Nulla enim tunc erant prælia sustinenda; nullæ contradictiones sentiendæ; nullæ sufferendæ privationes. Sed in statu naturæ corruptæ Dei justitia & bonitas unà convenerunt esse remansurum in

homine peccati fomitem, ut hac necessitate fidelitatem suam patefacere compelleretur, auxiliúmque ad id necessarium illi datum iri : ita ut concupiscentia non solum non sit ei nocitura, sed occasionem præbitura fidelitatis coronam reportandæ ; dummodo cum illa velit fortiter, strenueque dimicare.

Hic igitur Dei justitia atque bonitas peccato utuntur ad erigendum homini admirabile Theatrum, in quo fidelitatis suæ partes scire agere potest in *conflictu suiipsius* contra semetipsum, *in repugnantiis* quæ totis illi adveniunt: & *in privationibus.* Quæ tria in statu Innocentiæ deerant, reperiuntur modò : & amplam homini suppeditant se se exercitandi materiam. Duo priora semper sunt peccati fœtus sub Providentiæ moderatione constituti. Tertium verò ex Dei ipsius ordinatione plerumque accidit. Cúmque in illum homo usu creaturarum illicito gravissimè peccaverit : vult ab eo clientelaris fidelitatis debitum per privationem recipere. Solutio à creaturis, patientia, Divinæ voluntati subjectio ibi optimè testantur quantùm ille Creatori suo debeat : Deóque quamdam delectationem afferunt, quæ injurias ex creaturarum abusu ipsi illatas eluit. Ex præmissis animadvertere potes, ô Theotime, Deum se patrem esse semper recordari, ejúsque paternitatem justitiæ consilio semper interfuisse : ut omnia in hominis gratiam procederent, quem ejus amor & bonitas incitaverunt ad suam imaginem & similitudinem creare.

Ex istis tribus exercitationis modis id enascitur, quod *Tribulationem* appellamus. Impossibile est enim ut in praxim redigantur, nobísque eveniant, quin homo peccati quem in nobis habemus, quíque destruendus est, dolorem gravissimum patiatur. Sed Patrem cælestem dum pro suo in nos amore ac bonitate sibi vult in hoc nostro labore complacere, selegisse videbimus quod maximè congruum est ad nos præservandum, sanandum, atque à multis malis liberandum ; quæ paternam illius bonitatem adigerent, nos perdendo deperdere quod conservare desiderat. Ac, si privationes, contradictiones, præliáque ad fidem illi nostram patefaciendam multùm conducunt, non minus etiam conducunt ad tribus malis, quæ nos undique circunstant, obsistendum; nempe propensioni creaturis inhærendi, sibimet ipsi adhærendi : ac cupiditatibus indulgendi. Ex his duo jam possumus inferre, Deum scilicet magno animas honore afficere, dum illis in tribulatione aliqua versari permittit, ut in eorum fidelitate delectetur : & eos, qui tribulationibus vexantur, debere cum fiducia omnia ab illius suprema Majestate sperare. Æquior est quam ut suum illis præsidium deneget, præsertim cùm amphiteatrum ipsa præparaverit, & certamen instituerit : ac munificentior est, quàm ut eos tanquam Deus & pater non remuneret, quos ipse ad operandum misit. Si igitur ad fidelium creaturarum suarum dignitatem honorémque nos evehere constituit, Apostoli

verbis obſequi debemus, noſtráſque *animas* Deo *fideli Creatori*, *commendemus:* qui vult eas ad imaginem ſuam reformare, quoad uſque in ſua æternitate perfectas reddat. 1.Petr.cap. 4 v. 19.

Per tribulationem in nobis exercet patris optimi nomen, ac munia, nóſque ut filios ſuos amantiſſimos accipit; multis, quæ nobis opus ſunt, illius operâ occurrendo; aliis providendo: & ſalubria libertati noſtræ remedia, quibus imminentia mala propulſet, adhibendo. Remedia illa adeò neceſſaria ſunt: ut ſine his in maximo diſcrimine verſaretur. Quod mox oſtendemus.

Indigemus certè ut talis erga nos exiſtat Deus, qualis ſe habet erga pueros Pater; quot enim pueriles nugæ in cogitationibus noſtris, in deſideriis, & in affectibus involuuntur, quibus, ne foras exeant, invigilare debemus? Sed & quot ineptiæ in actiones humanas quotidie irrepunt, quas cæcitas noſtra obſtat, quominus deprehendamus? Ridemus puerum equo ligneo inſidentem, ſe rotantem, currentem, ac eo ſe modo agitantem, quaſi in equo ſederet hiſpanico: verumtamen hominem ſic nugantem erubeſceremus. Heu, mi Theotime, ſi pleráſque hominem actiones, occupationéſque fixis ac rectis oculis intueremur; eáſque rationis illuſtratæ, ac ipſius veritatis ſtaterâ examinaremus: longè his ineptiores, atque luctuoſiores nobis apparerent; & nobilitate filiorum Dei multò indigniores quam hunc iſtius puſionis ludum judicaremus: nec non criminis argueremus. Quiſquis in experientiam oculos conjiciet, hujus rei veritatem apertè cognoſcet. Permagni igitur noſtra intereſt Patrem cæleſtem nobis invigilare; ne vel pueri nugaces, vel filij reprobi efficiamur.

Docet nos experientia qualiter à nobis pueri tractandi ſint: multa ab eorum manibus auferuntut, ne eis abutantur, aut ſe lædant. Plurima illis ſervantur; ne ea vel amittant, vel vanos in ſumptus effundant. Nonnulla etiam illis abſconduntur; ne eorum deſideria inflammentur: & extra modum prodeant. Denique virgis, miníſque, nullâ lacrymarum habitâ ratione, ad rationem reducuntur. Nihil horum ad eos dirigendos, dum pueri ſunt, omittitur. Si conſtat igitur nos totâ vitâ infantes reſpectu Dei futuros eſſe; nonne æquum eſt ut paterna ejus pietas in nobis, quamdiu vivemus eadem exerceat, quæ erga infantes uſurpamus, ne quid malè agant; aut ut eos, cùm malè fecerint, corripiamus.

Humanæ in creaturas affectionis infirmitas, & lubtica hominis propenſio nemini incognita eſt. Creatæ ſunt, ut ſui bonitatem ac pulchritudinem Creatoris annuntient; cúmque illas deberemus cum veneratione Autori ſuo debitâ ſuſcipere, ac quid nobis annuntiant, attentis auribus excipere; ſenſus ſuos earum conſideratione occupatos omninò detinet: & ad furorem uſque illas ipſemet diligit. Dei, ſuique obliviſcitur, putans ſe abſolutum in eas dominium poſſe obtinere.

Vult, quod fieri non potest, dum sibi fabricare felicitatem exoptat; & creaturas a se individuas efficere; quasi ejus ad illas adhæsio legem posset præscribere earum conditori; & impedire quominus voluntatis suæ decreto illas ad se retrahat, aut ipsum ab eis morte separet. En, ô Theotime, quò ejus voluntatis propendet inclinatio, sicut horologij pondus ad terram descendit; & quo illum perduceret miserabilis ejus infantiæ cæcitas: nisi coerceretur. Numquid igitur erga illum, velut optimus Pater Deus se gerit; dum ei mutationes, atque subitas & *improvisas privationes* immittit, quæ periculosas præveniunt ineptias, in quas haud dubiè incideret, nisi ea re privaretur: aut quæ illum à creaturis sejungunt, quibus incipiebat adhærere; aut demum quæ præsentissimum illi remedium afferunt; ut vinculis, quibus irretitur, eximatur, nec non ut ejus ad Creaturas adhæsionis causæ, ac consecutiones periculosæ avertantur.

Nisi Pater noster cælestis tot casibus, mutationibus, jacturis, morbis, perfidiis, mortibus & cæteris id genus malis nos circumdedisset; aut si quid in mundo esset, in quo possemus placidè requiescere; quid de nobis factum fuisset? in quam devenissemus Dei, nostríque oblivionem? quandoquidem tot casibus nos undique prementibus, necesse est ut suâ nos dexterâ continuè sustentet, novâque nobis damna immittat; ut ad sustentandam affectionum nostrarum infirmitatem nos juvet: ac perniciosas oblivionis Dei & creaturarum adhæsionis consecutiones, in quas laberemur, rescindat.

Ut hanc Dei in homines regiminis rationem faciliùs comprehendamus, eámque esse omninò paternam agnoscamus; finge animo patrem, qui peregrè profecturus cuilibet è suis liberis cujusdam operis pensum, illos occupandi causâ distribuit: qui vestigia mox repetens, quosdam invenit chartis lusoriis ludentes; illas arripit; dilacerat; pecuniam per fenestram projicit; ipsósque acerrimè reprehendit, quòd tempus tam infeliciter absumunt: quod debuerant in opere sibi præscripto fideliter insumere. In aliam aulam deinde ingressus quosdam personatos reperit; illorum laruas detrahit; in frusta dissecat; atque etiam acriùs in alios invehitur; qui ad indulgendum suis cupiditatibus propendebant. Numquid fateberis hanc patris in filios agendi rationem omninò esse paternam? ipsúmque ut patrem se hac in re gerere filiorum suorum utilitati peramanter consulentem? Hoc exemplum, ô Theotime, Patri nostro cælesti veriùs convenit: dum privatione utitur, ad pueriles nostras erga creaturas affectiones curandas.

Est quædam alia non minùs periculosa in homine infirmitas, quæ remedium exigit præsentissimum; éstque sibi ipsi, ac proximo, cum quo magnam habet morum ac naturæ convenientiam, adhærendi proclivitas. Malum hoc ad nihil aliud tendit, quam ad conspirationem in

Deum ut ita dicam, conflandam ; quàm ad propriæ voluntati, Deo & ratione inconsultis obediendum ; quàm ad hominum existimationem, & applausus aucupandum ; quàm ad infelicem sibi gloriæ & honoris thronum sibi erigendum, cujus basim juxta præcipitium inani fulcro suspensam non videt : & ad unius diei Deum sibi fabricandum, cui cuncta obediant. Nonne igitur ut patrem optimum erga illum se habet, quando ei *contradictionis* adhibet remedium, quæ oculos ipsi feliciter aperit, ut seipsum ac proximum cognoscat ; errores ejus detegit ; à se & à proximo illum sejungit, utriusque inopiam & miseriam manifestans ; quæ ad prudentiæ usum revocat ; quæque ad inhærendum Deo, tanquam unico suo bono, & ad spem omnem suam in eo collocandam stimulat? Hujusmodi contradictiones effectum æquè felicem ac prosperum in Dei electos producunt, ac contrarius ventus navem ad portum remittens, quæ sublatis velis jam solverat, quæque cum cæteris mediâ à portu leucâ demersis naufragium passa fuisset, nisi vis venti auspicatò ipsi adversantis, in portum feliciter reduxisset.

Verum enim verò infirmitas omnium maxima, est illa inordinatio affectuum & passionum quæ in ipso homine est & cæteras infirmitates sustinet, & nutrit. Servi ibi dominari volunt, Deúmque & animam suam, quæ Domina est, revereri renuentes proditiones moliuntur : ac seditiones ad perturbanda omnia, concitant. Quodnam ad hæc remedium? nisi justum & generosum bellum *in nobis ipsis indictum*, quod debitam Deo fidem restituat, turbam hanc seditiosam, inter privationes & contradictiones, quibus illa injustè ac inconsultò reluctatur, sub ejus imperium & obsequium continendo ; quódque efficit ut homo ipse ad pristinum ordinis & pacis statum redire contendat ; sine quibus omnium animalium miserrimum est, ac sibi ipsi fit molestissimus.

Necessarium est igitur hoc certamen. Quid enim de illo homine fieret, qui ruinæ suæ causam in seipso servaret ; ac desideriis suis cupiditatibúsque famularetur ; monstrum profectò foret sibi crudele, incommodum omnibus ; quódque divinam justitiam ad illud funditùs abolendum impelleret. Audacter igitur est impugnandum, quod est necessariò destruendum.

Utile est, siquidem animam supra se elevat : & virtutis sceptrum in ejus manu tradit : ut jus suum in populum suum exerceat, & suiipsius possessione fruatur.

Honorificum est, quia Dei honorem tuetur ; cuncta ad ejus gloriam revocat ; illum ab hostibus ulciscitur : ac omnia ipsi exhibet fidelitatis suæ officia.

Illud denique certamen omnia comprehendit : & cum privationibus, ac contradictionibus invenitur. In privationibus quippe pro suæ submissione voluntatis decertandum est : in persecutionibus verò atque repugnantiis pro abnegatione, & patientia pugnandum : in ipso

etiam certamine pro fiducia & perseverentia dimicandum est.

Postrema est certaminis nostri prærogativa, scilicet quod *gloriosum* sit; præcipua quoque ratio est, cur Deus vult sanctos, animásque ipsi fideles ad extremum usque vitæ suæ spiritum certare. Quod tamen non impedit, quin necessitatis & utilitatis causâ filios suos semper armatos detineat: ut, hoste ex improviso adveniente, sint ad bellandum paratissimi.

His rationibus sub aspectum positis, ac demonstratâ remedij privationis, contradictionis, certaminísque utilitate, quæ tria in se continent quicquid Tribulationis nomine circumfertur, facillimè agnosci potest tribulationem seu adversitatem, evidentissimum indicium esse curæ voluntatísque, quam Deus eorum salutis habet, quos per hanc viam deducit. In promptu est quid nobis sacra Scripturæ oracula de summa Dei in dirigendis filiis suis prudentia enuntient, audire, quódque tam pulcherrimis confirmatur experientiis.

Proverb. c. 3. v. 12. Salomonem in primis audiamus. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cùm ab eo corripiêris. Quem enim Dominus diligit, corripit: & quasi pater in filio, complacet sibi.* Nulla hîc fit exceptio; unde qui vellet excipi: particeps divini amoris fieri recusaret. Quomodo erga proprium filium se gessit? *Disciplina pacis nostræ* fuit *super eum*. Vitam enim prosperitate destitutam ab eo duci voluit & usque ad mortem in tribulationis exercitiis constitutum reliquit. Interim filius hic amantissimus mirandum Patri suo dedit fidelitatis specimen in privatione, in contradictione, & in certamine. Imò ut perfectum nobis omnibus exemplum daret; pugnas interiores subire voluit, quæ illum agonisantem in horto, & derelictum in cruce reddiderunt: ut ejus imitatione illas & perferre, & vincere discamus. Ad fecem usque bibit tribulationis calicem, qui nostræ redemptionis erat remedium; ut nos animaret ad recipiendum è manu Dei quod ex hoc calice propinandum nobis offeret; velut necessarium remedium ad nos servandos, purgandos, & morbos animæ, qui mortem inferre possent, depellendos.

Isaiæ cap. 53. v. 5.

D. Paulum audiamus se se ad hoc certamen excitantem; *Curramus* inquit, *ad propositum nobis certamen: aspicientes in autorem Fidei & consummatorem Iesum.* Certamen declarat, & modum legitimè pugnandi edocet dicens: *aspicientes in Iesum.* Illum igitur solum inspiciamus, ô Theotime; siquidem in ipso documenta, subsidia, & exemplum reperiemus.

Ad Hebræ. cap. 12. v. 1.

Pulchræ dilectionis matrem utique respiciamus; quæ ad pedem crucis bibit quidquid in tribulationis calice subtilius poterat inveniri. Oculos in S. Joannem Baptistam defigamus; cujus sacrum caput effrontis saltatricis pretium est. Martyres denique intueamur qui sanguinem suum effuderunt; mortémque ad humani generis honorem resarcien-

dum, fortiter oppetierunt. D. Paulum audiamus de ſanctis loquentem, quorum Fides à Deo meruit mirandos ac ſupernaturales effectus obtinere. *Alij diſtenti ſunt*, inquit, *non ſuſcipientes redemptionem: ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres ⁊ lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt: in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis ⁊ in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.* Sic Deus, ô Theotime, filios ſuos accipit ⁊ de his tamen veriſſimè dicit Apoſtolus, quod terra non merebatur illos habere: nec mundus ipſorum gaudere conſortio. Hæc apertiſſime comprobant verborum Salomonis veritatem, Deúmque uti Tribulatione ad ſuos filios ex otioſitatis, & proſperitatis periculis eruendos ⁊ ad ſecuritatem eorum ſaluti præſtandam: & ad vitam æternam labore ipſorum Fidei cum majori emolumento lucrifaciendam.

Eam ob rem Apoſtoli quibus apprimè notum erat iſtud divinæ ergà electos diſpoſitionis myſterium ⁊ quique etiam ejus rationes, & neceſſitatem noverant: fidenter exclamabant. *Beatus vir qui ſuffert tentationem ⁊ quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Tria poſſumus ex his verbis colligere: quæ totidem documenta nobis futura ſunt. *Epiſt. S. Iacob. c. 1. v. 12.*

1. Deum ſuis tantùm amatoribus vitæ coronam concedere.

2. Velle noſtri erga illum amoris veritatem & gradum experientiâ cognoſcere.

3. Tribulationem modum illum eſſe, quo vult experimentum iſtud facere.

Audiamus iterum D. Jacobum Apoſtolum. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei; cùm in tentationes varias incideritis.* *Ibidē v. 2.* Ac D. Paulum dicentem ⁊ *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem ⁊ probatio autem ſpem: ſpes autem non confundit. Quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris: per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* *Ad Rom. c. 5. v. 3.* His verbis edocemur maximum filiorum Dei gaudium è tribulatione originem ſuam ducere: atque ipſos in ea modo puriſſimo, atque innocentiſſimo gloriari poſſe. Edocemur prætereà Tribulationem primum eſſe gradum, per quem ad Deum aſcendunt ⁊ ſcandunt deinde per patientiam ⁊ poſtmodum ad generoſitatem aſſurgunt probatæ fidelitatis ⁊ & ab hac fidelitate ad ſpei firmitatem, quæ inter hujus vitæ fluctus adeò ſecuros reddit: ut nihil eos à Charitate Dei, quæ diffuſa eſt in eorum cordibus, poſſit ſeparare. Nota Apoſtolum hujus gradûs firmitatem in Charitate diffuſa ſtatuere: huícque ejus compoſitionem & elevationem attribuere. Iſtud nobis indicat amorem eſſe totius hujuſce gradûs fundamentum: ac tribulationem in amore, quo Deus nos diligit, quémque nobis communicat, fundari ⁊ Illam hoc amore fulciri: ejúſque eſſe effectum, ac modum

sanctos, fideleśque nos efficiendi. Quid nobis timendum est, si res ita sit? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Ad Rom. cap. 8.

Vides, charissime Theotime, rationem, autoritatem, & exempla ad sistema nostrum statuendum optimè convenire: nempe tribulationem manifestissimum esse Filiorum Dei ac Prædestinatorum characterem. Finem igitur de illa loquendi facientes Dei sapientiam demiremur, qui tantam utilitatem ex hoc eruit, quod sensibus nostris videtur esse calamitas: quíque per tribulationem Dei, Patris, Medici, Regis, Directoris, Patroni, ac Salvatoris Nomina tam excellenter, ac misericorditer in nos exercet, dicamúsque

Si dubium nemini esse potest, quin Deus omninò velit nos salvare? quandoquidem Pater noster est, omniáque contulit, ut ab interitu nos redimeret: & ut possimus salutem nostram, si voluerimus operari.

Si verba, exempla, rationésque nobis ostendunt tribulationem viam esse communem per quam Deus ad finem nos perducit, quo suam in nobis paternitatem exercere, nósque salvare intendit?

Si denique illius sapientia in æternis suis consiliis firma, atque immutabilis est.

Inde certissimè colligendum est tribulationem, peculiarem esse illius filiorum ac Prædestinatorum Characterem: eósque qui per hanc viam non incedunt, sub ejus ducatu non esse.

Atque ex hac consecutione positionem alteram conficiemus. Nempe

Impiorum qui à gratiâ Dei exciderunt, prosperitatem, eorum damnationis esse præsagium.

In præcedentem quæstionem stylum nostrum paulo fusiùs extendimus? ex illa enim lucidè explicatâ; consecutiones tantummodò ad præsentis propositionis veritatem comprobandam, & ad rationes ejus percipiendas eliciendæ sunt. Jam audisti quid de illis dicat Regius Propheta? *In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.* Si cum hominibus non flagellantur: signum est cum Dæmonibus esse flagellandos. Eorum obsequia Deus contemnit? nec dignatur excitandæ suæ fidelitatis occasionem eis suppeditare: nec tribulationem ab ipsis tollit, quam quia eâ indigni sunt.

Psalm. 72.

Creaturas sibi elegerunt? permittit Deus ut illis inhæreant: eorúmque malitia in causa est cur Deus magnum illud tribulationis medium illis non subministrat, quæ illos ad cælum intuendum, ac animâ, non more brutorum utendum adurgeret. Eorum mentes humi reptant? atque ut bestiæ, prono ad terram ventre relinquuntur: haud absimiles illis bestiis quæ saginari sinuntur. Sed valdè ipsis timendum est, ne saginati occidantur.

Si interiores miserrimi sui status dolores non persentiant: formidandum est ne Deus in eos exequatur comminationem suam: *Dimisi,* inquit, *eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.* Animæ istæ ab ejus disciplina recesserunt: quas forsitan in peccatis suis inopinatas deprehendet: ut ejus amor vindictam contemptûs illorum sumat.

Ægri sunt gravissimis illis humani generis morbis oppressi, qui Deo medico, & medicamentis supernaturalibus indigent: sed quidquid appetunt, non prohibentur comedere, quemadmodum ægri, quorum salus deplorata est, medicum ac medicinam respuunt: nec merentur à medico respici.

Appetitus, quibus obsequuntur, & quidquid edunt, cum ipsorum ægritudinis causa congruunt: quod contagiosam illam efficit, & ab eorum consortio Dei Filios procul recedere compellit; ne in eumdem morbum latè serpentem, & pestilenti eorum sermonum & actionum afflatu contagiosum incidant. Illorum voluntas adeò pestifera est; ut Deum ipsum cogant eos deserere: ac sæpissimè absque ullius ope decedunt; quemadmodum peste in corpore affectis solet evenire.

Si vides, ô Theotime, prosperitatem eos ubique antecedentem, quasi hospitiorum designatricem: hoc te justo timore percellat. Hoc enim arcano evenit Divinæ Providentiæ consilio; ut iis hominibus auferat vel minimam exprobrationis occasionem. Illis etiam exhibere vult æternam suam bonitatem acceptorum beneficiorum oblivione immutari non posse. Hinc est ut dum creaturis abutuntur; bonis omnibus sinat eos abundre. Illos denique convincere vult, bonitatem suam ad se se effundendam proniorem esse: quàm ipsi sunt ad illam sua malitia provocandam procliviores: ac si nolunt à perversitate desistere, nec illam ideò debere à bonitatis suæ exercitiis desistere.

Bona, quæ illis largissimè tribuit, testatam omnibus facient & cum magna eorum confusione Divinæ bonitatis veritatem: ac ingratorum illorum indignitatem eò manifestiùs declarabunt: ut Deus *justificetur in sermonibus suis*: Creaturæ omnes ipsorum damnationis æquitatem agnoscant; excitentúrque ad ulciscendam in illis insensatis Creatoris sui bonitatis contemptionem. Siquidem, cùm debuissent à malitia sua, donorum illius multiplicitate attracti resipuisse: in ea se se obstinatiùs immerserunt. *Psalm. 50.*

Horrendum est Dei bonitatem videre in hominum malitiam specie quadam æmulationis insurgentem: valdè enim timendum est, ne tunc absque misericordia justitiam suam exerceat: quod istis hominibus infeliciter felicibus haud dubiè continget, si in hoc statu moriantur. Deus vult ipsemet facere, quod nos ejus Filius edocuit. *Benefacite his qui oderunt vos; & eritis filij Altissimi, nulli malum pro malo reddentes.* *Luc. cap 6.* Improbis prosperitatem pro malo, quod faciunt, tribuit: attamen

omnem conquerendi anſam ab eis auferendo : juſtitiæ ſuæ duriùs cruciandos tradet. Injungit iterùm alibi ut benefaciamus inimico; addítque : *Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* Talem
Ad Rom. c.12. v.20. ſe exhibet Deus bonis temporalibus impios cumulans; ſed iis ſecundum cordis ſui deſideria ſic expleti : uſu tot bonorum nefario & arroganti Dei juſtitiæ carbones ſuper ſe congerunt. Si Dei bonitas illis benefaciendo ſibi complacet : in hoc ipſo juſtitia reperit quid in illis ſecundum ordinationis ſuæ occultæ & adorandæ regulas puniat. *Abo-*
Cap. 9. v. 10. *minabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt*, inquit Oſee Propheta : &
Sap. 11. v. 17. Salomon, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Non vult Deus quicquam illis debere; nimis liberalis eſt, nimíſque illis iratus ; ut patiatur illos hunc ſibi honorem vindicare. Idcircò temporali proſperitate modicum boni quod egerunt, remunerat; ut ultra debitum perſoluti, nihil habeant, quod illi poſſint objicere. Veruntamen quando funeſtus ac ſubitus interitus ipſos in juſtitiæ ſuæ manus tradiderit ; contemptam bonitatem ſuam immiſericorditer, ac ſine ulla remiſſione vindicabit. Denique, chariſſime Theotime, eſt quod metuant, ne hac proſperitate illos eodem modo Deus tractet, quo plerumque ſcelerati tractantur ultimo ſupplicio addicendi ; quibus antequam ad patibulum trahantur, nihil eorum quæ comedere appetunt, denegatur. Ejus juſtitiam iſti impij laceſſunt. Ac ſe *coronant roſis ante-*
Sap. 2. v. 8. *quam marceſcant.* Jacent in Dei, ſalutíſque ſuæ oblivione quaſi ſepulti:
Ad Hebræ. c. 6. v. 8. ſed vita illorum *reproba, & maledicto proxima*, ad æternum ſupplicium incogitantes perducet.

Commiſerationis eſt in miſeros æternis pœnis addicendos, voluptates hujus ſeculi caducas illis nonnihil deguſtandas permittere : quemadmodum prudentiæ eſt, Dei Filios æternarum deliciarum torrente inebriandos nonnullis, dum hìc vivunt, calamitatibus affligtare.

In hac Sapienti Dei in reprobos agendi ratione quatuor occurrunt: quæ in eos per proſperitatem magnificè adhibet, nempe

1. Bonitatem de ingratis eorùm animis triumphantem;

2. Sapientiam, quæ omnem ipſorum excuſationem exprobationémque excludit;

3. Grati eorum animi contemptum :

4. Et æquiſſimam læſæ ipſius bonitatis punitionem.

Heu, Theotime, ſi eorum, qui Deo, ſibſque non ſatis attendunt, proſperitas æternæ eorum mortis eſſe poteſt cauſa; improborum bonis affluentium ſalus profectò conclamata eſt, niſi Deus ex hac proſ-
Ad Hebræ. cap 11. v. 24. & 25. peritate illos eripiat. Meritò igitur *negavit Moyſes ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei : quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Quid porrò per *peccatum illud temporale* intelligit Apoſtolus ? Nihil aliud certè quam mundanæ celſitudinis proſperitatem, à qua peccatum rariſſimè ſejungitur; quæ quidem, ut tempus,

velocissimè præterit: ac ejus mutationibus, procellisque obnoxia est.

De intellectûs sermonibus, satis, ut opinor verborum est, ad leniendum tuum dolorem, & mentis ægritudinem mitigandam. Unum quod superest ad hæc responsa omnia finienda: Antiqui nostri Jesus *Confitebor* libet mihi decantare.

Oratio Iesus, Filij Sirach.

CONfitebor tibi Domine Rex: & collaudabo te Deum Salvatorem meum. *Ecclesiast. cap. 51.*

Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi ꟸ & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium iniquitatem: & in conspectu astantium factus es mihi adjutor.

Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam ꟸ de manibus quærentium animam meam: & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.

A pressura flammæ, quæ circumdedit me: & in medio ignis non sum æstuatus.

De altitudine ventris inferi ꟸ & à lingua coïnquinata, & à verbo mendacij; à Rege iniquo, & à lingua injusta. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret: respiciens eram in adjutorium hominum & non erat.

Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, & operationis tuæ, quæ à seculo sunt: quoniam eruis sustinentes te, Domine, & liberas eos de manibus gentium.

Exaltasti super terram habitationem meam: & pro morte defluente deprecatus sum.

Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ: & in tempore superborum sine adjutorio.

Et liberasti me de perditione ꟸ & eripuisti me de tempore iniquo: proptereà confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

Hîc explicit Filij Sirach Oratio. Hîc pariter finem dicendi faciam, votis omnibus exoptans, ut illam ambo possimus mente æquè purâ, & & à mundanis rebus abstractâ decantare: ac illam cecinit antiquus ille noster Jesus. Votis meis adjicies precum tuarum suffragia pro illius salute, qui tuus est in Christo, &c.

CAPUT DECIMUM.

In quo datur Idea vitæ Religiosæ, sicut par est, efformandæ.

NEmo non persuasum habet statum vitæ eligendum agnosci debere antequam suscipiatur, nec illius arcanum & usus posse acquiri; nisi volens eum amplecti ideam sibi priùs formaverit eorum quæ prætendi aut factitari debent ab ejus sectatoribus, statúsque ille ab eis requirit. Itaque cum Status Religiosus præcipuus sit, & majores quàm cæteri consequentias habeat, quia Deum pro objecto unicè habet, ibíque libertas destinatur ad eum honorandum per genus vitæ à seculari omninò diversum, & vitæ Christianæ perfectioni totaliter addictum; maximi momenti est, ut apprimè cognoscatur, & de eo conveniens idea efformetur, antequam suscipiatur, ut proposita & praxes suscipientis ei etiam conformentur. Hac de causa feror, ô Theotime, ad hujus ideæ exemplar tibi tradendum, ut inde propriam tibi efformes originali conformem, nec aliam effingas quæ falsa sit, aut erronea.

Hanc auspicor tibi exponendo quid Deus tibi sit, & quid Deo esse debeas. Quæ de te sentiat & quæ debeas de eo sentire, & quod æstimium habere debeas de ejus circa te proposito, ut his principiis firmiter innixus, exercitiis Religionis, prout par est, incumbas, ad quod etiam tibi traditurі sumus tùm quid ipsa sit, tùm media ad ejus exercitia ritè peragenda.

Christus dicit, *Ego sum vitis vos palmites, & Pater meus agricola est.* Cùm id infallibilis veritatis sit, quasi hujus vitis palmites nos considerare debemus ei unitos, qui ex sola ejus radice, ejúsque influxibus continuis vivimus, ex qua proinde nostra spiritualis vita dependet, & ideò debemus ab ea omnia expectare & sperare, nihil verò à nobis tanquam ex nobis. Debemus in virtute ejus radicis quiescere, quæ nunquam ex parte sua nobis deerit, nec in nos influere desinet, unde crescamus, quamdiu prava libertas non seipsam separabit ab hoc vitæ suæ principio, sicut palmes, qui seipsum à sua vite avelleret.

Si Deus ipse curam suscipit nos colendi, debemus totaliter manui ejus nos subdere & permittere, ut erga nos agat secundum suum beneplacitum. Dubitare autem non possumus quin ipsa vinea ad eum pertineat, illámque pulchram & fructuosam reddere velit. De ejus verò experientia & sapientia ad eam colendam quis dubitare posset? Quic-

quid ergo ex Providentiæ ejus Ordine nobis accidere potest, quasi divinæ ejus manûs operatio habenda est, quæ secat, aut purgat, aut sulcat vineam animæ nostræ à qua resecare eam delectat quicquid fructuum salutis nostræ productionem, conservationem, atque incrementum impedire potest. Quos fructus vult à nobis ferri, nostrósque esse; sibi tantùm reservans curam & complacentiam nos colendi, cum gloria nos in æternum salvandi. Qualiscumque ergò sit Dei in nos operatio, totum ibi sapientissimum & perfectissimum esse credendum est.

Debemus hanc veritatem altè animo infigere cùm Christus ipse sit qui eam nobis declaret ac inspiret, nósque in quibuscumque statibus & eventibus hujus vitæ considerate quasi palmites cælestis vineæ, cujus stirps & radix Christus est, Deum verò Patrem agricolam, ad quem nobis ideò recurrendum est, his Davidis verbis & sensu. *Respice de cælo & vide, & visita vineam istam & perfice eam quam plantavit dextera tua.* At, si velimus hanc vineam cum complacentia ab eo visitari, & ad placitum excoli, necesse est ut ejus beneplacito sit dimissa, sicut vitis palmes vinitoris manui subjecta est. *Psalm. 79.*

Quid fieret si palmes vinitoris manui resisteret? vel abscindi deberet & in ignem projici, vel deseri. Hanc cogitationem duplici ratione animo infigere debent animæ statui Religioso alligatæ; quippè quæ quasi vites sunt è medio vinearum publicarum à Deo selectæ, ut in hortum conclusum transplantentur, ibique ad placitum colantur, atque à variis multísque periculis expoliationis & ruinæ protegantur. Respice ergò Domine vineam istam à te selectam duplò quam aliæ favoribus tuis honoratam, sub tuo conductu & sollicitudine positam, &c.

Sic anima Religiosa debet ad cælestem vinitorem suum recurrere, petere ejus solem, pluviam, culturam, auxilium & universa quibus indiget cum firmo proposito ejus operationibus nunquam resistendi.

In his habes primam institutionem quam tibi trado; nunc accedamus ad secundam, in qua articulatim principia & ideas trademus ex quibus bonum desideriorum ordinem & regimen efformare debes. Exponamus igitur tibi primò.

Quid sentire debeamus de Dei in nos consiliis.

HAc magnâ & indubitatâ veritate persuasi esse debemus consilia Dei æterna esse erga homines, non tantùm in genere, sed etiam in particulari ac quicquid exequitur in tempore effectum tantùm esse consiliorum, quæ ab æterno formavit; eo modo, qui ejus paternitati, charitati, & bonitati convenientior est.

Nihil in ejus consiliis reperiri posse firmiter credendum est, quod his qualitatibus oppositum sit; cùm enim simplicissimæ sit naturæ, non

tantùm conjunctim in ea existunt, sed sapientia, amor, bonitas & paterniras in ejus essentia idem sunt. Quando verò in S. Scriptura legi-
Psalm. 65. mus, *terribilem esse in consiliis super filios hominum* id intelligendum est de arcano consiliorum ejus circa eos, qui ejus consiliis non acquiescunt, imò rebelles sunt, unde ad decreta suæ justitiæ exequenda movetur, & ad demonstrandum se æquè terribilem esse in puniendo ac misericordem in ferendo, expectando, & parcendo.

Si consilium ejus in nos, ab ejus sapientia conceptum est, dubitare nefas est, quod finis ab eo intentus non sit perfectus & omnibus numeris absolutus, nullúsque in eo defectus possit reperiri; nec non media ab ea pari fortitudine ac suavitate parari ad hunc finem consequendum. Si vero etiam indubitatum sit, ejus paternitatem, charitatem, & bonitatem cum sapientia concurrisse in eo consilio suscipiendo; quæcumque anima agnoscere & fateri debet se esse strictè obligatam ad adorandum illud Dei consilium super se, ad desiderandum illud agnoscere, & ad studendum eo adimplendo quando bona fide illud cognovisse crediderit.

Deus generale propositum habet in homines quos vult omnes salvos fieri, ex illo charitatis perpetuæ principio, quo teste S. Scriptura diligit eos sed & singulare propositum habet circa media exteriora, quæ unicuique vult subministrare, ut ad summum bonum perveniat; quæ quidem media inter se differunt secundum varietatem statuum vitæ, quæ ordinavit secundum consilium voluntatis suæ. At, objicies. Quare status ille præ alio utilis erit singulari personæ? Id ad abyssum judiciorum Dei pertinere, respondeo; fieri tamen posse, ut res sic ordinata sit ex prævisione majoris convenientiæ, quam status ille singularis habet cum genio ac libertate ejus qui ad eum destinatur. At plures aliæ rationes in Sapientiæ Dei abysso reclusæ sunt, quas investigare temerarium esset.

In istis Dei consiliis & propositis vult primò gloriam suam, quæ sic nostræ saluti conjuncta est, ut hanc non nisi nostram salutem simul curando velit sibi assumere. Exhibet se bonum Patrem qui ex filiorum profectu vult sibi gloriam facere, ex eorum virtute, præservatione, liberatione & ejus auxiliorum usu, quia ista cum ejus gloria mixta reperiuntur in ejus consiliorum executione.

Ex his indubitatis principiis istas veritates haurire debes quibus firmiter inhæreas.

1. Quandoquidem consilia & propositum Dei circa nos æternum est, totámque felicitatem nostram continet, sufficere nobis non debet, agnoscere generale consilium, quo vult omnes salvos fieri, si illud, prout par est, honorare volumus. Sed insuper omne studium adhibendum est ad dignoscendum singulare ejus propositum circa statum & media exteriora quæ amplecti debemus ad correspondēdum ejus amori,

bonitati, sapientiæ & paternitati, & ad progrediendum ad finem singularem, quem circa unumquemque nostrûm sibi proposuit.

2. Plures esse animas, quæ miseriis, infortuniis, & periculis ideò circumcinctæ sunt, quia nec considerare, nec consulere voluerunt, quale esset Dei consilium circa statum quem amplecti voluerunt. Heu quot animæ ideò damnatæ existunt, quia inspirationem Dei non sunt secutæ in statûs electione, ubi parata media reperissent earum saluti non solum utilia, sed etiam absolutè necessaria, habita ratione occultarum dispositionum propriæ libertatis, & horum vice certas occasiones, repererunt in statu suâ sponte electo, quas Sapientia Divina præsciebat libertatem eorum in his positam, in malum ruituram.

Id attentè observa, ô Theotime, magnæ enim & importantissimæ veritatis est; at illius certa discretio in singulis personis, ad Deum solum pertinet. Liberum cuique est statum Religiosum assumere, sicut & alium quemlibet statum, sicut liberum erat Davidi deambulare in loco unde vidit Bersabée, vel in camera sedere. Attamen si alibi fuisset quàm in loco unde objectum illud prospexit, lapsus terribilis, in quem incidit, non ei forsitan accidisset. Similiter aliquis stat in Religione, qui certo certius ex mera libertate alibi cecidisset ex occurrente occasione quæ eum in lapsum impulisset, & ideò verum est dicere Deum nosse statum Religiosum pluribus esse absolutè ad salutem his de causis necessarium. Deus bone, quàm magnum esse puto numerum animarum quæ sic perierunt.

3. Si Dei Sapientia sic exacta est, ut etiam capillorum capitis nostri numerum habeat, non minus accurata existit in suis consiliis; & ideò pro certissimo habendum est, ea non tantùm ad statum in genere se extendere; sed etiam ad singula statûs momenta, casus & eventus. Si ergò velimus honorare æterna Dei in nos consilia, & eâ, quam merentur, reverentiâ tractare, quidquid in eo statu nobis evenit ex ordine Providentiæ, ad ea referendum est; velut quid in eis contentum, velut illorum pars quædam & oblata occasio adorationes nostras eis exhibendi.

His veritatibus imbuti & perfusi esse debemus; certo enim certiores sunt. At si in actu, tertiæ hujus veritatis cognitioni & praxi studeamus, injiciendo statim intuitum animæ in æterna Dei consilia ad eis reddendum quasi clientelare munus in quibuscumque rebus occurrentibus sive dulcibus, sive amaris; in brevi multùm proficiemus. At petes.



Quonam modo possumus dignoscere illud singulare Dei in nos consilium circa statum à nobis eligendum.

REgiminis Dei erga nos Regula est, ut in obscuritate ambulemus quamdiu in hac peregrinationis vitâ sumus; & si concesso nobis instinctu eum cognoscendi & amandi nihilominus sub velo tantummodò fidei & illius charitatis nobis innotescit, non mirum esse debet si consilium ejus circa statum à nobis eligendum non sit tam evidens. Rem ita à Deo dispositam esse credendum est, ut desideria nostra, ac diligentia ad illud requirendum excitentur & ut fideliùs utamur medio quod in Evangelio ipse nobis tradit dicendo. *Petite & accipietis quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.*

Matth. cap 17.

Motio, quâ Deus animam ad statum Religiosum & ad mundum deserendum plus corde quam corpore attrahit, debet considerari quasi signum celsi cujusdam propositi super eam concepti. Cúmque ad nihil minus tendat quàm ad eam sibi sub novo titulo comparandam, ejusmodi propositum debet sublime, preciosum & dupliciter paternum æstimari. Indicium enim est, quod velit in eam exercere qualitates Magistri docentis, Patris corripientis, & medici sanare volentis varios langores quibus ex actionibus & habitibus transactis laborat; & eam præservare à variis periculosis morbis. Monasterium enim locus est ad hæc omnia aptissimus. Consilium illud denotat applicationem gratiæ singularis quâ Deus vult animam illam juvare ad servandam dignitatem filiationis Dei, quâ jam pollet, & ut ad libertatem fidelium filiorum Dei perveniat, quæ ea mensura augetur, quâ se supra se levant, & supra omnes creaturas erigunt, quia independentes ab omnibus evadunt, soli Deo adhærendo, qui centrum veræ libertatis est. Attractio ergò illa majori debet reverentia & gratitudine considerari quò consilium ex quo procedit honorabilius est, amorosius & utilius. At quia status Religiosi susceptio magni momenti est, & res sublimis, quia *non omni spiritui credendum est, sed probandum utrum spiritus ex Deo sint,* & quia necessarium est, ut propositum & deliberatio suscipientis respondeat excellentiæ consilij & operis, ut ejus executio cum laudis merito perficiatur, operæ pretium duco tibi qualitates statûs Religiosi propinquiùs intuendas exponere, ut melius quæ Deus requirat ab eum profiteri volentibus, aut à jam professis sigillatim cognoscas, tum ex officiis illius statûs, tùm ex utilitatibus quæ ei annexæ sunt.

1. Ioan. cap. 4.

Quid ergò est Religio?
Est munimentum contra mundi pericula.

VIta nostra hostibus & bellis circumcincta est, nihilque convenientiùs de ea dicere poterat S. Job, quam eam vocare *militiam super terram.* David autem satis indicat nobis quantùm egeamus optimi ducis conductu, ut in ea benè certemus; & forti præsidio, ut securi simus, dum dicit Deo. *Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Id abunde adimplet Deus in his quos ad statum Religiosum vocat; quia non tantùm ab ejus gratia intùs diriguntur, sed etiam tribuit eis ad extra propugnaculum, quo à mundi insultibus proteguntur, ubi omnia laqueis & periculis plena sunt; & murum separationis à mundi spiritu & commercio componit. Propugnaculum autem illud claustrum est. *Iob. cap. 7.* *Psalm. 60.*

Mundus negotiator est carnis & diaboli & utrique apparatum & artes ministrat; at Religio contra eos Turrim instituit, quà consilia eorum sistuntur, nec animam attingunt hujus præsidij beneficio bene uti volentem. Hæc est Turris de qua in Cantico Canticorum; *Quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Religionis enim Regulæ & exercitia, arma & clypei sunt præcellentia ad debellandum spiritum mundi, ad eum expellendum & destruendum; at his magna cum fidelitate utendum est. Nam si vel ad modicum spiritus mundi Claustrum Religiosum ingredi sinatur, ibíque foveatur, proditionem molietur. *Cant. c. 4.*

Experimento addiscunt animæ fideles ibi constitutæ, quàm verùm sit, Claustrum esse optimam Turrim fortitudinis in qua à Dei manu collocatæ sunt, ut serventur à mundo, & muniantur contra passiones, quas ad rebelliones incitat, & contra proprij spiritus obcæcationem, à pravis exemplis & à mille pereundi occasionibus liberentur, atque ab infortuniorum concussionibus, quæ status & fortunas subvertunt; & tandem à vinculis, doloribus & periculis, quibus mundi asseclæ obnoxij vel alligati sunt. Indè extra omne dubium est, quin Religio maxima commoda ministret suis professoribus & media ad firmiter standum, nec hostium prædæ, ac excessibus patendum.

Quid est Religio?
Est Schola abnegationis propriæ.

OMnia ibi prædicant abnegationem, destructionem passionum, & ruinam pravorum habituum. Suimetipsius abnegatio prima est

Matth. c. 16. Lectio à cælesti Magistro nobis tradita, *Qui vult venire*, inquit, *post me, abneget semetipsum.* Nec mirum: quippe quæ primus gressus est ad veram libertatem, quæ augetur quantùm in ista scientia proficitur; at separatio a mundo ejúsque curis superfluis, præcellens dispositio est ad eam bene discendam. Relegatio eorum quæ tam periculosè animum ludificant & veteres ejus habitus nutriunt, plures removet obices virtutis; at Religiosa exercitia bene servata, sunt media efficacissima ad urgendos Scholæ Christi Discipulos ad proficiendum in ista abnegationis scientia & ad perveniendum ad sublimem illam libertatem *Ad Philip. cap. 1.* Filiorum Dei, quæ D. Paulum impellebat ad dicendum: *Mihi vivere Christus est & mori lucrum.*

Ex Scholæ qualitate satis dignoscitur quales debeant esse Discipuli, qui Magistro eos in Schola sua vocanti & admittenti injuriam facerent, si non, ut par est, studerent Lectionibus necessariis ad discendam scientiam, quam vult eos docere. Si autem abnegatio sit scientia, quam nos docere intendit & pro qua addiscenda in Scholam Monasterij nos admisit, eam habeamus pro scopo necesse est, sicut hi qui Scholas Philosophiæ, aut Theologiæ frequentant easdem pro fine habent scientias. Alioquin falleremur & inter insensatos illos & irrisione dignos numerari mereremur, qui Scholas Philosophicas frequentarent non aliud habentes intentum, quàm scire Grammaticam sextæ Classis.

Nullum medium quærendum est inter spiritum mundi & spiritum Religionis; & necesse est ut abnegatio illos ab invicem irreconciliabiter separet. Enim verò absque illa separatione anima Religiosa non potest plenè Dei esse, secundum ejus propositum. Error etiam esset velle in Religione aliquam passionem nutrire. Nam qui sic ibi vivere proponeret, quasi inter cælum & terram suspensus maneret sicut Absalon, cujus capilli quercui adhæserunt: in qua primò magna incommoda, deinde mortem perpessus est. Hoc exemplum applica passionibus quas Religiosi vellent in Monasterio servare, & nutrire. Maximè enim eis convenit. Si sufficere eis videtur malas tantùm nolle nutrire; meminerint quæso capillos Absalonis licet non malos, inservisse ejus occisioni; & inde agnoscet in omnes & singulas esse vigilandum, ne crescere permittantur. Similes enim sunt capillis, qui licet sæpe rasi, semper crescunt.

Qui combustionem in digiti extremitate patitur etsi aliæ corporis partes à combustione sint liberæ, clamores nihilominus emittit, sicut & is qui toto corpore crematur. Idem evenit animæ quæ ex aliqua voluntatis parte cum Deo non concordat. Vera enim & integra quiete frui non valet. Firmiter ergò statuendum est exercere se in illa Schola quasi pro Dei, & libertatis recuperatione. Ad hoc enim tantummodò instituta est, omnésque illius praxes eò tantùm tendunt, ut ad præcellentem scientiam abnegationis perveniamus, quæ cælestis Magistri

prima Lectio est. Si velimus Christum esse vitam nostram, propriæ voluntatis vita destruenda est, & per abnegationem resecanda sunt ea omnia quæ cum ejus vita & exemplis non bene concordant. Si libertatem spiritûs adipisci volumus, abnegatione utendum est. Optimum enim medium est, quo umbram libertatis quæ deseri videtur mundum deserendo, cum usuris recipiamus. Libertas enim quæ deseritur, sensuum tantummodo est; sed quod de ista misera libertate deseritur, veræ libertati redditur, quæ est libertas animæ.

Quid est Religio?
Est Academia Charitatis.

Religio ministrat occasiones & modum edocet exercitia Charitatis perficiendi in conspectu cælestis Magistri, quæ lineamenta Charitatis ejus referat. At ipse disponit varietatem casuum & occasionum exercendæ Charitatis secundum ordinem Lectionum quas Discipulis suis offerre lubet. Firmiter ergò statuendum est quibuslibet oblatis ad ejus placitum incumbere, eásque executioni mandare eo modo unde possit sibi complacere, hoc tamen observato, quòd ex Discipulo nemo repentè fiat Magister.

Academiarum Magistri defectus Tironum facilè excusant, & pro nihilo reputant, si in calcaribus equo infigendis tempus non exactè servent, aut Ephippio non firmiter hæreant; dummodò discendi aviditate teneantur, monitorum executioni studeant, & defectuum correctionem libenter suscipiant. Nostros etiam defectus cælestis Magister excusabit dummodo in nobis easdem dispositiones inveniat. Ad quas ejus gratiâ attrahimur, nec in nobis zeli bonum fervorem extinguamus, nec diligentiæ studium relinquamus; & correctioni acquiescamus.

Hìc maximè exercitium certantis Charitatis exequendum est, idque frequenter; cùm *vita hominis militia sit super terram* & insuper in Religione ex professo bellum indicatur non tantum mundo & carni, sed etiam propriæ voluntati *& contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, *Ad Ephes. cap. 6.* ut loquitur D. Paulus. Vincenda sunt omnia absque retrogressu, quia professio Religiosa ultra seculi flumen nos trajecit, & quasi pontem diruit, ne ultra possimus ad mundi voluptates transmeare, & sic urgeamur certamen nostrum usque ad partam victoriam perducere. Milites qui se ad persequendum hostem adegerunt, destruendo post se pontem magni fluvij, fugere non possunt, quin se submersionis periculo exponant; sic Religiosi retrogredi non valentes, nec pugnam deserere absque salutis periculo, vincere debent, aut mori.

Huic certantis Charitatis exercitio, modò succedit aliud Charitatis

doloroſæ ex pœnitentia, aut ex proximi compaſſione; modò exercitium Charitatis proprias infirmitates in patientia ſupportantis; modò Charitatis conſolatæ in amoris Dei, ejúſque præſentiæ ac veritatis ſenſu; ſed quod frequentius eſt exercitium inſtat Charitatis in labore fortis, quæ Magiſtrum ſequatur crucem ſuam ferendo. Porrò Charitas in Religione reperit unde in continua occupatione ac exercitio verſetur ad imitandum Magiſtrum qui nunquam vel ad momentum ceſſavit ab exercitio ſui in nos amoris.

Certandi rationes quas intra & extra nos reperimus ſatis indicant, Charitatem noſtram, qualiſcumque ſit, ſemper oppugnationis periculo eſſe obnoxiam; & ideo, cùm etiam ſemper parati eſſe debeamus ad pugnam, neceſſarium eſt, ut ab ejus exercitio non deſiſtamus. At iſtam neceſſitatem magni æſtimare debemus, cùm Charitas Deo grata ſit quaſi omnium rerum maxima, quæ ideò Charitas vocatur, quia præ omnibus chara & pretioſa eſt, & in rerum natura nihil charius reputandum eſt ipſâ Charitate.

Quid eſt Religio?
Eſt via inſtructa ad bene ſequenda Chriſti veſtigia.

1. Petri cap. 2.

QUicquid in uſibus & praxibus ejus reperitur, id annunciat quod D. Petrus Apoſtolus nos per iſta verba edocet. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* In ea ergò incedere ſtatuendum eſt, idem ſibi adhibendo pro conſolatione quod D. Paulus: ſpem videlicet participandi ejus gloriæ, ſi ſocij paſſionum ejus fuerimus. Frequenter ergò intueamur qualiter ambulavit Magiſter, cujus veſtigia ſequi debemus; & agnoſcemus, quàm bonus ſit nobis. Quippe qui nihil a nobis exigat quod poſſit comparari cum his quæ in via ſalutis noſtræ operandæ paſſus eſt. Sed fatebimur injuſtum quid à nobis optari, ſi vellemus, ut aliter nobiſcum ageret, quàm cum primis Diſcipulis. Aliquando ducit eos in Thabor; alia vice aperit eis intellectum, ut intelligant Scripturas, & nonnunquam rapit eorum mentes per verba gratiæ quæ procedunt de ore ejus. At ſæpius eis proponit exercitium paſſionis & abnegationis, perſecutionis & mortis; & hìc mirabile quid conſpicere licet. Etenim nihil inde moventur aut terrentur, præſentia ejus & gratia confortati & confirmati. Quod videbatur idoneum eſſe ad illorum infirmitatem tentandam, efficit ut Chriſto tenaciùs inhæreant; & quod eos retrahere poterat, novum illicium eis eſt, quo libentiùs eum ſequuntur. O præſentia, ô gratia, ô Verbum Jeſu, quid in corda hominum non potes, licet infirma & miſera? Nec verbum mortis, nec labores, nec privationes faſtidium eis inferunt! Ita Jeſum cum Diſcipulis ſuis egiſſe ex Evangelio diſcimus.

Idem ipse semper est, & pro nobis idem faciet quod pro eis fecit, dummodò eadem proposita nobis assumamus, quæ à Discipulis ejus suscepta fuisse credimus. Enim vero, cùm Religio iter nobis formet & aperiat ad sequenda vestigia, quæ per ejus exempla impressa sunt, nihil ibi habere debemus quod Magistri ducatui non sit plenè subditum; & nihil optare, quod primis ejus Discipulis, nobisque commune non sit.

Causæ laboris & tolerantiarum quæ frequentiùs in via Religionis occurrunt, sunt: Prima, certamen in tentatione. Secunda, pœna dilectionis in desiderio animæ, quæ dilecti præsentia sensibili frui vellet, à qua per vitæ hujus noctem impeditur, vel timet ex sua culpa removeri, aut credit tædium ei fecisse, vel formidat suâ negligentiâ aliquam causam dedisse, ut à se declinaret; quia quem habebat de eo sensum quasi extinctum conspicit. Tertia tandem causa laboris est mors voluntaria, quæ ibi ad praxim adducenda est, propriam voluntatem abnegando, & quibuslibet privationibus acquiescendo, prout Divina Providentia disposuerit. Tres illæ laboris species cæteras complectuntur: sed ad præparandam mentem ad bene eis utendum sæpiùs ad memoriam revocandus est incessus filiorum Israël per desertum; egregiè enim denotat quale sit Dei regimen in animas quas mare rubrum seculi transuadare fecit, ut eas per desertum Religionis deducat. Angelus, manna, columna, ignis per noctem & nubes per diem ibi reperiebantur; at etiam labor itineris & probatio tentationis ferenda erant. Eadem præsidia etiam in nostro Religionis itinere reperientur, cum ea tantum differentia, ut quod Israëlitis materialiter dabatur, nobis spirituali modo tribuitur; sed si firmiter expectare ea auxilia debemus, laboribus etiam & probationibus ferendis parati simus, necesse est. Facili verò negotio ex illorum Israëlitarum experimentis in hac re sapere valemus. Novimus enim tentationes eis tunc à Deo immissas non eo tetendisse ut exterminarentur prout suadente impatientia credebant, sed media fuisse disposita ut sensibiliùs cognoscerent mirabilia regiminis & protectionis Dei, & inde eò ampliùs eorum in Deum fiducia augeretur, quò evidentiùs eis innotesceret, & ut ferrentur ad se totaliter Divinæ Providentiæ committendum.

Pro certo habere debes, ô Theotime, non pro alio unquam fine tentationes tibi immittendas fore & ideò timere non debes. Si Deus tecum est, quid tibi timendum, si labor magnus appareat, auxilium ei commensuratum est. At quando Deus odorem unguentorum suorum animæ sentire fecit, adeò suavia & attractiva ea reperit, ut quocumque ire parata sit absque lassitudine, fortisque efficiatur ad secum trahendos naturæ sensus quantumlibet repugnantes & recalcitrantes; ac quò plus procedit, eò animosior fit ad currendum, donec quod quærit, inveniat. His veritatibus tibi expositis, tùm consiliorum Dei,

tùm qualitatum statûs Religiosi, respondere nunc tibi debet animus quid de his censeat, & satis dignoscere, si voluntas tua firmetur in proposito sequendi interiorem motum ad statum Religiosum, non obstantibus stupore & contradictionibus naturæ. Illa enim animi obfirmatio est indicium gratiæ vocantis ad illum statum. Sed ut adhuc meliùs te præpares ad consilium Dei super te dignoscendum, téque disponas ad illud, ut par est, honorandum in statu Religioso; en tibi trado quatuor praxes, quarum cognitio & exercitium animam paratam reddent ad abundantes gratias à Deo recipiendas, & ad eis bene utendum in quocumque statu & casu.

Prima est *Translatio, sive projectio omnis sollicitudinis in sinum Dei.*
Secunda *Oratio.*
Tertia *Suiipsius derelictio divino beneplacito.*
Quarta *Fiducia in Deum.*

Translatio, seu projectio sollicitudinis in sinum Dei.

ISta Translatio in magna tùm justitia, tùm ratione fundatur. Per eam enim fit restitutio furti, quod homo Divinitati voluit facere, volendo esse sicut Deus. Recognoscendo enim quod Deo soli competat disponere & gubernare; sic Providentiæ Divinæ restituit, quod ei debetur & ad eam solam pertinere certum est. Unus è præcipuis characteribus qui in homine ex illo attentato furto remansit, est quædam species providentiæ obcæcatæ, quam circa omnia fingere sibi vult mens humana, ac si ab ea penderent, quamvis nihil ab ea pendeat; at ei obcæcatæ providentiæ per istam projectionem renunciando fit justitia, ac testimonium perhibetur veritati, agnoscendo quod esset velle aliquid Providentiæ Divinæ detrahere si quis propriis sollicitudinibus reservaret aliquas dispositiones ad statum sui crastini spiritualis pertinentes, circa difficultates & necessitates quæ possunt occurrere. Sic etiam magnus rationis actus profertur. Nihil enim rationi magis consentaneum est, quam minimè attentare quod ejus facultatem superat, nec vires supervacuè consumere circa rem ad quam pertingere non valet.

Hic tamen est, ubi privatus amor, propriâ præsumptione cæcatus se ut plurimùm immiscet, eventúsque rerum intuetur, ac si ab ejus industria, studio & sollicitudinibus penderent. Hic est ubi subtiliter serpit, varias Ideas, prævisiones & dispositiones de futuro, timores atque anticipatas pœnas secum adducens.

Tota Statûs nostri spiritualis œconomia sub Divinæ Providentiæ moderanime constituta est quæ sicut de temporibus & tempestatibus, ita de ea disponit. Quis scit quæ & qualis erit cæli facies, die crastina? an pluviosa, an serena, an ventosa, an procellosa, an tranquilla?

Quis novit an varietates istæ sibi invicem non succedent intra eamdem diem? Quis scit quæ illarum primas tenebit & quantùm durabit. Tempus sensibiliter nobis demonstrat quæ & qualis sit vicissitudo statuum vitæ humanæ; iisdem enim accidentibus obnoxij sunt. Quis ergò novit in quo statu, anima sequenti horà, vel die se reperiet? an in lumine, an in tenebris, an tentata, an consolata? quas occasiones, quas tentationes in suo itinere obvias habebit? Id soli Deo notum est, ac ab ejus dispositionibus pendet; atque ideò sollicitudines nostræ circa spiritualem statum crastinum sunt æque inutiles ac si ex forti applicatione mentis ad considerandam auram crederemus nos posse pluviam producere & ventum sedare. Vetustas dementiæ hominis est velle esse sicut Deus. At actus ejus dementiæ est simul & injustitiæ velle Providentiam ejus æmulari, utendo anxiâ sollicitudine ad nitendum disponere de Statu nostro tùm interiori, tùm exteriori, *Quis vestrum cogitans*, ait Christus, *potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*? Quod fieri non potest secundum corpus, minùs adhuc fieri potest secundum animam, & utriusque incrementum à Deo procedit, sicut eorum forma & conservatio ab eo pendent. *Luc. c. 12.*

Translatio illa exercitium humilitatis exequitur, & absolutè necessaria est, ut veritas ab ipso Christo revelata impleatur dicente. *Sine me nihil potestis facere.* Cum nihil ibi excipiat à necessitate auxilij gratiæ quo indigemus, nullum tempus est, nullum momentum, nulla occasio in tota vita in quibus totum ab ejus auxilio, non secùs ac respirationem ab aëre, expectare non debeamus. Simpliciter ergò ambulandum est non admissâ aliâ sollicitudine quam bene projiciendi nostram in eum sollicitudinem & ejus auxilium expectandi; aspirandi ad istam gratiam petendo, quærendo & pulsando; & aspirando laborandi ad quod hîc & nunc offertur agendum. *Ioan. c. 15.*

Porrò translatio illa magnum Charitatis quam nobis ipsis debemus actum perficit. Enim verò si experimento novimus ad hoc tantùm sollicitudines supervacaneas valere, ut mentem perturbent & animam fatigent inutili labore, qui vires ejus consumendo minus habilem reddit ad bonum operandum ex fastidio, quod ejusmodi fatigationes sequi solet. Numquid seipsum diligere, est hos labores & obices eliminare? In ista veritate nos stabilire debemus, quæ extra omne dubium est, nempe successus, qualescúmque sint, non magis à nobis pendere, quàm pluviam, quæ in terram decidit. Si ergò velimus cum recta & pura intentione agere erga Deum, & cum vera prudentia erga nos ipsos, necesse est ut semper in nostro intuitu separemus successum à nostra applicatione ac studio; primum aspiciendo in Dei voluntate, quasi quid ei proprium & de quo semper disponet secundùm suum beneplacitum: in secundo verò nos exercendo, cum accuratione tranquilla & ab adhæsione soluta, quæ laboret quidem sicut qui seminat & rigat;

sed à Deo solo incrementum & successum expectet. Eâ mensurâ qua in sic agendo proficiemus; in intentionis puritate, in mentis tranquillitate crescemus, nec non in vera nostri cognitione, quæ in nos radios & flammas divini amoris attrahet. Sed ab istis etiam distabimus, quantùm naturalis animi anxias sollicitudines sectabimur.

Hic tibi expono unum ex maximis vitæ & regiminis spiritualis principiis; sed ut ad illud, ut par est, exequendum bene efformeris, hæc in praxi observa.

Quoties proprius animus præsto aderit præsentans statim tibi suas sollicitudines quasi inde intellectum tuum sibi occupaturus; opus est ut anima tua quasi erumpat per januam voluntatis ad sistendum illum sollicitudinum globum, nec ultra transeat, quantumlibet importunè instet, illúmque ad sinum Dei remittas, ut ibi quiescat; cùm Dei tantum sit de omnibus sollicitudinem gerere & disponere. *Iacta super Dominum curam tuam,* inquid David, *& ipse te enutriet*, D. Paulus praxim illam optimè nos docet dum dicit, *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Sufficere ergò nobis debet, fidelis applicatio, gratiæ Dei auxilio quietè innixa, quæ se occupet ad agendum quod ei à Deo offertur, sed sollicitudinem & successum omnium ei relinquat. Ejus enim Providentia omnibus providebit tempore & loco convenientibus. Id suum est, non nostrum. Omnia scit, omnia potest, omnium Dominus est, at nos nec scimus, nec Domini sumus, nec ullam potestatem habemus etiam in ea, quæ nostræ libertati subdidit, nisi quantùm nobis concedit.

Psalm. 54.

Ad Philip. cap. 4.

Si quid prævidere conveniat circa ea quæ à nobis agenda sunt, prævisione utendum est, non sollicitudine. Circa agenda dico; nam quoad ea quæ ad futurum contingens pertinent quod accidere potest, vel non, optimum est ut integre in sinu Providentiæ reposita dimittantur & ad memoriam revocentur hæc Christi verba. *Sufficit diei malitia sua.* Sed ut melius capias quæ sit differentia inter prævisionem & sollicitudinem. Quatuor hic tibi distinguo,

S. Matth. cap. 6.

1. Mentis applicationem ad cognoscendum quod scire convenit.
2. Prævisionem agendorum, aut vitandorum.
3. Cautam diligentiam, ad faciendum absque omissione ulla, quod fieri potest.
4. Et sollicitudinem.

Applicatio, studium est bonum & utile quamdiu moderationi, tranquillitati, & patientiæ sociata est.

Prævisio, quâ attentè considerantur tùm agenda, tùm media, ut bene agatur, bona etiam est, dummodo in ea moderatio & tranquillitas serventur, nec in suis visis & consiliis ad extrema transeat, nec quærat certitudines, ubi Deus nullas à nobis haberi voluit, nec circa futurum aliam

aliam prætentionem habeat, quam facere quod potest, & de præsenti agnoscit, nec tandem sibi alium promittat successum, quam quem Deus concedere voluerit.

Diligentia fidelem exhibet applicationem quæ laborat absque intermissione, nihil omittens, nec sibi parcens, agricolæ adinstar, qui terram colit, ut sit fertilis; & hac studiosè utendum est.

At sollicitudo in animo inquietudines & anxietates generat, ac si omnia ex ejus industria & curis penderent; & successus, cum suis prævisionibus, & optatis concordare deberent. Non sufficit ei laborare sicut agricola, sed insuper vult se movere ac si solem, pluviam & tempus ad placitum posset accersere. Quid diceremus de agricola, qui sic circa agros se gereret? Compassionem, imo mœrorem conciperemus videndo hominem, suam quietem frustrà perturbantem, incassum laborantem, & animum sibi lædentem. Qui circa statum animæ & spiritûs ejusmodi sollicitudinem nutrit, majori adhuc compassione dignus est; sic enim pœnarum materias sibi tantummodo congerit, & humilitatis lenitatem perdit, quâ animæ quies nutritur.

Si bene transferamus curam nostram in sinum Divinæ Providentiæ, & in ea fiduciam nostram ponamus cum ea quam meretur reverentia, nihil negligendo eorum, quæ nobis offert & tradidit; inde movebitur ad curam nostri cum complacentia & abundantia gerendam.

Deus adhuc libentiùs se patrem spirituum exhibet quàm corporum; & si nobis incessanter ministrat aërem, quo corpora nostra vivunt, nec ad id ullâ sollicitudine opus habeamus; lubentiùs adhuc nobis concedet aërem gratiæ suæ quo animæ vita sustentetur & servetur. Par in utroque ratio est, & ideò in eo quiescere debemus; agitur tantùm, ut ex parte nostra accessus ei liberos & apertos teneamus, nec voluntarios obices aëri gratiæ ponamus.

Si nihilominus sollicitudo ad te accedat, téque premat; cum ea agendum est, sicut cum distractionibus in oratione occurrentibus: nec mirari sentiendo illam pluries ire & reverti. Id enim quasi connaturale effectum est spiritui humano per peccatum sauciato. At quando id percipitur, voluntas debet ad Deum accedere, ibíque se colligere, quasi sollicitudinem illam deserens, nec illam, aut aspicere, aut nutrire, aut æstimare volens.

Porrò quòd sollicitudinem acuit & auget, sunt desideria, & adhæsiones. Si ergò utrisque resecandis studeamus, lignum ab igne auferimus, quod supremum medium est ad illum extinguendum.

Oratio secunda praxis est.

IPsa est canale, per quod auxilia Dei defluunt in nostram inopiam; ejus necessitas & pretium satis nobis innotescunt ex Christi praxi,

qui exempla verbis conjunxit, ut eorum notitiam nobis daret atque exercitium complanaret. Tractatum singularem de ea habes in præmissis, quò possis ad eam efformari. At alta mente repone, unum è præcipuis vitæ spiritualis cardinibus esse, ut anima informetur & instruatur ad Orationem faciendam eo modo qui convenientem proportionem habeat cum statu orantis tùm naturali, tùm supernaturali. Verbum illud multa complectitur, & varias superfluitates resecat in ideis, in speculationibus, in lectionibus in quibus spiritus humanus quædam sibi sæpe fabricat mysteria, hócque verbo variæ anxietates & plures labores rescinduntur.

Nihil Oratione simplicius est, nec animæ faciliùs quando ad eam instructa est, & directa secundum sui statûs validitatem & mensuram; ac bene edocta de his quæ potest, & non potest. Hæc rectâ & convenienti sibi instructione animatur ad faciendum quod potest, & juvatur ad non dolendum ex defectu faciendi quod facere vellet: cùm inde cognoscat non esse in suo posse id facere. At, ut eorum quæ tibi annotamus, propinquior fiat applicatio rei de qua tecum nunc agimus, frequentiùs mentem ad Deum eleva, te propria prorsùs voluntate spoliando, ut ipsam in Dei voluntatem transferas; desideria tua in eumdem sinum repone, ubi jam curam tuam jactasti & transtulisti, & ibi filiali fiduciâ hæc Davidis verba effunde: *Quoniam tu es qui*
Psalm. 21. *extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ; in te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu; ne discesseris à me.*

Psal. 142. *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*

Psalm. 32. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Hæc tibi offero cum protestatione nihil absolutè volendi præter executionem mandatorum & consiliorum tuorum.

Proferendo sic ex corde ejusmodi aspirationes, & cum voluntate sensui verborum correspondente, intentiones purificantur, & inde anima disponitur ad excipiendas Divinæ voluntatis impressiones sicut aqua fontis, Solis impressiones recipit, quando quieta est & clarificata.

Sed ut copiosus profectus ex hac cordis apertione & effusione quæ coram Deo fit per Orationem hauriatur; apertum etiam debet esse his qui ex parte ejus deputati sunt ad te dirigendum & gubernandum. Id autem exequitur *Perspicuitas*, de qua sæpius plura audisti; & hæc nihil aliud est quam sincera praxis obedientiæ & patefactionis cordis his qui maximè in Religione selecti sunt ad regendas animas in consiliis Dei adimplendis. Fidelis submissio animæ in hac perspicuitatis praxi magna attrahit in eam auxilia, quibus consilia Dei bene discernantur. At, ut inde removeatur indiscretio & imprudentia hæc monita observa.

1. Animam tuam quasi in manibus tuis pone, ut ejus statum nudè exponas his qui ad illum agnoscendum & regendum deputati sunt; sed bona fide id facito. Id est omissis perquisitionibus scrupulosis aut curiosis, nec observatâ superfluâ rerum discussione, quæ etiam ex professo resecari debet in quibusdam materiis de quibus sufficit aliquid summatim dicere, nisi indigeatur singulari consilio.

2. In dubiis, pœnis & difficultatibus ex qualibet materia subortis, hæc ingenuè proponenda sunt ad dilucidationes & monita recipienda. Periculosum enim est junioribus animabus velle proprio judicio in hac re fidere, quæ dum volunt per se solas, enatas difficultates digerere & resolvere, sæpe in errorem labuntur, in obstinationem & in obcæcationes quæ eis magnorum laborum causæ sunt, suísque expensis addiscunt quanti momenti sit istud consilium.

3. Ab hac praxi eliminanda est coactio & quasi quædam cruciatûs species ex timore peccati procedens. Hic enim de consilio tantummodò agitur, cujus omissio non est peccatum, sed qui illud omittit privat se medio egregio, quo itur ad Deum, voluntásque ejus agnoscitur & rectè adimpletur. Hac etiam praxi, spiritus à multis ambagibus & anxietatibus liberatur. Hæc ergò *Perspicuitas* cum sancta spiritus libertate debet exerceri, quâ ad pondus amoris referatur, non ad pondus timoris peccati, quia de obligatione sub peccato hîc non agitur, nisi quis velit jacere in ignorantia alicujus rei, quam scire tenetur. At in omni casu istam sinceram cordis patefactionem, quam vocamus *Perspicuitatem* animare debemus intentione placendi Deo per humilitatem & submissionem, quam coram eo ex illius praxi exhibere volumus. Si enim hac intentione animata sit, benignos aspectus & auxilia Dei in nos attrahet; sed si deficiat hæc intentio, perspicuitas illa quasi corpus sine anima remanebit.

Derelictio propria divino beneplacito tertia praxis est.

Nihil istâ derelictione justius est. Cùm enim Dominus sit omnium & Magister, jus habet de omnibus disponendi. At nihil etiam nobis magis necessarium est. Si enim volumus ab eo adjuvari, gubernari & liberari, resecandæ sunt in hac derelictione quælibet reservationes, aut voluntariæ oppositiones rationis; quia obicem ponunt auxiliis gratiæ nobis necessariis, ut liberemur, adjuvemur & gubernemur.

Nihil tandem rationi magis consentaneum est. Nam derelictio ista nos constituit in concordia naturali, quæ inter rationem, & suum principium esse debet, nósque in virtutem, in meritum & benedictionem convertere facit, quod necessitas nobis semper erit. Cùm enim Deus supremus Magister sit, suam semper adimplebit voluntatem, nostrâ quantumlibet invitâ; cui proinde nihil restabit ex sua reservatione,

aut oppositione præter mœrorem & peccati confusionem. Derelictionis divino beneplacito defectus, id tantùm efficit, ut anima ad duram, ingratam & pœnis dignam necessitatem redigatur. Nisi ergò eam devitet, peccat non tantùm contra reverentiam quam debet Dei amori, sed etiam contra seipsam.

Fiducia in Deum.

HÆc quarta & ultima praxis est; sed aliis tribus supernatare, easque replere debet; nihil enim essent aliæ, si hæc deesset. Amorem Dei aggreditur & impetit, eo modo qui ei convenientior est, & gratior. Etenim æstimat eum secundum ejus meritum, nempe magnum, mirabilem, & totius boni possibilis faciendi capacem. Provocat eum ad se effundendum secundum mensuram vasis quod ei præparat, & ideò expedit ut se extendat, dilatétque animam, ac si totus Dei amor in eam diffluere deberet.

Ipsa est quæ miracula obtinet. Videmus enim in Evangelio fidei fiduciam solam esse dispositionem, quam Jesus requirebat ab his, qui miracula ab eo petebant. Fiduciâ deficiente nullum miraculum erit. At ei qui fidei fiduciâ præditus est, omnia possibilia sunt. *Omnia possibilia sunt credenti*, ait ipse Jesus, qui sic vult nobis ostendere quantùm ei placeat fiducia, attribuendo fiduciæ, quod suæ potentiæ est; Potentia ejus est, quæ miracula operatur; attamen in Evangelio sæpius legimus ejusmodi verba: *Confide fili, fides tua te salvum fecit.* Nota quod fidei de qua hic Christus loquitur fiduciam includit, idque satis denotat, utrámque hic jungendo. Parum esset credere, quòd ei insit potestas, nisi etiam firmiter crederetur, quòd ei etiam adjaceat volendi bonitas; fides primum adimplet, fiducia secundum exequitur. Fides agnoscit potentiam; at fidei fiducia se spei & Charitati adjungit ad actum producendum quo amor Dei ad potentiæ suæ opus exequendum provocatur. At quid agendum, inquies, ut ista habeatur fiducia? Satis supérque sentio nihil illà dulcius, nihil justius esse: velle eam habere adjacet mihi; sed perficere & eam possidere non invenio. Ut autem tibi ostendam clariùs quòd possis eam habere, imò sensim illius incrementum obtinere, tres tibi distinguo fiduciæ species, fiduciam fidei, fiduciam voluntatis & fiduciam sensus, sive sensibilem.

1. *Fiducia Fidei* quibuslibet Christianis communis esse debet. Si enim eâ aliquando carerent, cessarent esse fideles fidei; fiducia enim, quam in Deum habere debet quilibet Christianus, articulus fidei est, sicut & alia fidei mysteria; & si illicitum est vel dubium voluntarium nutrire circa mysteriorum fidei veritates, quin offendatur, qui illorum author est; illicitum etiam est admittere dubium voluntarium in nostra in Deum fiducia, qui per proprij filij verba & per sacras Scrip-

turas declaravit se velle, ut homines ad se cum fiducia accedant.

Fiducia voluntatis ea est quæ contra diffidentiam, contra animi dejectionem, & contra tædium certat, quæ homines impetere solent in tribulationibus. Hanc voco, *Fiduciam voluntatis*, quia fiducia in ea quasi conclusa remanet dum sensus videtur gustu fiduciæ omninò privatus. Hæc est quæ magnum acquirit meritum, amorique divino gratam dat complacentiam, qui ideò tribulationibus & internis certaminibus utitur, ut fiducia firmiùs radicetur; sicut ventis utitur ad plantas & arbores roborandas. Amor Dei est qui in filiorum suorum animabus radicem fiduciæ plantat, quam colere illum delectat, ut crescat; sed si fideles sint in servanda fidei fiducia per orationem & firmum voluntatis assensum infallibili Dei veritati, fiduciam voluntatis in se crescere apertè videbunt.

Victorias illis parturiet, & per opulentos effectus demonstrabit fiduciam id esse quod Deus à nobis maximè expectat, quæ cum Davide dicere parata sit, *& ex voluntate mea confitebor ei.* Hæc ergò voluntatis fiducia fidei fiduciæ annexa est sicut actus potentiæ, nec quisquam se ab ea excusare valet, quin simul revelatis à Deo veritatibus contradicat, vel Deum tacitè accuset de fidelitatis defectu in his adimplendis quæ ad se confugientibus repromisit.

Fiducia sensûs, sive sensibilis ea est, quæ in omnes animæ facultates se diffundit, quæ tunc se sentit totam in Deo quietatam absque ulla oppositione. Apertè videt quod verè habeat in eum fiduciam, & sentit nihil sibi naturalius esse, & nihil gustui suo eâ fiducia suavius. Nihil ei molestum est; nulla re terretur, quandiu ea fiducia oculis ejus apertè præsens est; id autem tantummodo ex radio gratiæ procedit qui conceditur quando Deo beneplacitum est. Quo radio ejusmodi fiducia in anima aperitur, sicut sole flores aperiuntur, & inde fit sæpe grata remuneratio fidelitatis exhibitæ in exercitio fiduciæ fidei & voluntatis.

Itaque fiducia Fidei, & fiducia voluntatis esse debent nostri studij, & occupationis materia; quia illud est quod Dei gratia nostræ subdit possibilitati, & si in eis gradatim proficimus frequenter implorando ejusdem gratiæ auxilium pro nostræ fiduciæ, sicut & pro Fidei augmento, Sol in florem sensus radios vibrabit quibus fiducia sensibilis ibi explicabitur, quam tunc cum consolationis abundantia intuebimur. At cum solus Sol possit flores naturali modo explicare, & eo recedente se recludant; à solo etiam Solis justitiæ radio potest sensibilitas illa recipi. Si autem flos licet reclusus, non ideò minus est flos; ita etiam fiducia non minus vera erit, quamvis sensum apertum non videat, imò quò plus habebit Fidei & voluntatis, eò amplius amori Dei grata erit.

Pro certo habe, quòd si fiducia Dei oculis tam grata existit sicut ipse testatur; id fit non tantùm, quia amorem ejus rectà aggreditur &

convenienti æstimatione prosequitur, sed etiam quia magnum ei offert sacrificium de homine peccatore, qui ex superbiæ cæcitate in seipsum tantùm novit fiduciam habere. Propriam in se fiduciam ei eripere, amori proprio delicatiorem cibum auferre est. Medium optimum est ad exigendam ab eo egregiam protestationem de suo nihilo recognito; dùm enim fiducia in Deum unicè habere cogitur, ad agnoscendum nihil in se reperire in quo confidere possit, compellitur. Indè est quòd sæpè humano spiritui objiciunt se timores, contradictiones, & prætextus qui fiduciæ in Deum obices ponere tentant. At non tam ex nostræ indignitatis timore id nascitur, quàm ex privati amoris astutia, & ex subtilitate aversionis ejus à se ipso egrediendi, ut suam in se fiduciam deserat; sicut deserere necesse est, ut in solo Deo fiducia habeatur.

Hanc ergò in Deum fiduciam dilatemus juxta Sapientis effatum, dicentis *habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, & prudentiæ tuæ ne innitaris*, nec timendus est in ejusmodi fiducia excessus, quamdiu inde non desumitur prætextus suæ indulgendi negligentiæ. Tunc enim fiducia in insolentiam degeneraret. Indulgere intelligo, dum sub fiduciæ pallio propriæ conscientiæ monita opprimuntur, correctionis effectus eluduntur, fitque in suis defectibus quieta demoratio.

Proverb. 3.

Instabis & dices; sed quid fiet de illo propriæ infirmitatis timore, quo in continua nostri diffidentia stare debemus, ex visu continuæ in nobis existentis peccandi capacitatis? Hanc quidem fidelis anima semper habere debet sociam, sicut Faber ferrarius aquam habet prope fornacem, hócque timore uti debet, sicut Faber aquâ, quæ in ignem identidem injecta, inde irritatur & majori quàm prius ardore exardescit. Hac comparatione ingenuè tibi explicatur quonam modo utendum sit timore & quem effectum habere debeat, nempè fiduciæ in Deum inservire, ut amplius accendatur per tactum aquæ propriæ infirmitatis, cujus timor in ea tantùm quantitate in fiduciam injici debet, quæ sufficiat ad eam irritandam, sed non in ea abundantia, quæ capax sit eam minuere, aut extinguere.

Hæ quatuor praxes, quas tibi trado, translationis tuæ sollicitudinis, orationis, derelictionis & Fiduciæ, perfectam præparationem continent, quam Deus à fideli anima requirit, ut in eam auxiliorum gratiæ abundantiam infundat, & præcellentem cæteris dispositionem complectitur, ut se fidelem ei exhibeat. Ut autem id meliùs intelligas profero tibi comparationem ex medico & ægroto desumptam. Qualiter se gerit ægrotus, qui variis morbis se correptum videt & in periculo mortis constitutum?

1. Seligit quempiam bonum medicum, & quantùm in se est confidit in probitate & experientia istius medici.

2. Invitat eum ut veniat ad se, & rogat, ut in se artem suam exerceat.

3. Promittit integram sui permissionem & obedientiam medicis ejus ordinationibus. Quid enim fieret si medico venæ sectionem ordinante ægrotus aliud vellet? Numquid meritò medicus ille obstinatum ejusmodi ægrorum desereret?

4. Ægrotus tandem in medicum congruam debet habere fiduciam. Si enim cor sui ægroti pervium haberet, ibíque diffidentiam cerneret, ægrè tantùm in eum artem suam exerceret. Et si tandem eum ad fiduciam non redire comperiret, cum ira illum desereret, eò quòd convenientem de se opinionem non haberet. Hanc comparationem applica animæ Christianæ, quæ infirmitatibus & periculis circumcincta est, quorum causa peccatum, solúsque medicus Deus est.

Projectio sollicitudinis in ejus sinum primum gressum facit, oratio secundum, derelictio tertium, & fiducia consummationem dispositionis perficit, quæ cælestem medicum, cui abscondita cordis nota sunt, attrahit, ad suum ægrotum cum complacentia curandum.

Si quatuor dispositiones quas tibi assignavi in ægroto corporali continent quicquid à medico desiderari potest, ut cum honore artem suam exerceat, ægrúmque sanet; quicquid Deus à nobis expectat, ut nos tractet quasi bonos & sapientes ægrotos, etiam complectuntur. Et quò plus in istis dispositionibus proficiemus eò ampliùs conveniemus cum excellentia ac desideriis cælestis medici, qui medicamenta sua ex propriis sanguine, vita, & doloribus composuit, ut nostram sanationem certam redderet, si ejus intentis respondere velimus. Sed ut quatuor istas praxes altè in teipsum penetrare facias, en tibi trado ideam exercitij quod quotidie manè potes perficere; quódque quatuor simul complectitur.

Considera Solem sic de novo oriri quotidiè ut te illuminet, ac si nunquam in terra apparuisset, recorditur quotidiè quod ab initio mundi facere cœpit, aërque tibi obvius est quo respires, ac si nondum alicujus usûs tibi fuisset.

Sol & aër dierum præcedentium nihil vitæ tuæ inservirent, nisi iterum in præsenti die tibi adessent, & utrumque de novo Deus tibi concedit, ut in vita naturali serveris; at tibi in istis creaturis propositum Charitatis ejus in te denotatur, nempè renovandi te quotidie in vita morali, sicut nobis exprimit D. Paulus dum dicit, *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* 2. Corinth. cap. 4.
Auxilia gratiæ actualis quæ præcedentibus diebus recepisti non plus tibi inseruirent quam Sol qui te elapsis diebus illuminavit, nisi idem fons Charitatis Dei, ea de novo in te diffunderet; sicut singulis diebus novum tibi Solem concedit.

Ut ergò documentum tibi quotidiè à Sole insinuatum sequaris, & Dei super te proposito respondeas, teipsum per electionem liberam in sinum Patris tui cælestis referre satage, quasi desiderans iterùm concipi

& ex nihilo reproduci per eamdem Charitatem, quæ te ex nihilo creavit.

En Methodus.

1. Accede cum filiali fiducia ad sinum Patris Cælestis, ut in eum te projicias, & esse tuum in Charitatis ejus Occeanum submergas, ibidem quasi novum accepturus, ita V. G. apud te dicendo.

O Domine, nihil mihi magis nativum est quàm tu, cùm ipse sis ex quo esse meum procedit, & quicquid sum tuæ Charitatis partus tantùm sit. Inde prætendo jus habere ad tuum amorem, quia ipse est qui me fecit; & si Mater mea nunquam recusavit me inter brachia sua recipere, nec à sinu suo repulit, quando ad eam confugi; credo firmiter quod adhuc libentius mihi ulnas aperies ut recipias. Venio ergò, Deus meus, me in te projecturus & submersurus, ut à te mei esse renovationem petam & obtineam, &c. Hæc tibi verba profero exempli tantum gratiâ, non verò ut iisdem semper verbis adhæreas; quia ea quæ ex cordis abundantia menti occurrunt meliora sunt. Ab illa enim praxi quæ sicca consuetudo nominatur remotiora sunt, & attentioni ad ea quæ proferuntur propinquiora.

2. Agnosce te non minus indigere gratiæ ejus auxiliis quàm si nunquam illa recepisses; te erga ejus Charitatem eadem reverentia & gratitudine teneri quàm si nondum ullam in vita exhibuisses; téque non minùs obligatum existere ad studium beneplaciti ejus adimplendi, quàm si pro eo nondum quicquam fecisses. In hoc Patris Cælestis adorando sinu ista Davidis verba dicito, *Et dixi nunc cœpi*, id applicando novo esse gratiæ quod ab eo expectas, novis auxiliis quæ ab eo recipies, & proposito à te concepto incumbendi de novo ejus amoris praxi, novàque adhibita diligentia, ac si nihil unquam pro Deo hucusque egisses.

3. Considera te in isto sinu quasi nihil & inane; quod in nihilo maneret, nisi Charitatis Patris tui te inde iterùm extraheret. Expone illi petitiones tuas ac desideria cum fiducia, quæ ejus amori par esse contendat, & firmiter spera quòd tibi concedendo novum esse morale, eadem Charitas tibi dicit se etiam erga te esse acturam ac si nunc inciperet, séque de novo in te diffusuram, ac si tibi nulla hucusque bona impertita esset, sicut Solem suum super te oriri facit, ac si nunquam luxisset.

4. Postmodùm teipsum intuere quasi quid recenter è nihilo productum quod sub protectione Creatoris tui, totius boni tui, existir, atque cogita te in illo è sinu Patris tui Cælestis egressu assumere binas alas quarum altera fiducia sit, altera humilitas, quibus incessanter utaris, ut te quasi suspensum inter cælum & terram teneas.

Statue apud te ab illarum alarum motu nunquam desistere, quarum alterâ

alterâ te in Deum eleves, alterâ verò à te & à creaturis solutus tenearis; una amorem Dei semper honoret; altera te ejus magnitudini subdat; sic enim fiducia consolationem vitæ tuæ componet, & humilitas tuiipsius pacem & dulcorationem.

His alis in quibuscumque casibus & occasionibus utere ꝰ si enim vel ad modicum illas agitare desineres, à cælo te removeres & terræ appropinquares; sicuti avi accidit, statim atque ab alarum motu desistit. Huc si referas res omnes & eventus qualescumque sint; in brevi reperies te in fidelitate gratiæ Dei crevisse.

5. Age tandem, & ambula cum intento sequenti die ad tuum nihilum denuò redeundi, & crede quod si sic quotidie iteratò incipias, acquires & invenies in te dispositiones necessarias ad multâ humilitate, pace & Charitate fruendum.

Superest tantùm nobis, ô Theotime, loqui de studio cui animæ fideli incumbendum est, ut statûs Religiosi Regulas impleat ꝰ earum enim peractio est, quæ dispositiones in actum deducit, propositum probat, ut inde agnoscat quale sit, & æque utilis est ad singulare Dei propositum dignoscendum; ac necessaria ad gratiam veræ vocationis conservandam & augendam. In hoc te fidelem exhibere necesse est. Id enim quasi materiale propositi Dei debes considerare & quasi subjectum operis, quod tibi in domo sua peragendum tradit. Ad id implendum te tantummodo ibi recipit, & si optas ut gratis semper oculis ibi te conspiciat, tuique exactam curam habeat tùm quoad pabulum & ornatum, tùm quoad operis diurni mercedem, ad illud, ut par est, perficiendum incumbere debes adhibitâ accuratione, quæ amorosa & reverentissima sit, sed non scrupulosa.

Status Religiosus in convenienti sibi opinione & pretio habendus est, & juxta meritum suum tractandus. Id autem fieri nequit absque accurata Regularum ejus observantia, quas cardinem vocare possumus ex quo pendent pax & consolatio ac progressus animæ in illo statu, atque in eo versantur. Gratia vocationis proportionem facit inter nos & statum Religiosum, animam prævenit & attrahit ꝰ vires ei suppeditat, & præstat unde possit omnia ejus munia peragere, quæ humana infirmitas nec suscipere, nec exequi posset; nisi hujus gratiæ singularis auxilio sustentaretur. Sed cùm Deus illam tantùm concedat ad finem officia istius professionis adimplendi; inde perspicuum est opus nobis esse, ut fidelitas nostra cum intento ab eo fine conveniat, si velimus ejus gratiæ unctionem in nobis servari & augeri.

Quamdiu fideliter ad ejus fines tendemus, in nos ubique comitando complacebit sibi, ac augebit se eâ mensurâ, quâ in fidelitate crescemus ꝰ atque se augendo gratissimam proportionem inter nos & statum Religiosum producet, quâ jugum Christi etsi contradictionibus, pœnis, & difficultatibus circumdatum, quibuscumque oblectamentis mundanis

suavius esse dignoscemus. Sed quando à reverentia huic statui & cælesti vocationi debita receditur, negligentia deliberatè volita non modicam cladem statim parit. Sæpe enim accidit ut spiritus gratiæ inde contristatus unctionem retrahat, sicque diminuta proportione, humana infirmitas in culpas & negligentias faciliùs decidat. Unde fit, ut animа de culpa in culpam decidendo mœrore correptam, languidam & gementem se reperiat sub onere statûs sui, in quo sibi & aliis onerosa efficitur. Quod totum ex sua culpa procedit.

En paucis tibi demonstro causas, progressus, & lapsus animarum in statu Religioso, tuísque eas oculis objicio, ut eas agnoscens scitè eligas, & propositum tuum figas cum ea reverentia, quam consilia Dei circa te merentur.

1. Habes illorum qualitates, nec dubitare potes, quin eis voluntatem & intentiones tuas conformare debeas, cum æterna sint, paterna, amorosa, & perfectâ sapientiâ concepta.

2. Habes modum quo ad ea dignoscenda & amplectenda accedere debeas.

3. Et tandem tibi exponitur quid à te requirant. Sed duo adhuc restant tibi notanda. Etenim veritates gravibus experientiis probatas complectuntur.

1. Inter ea, quibus decipi possunt mentes eorum qui Religionem volunt ingredi, notabilis censenda est deliberatio eligendi sibi locum ubi Religiosa mortificatio non tam strictè servetur, nec juxta strictiores vitæ spiritualis regulas ambuletur, putantes quod inde leniori labore, & majori facilitate, ibi vitam transigent. His, ô Theotime, contrarium evenire solet. Quò enim plus sensus consideratur, eò longiùs à spiritu receditur; & in statu Religioso sensus in brevi finem reperit eorum quæ ibi prætendere potest. Deus & spiritus sunt quicquid consolationem Religiosam componere potest. Quo circa si vis ibi optimam partem habere, supra sensus tibi ambulandum est, ut spiritui propinquior fias. Hæc deceptio adhuc evidentius innotescit eorum experimento qui electo Monasterio ubi viget observantia Regularis, statuunt apud se vitam ibi mitigatam ducere & leniorem, nihil negando sensibus eorum quæ possunt eis sine crimine concedere. Quantumlibet parùm sensui concedant; spiritus inde non modicam jacturam patietur. Dum autem dico sensui concedere, id intelligo, ultra discretionem in omnibus servandam & rationabilem libertatem Christianam.

2. Optimum medium ad proficiendum in libertate spiritûs & animæ pace, est propositum fixum ac studium Deo soli adhærendi. Creaturis adhæsio, quolibet prætextu innixa ibi remoram facit, & dolorum causa est. Amicitia cordiali diligamus eos qui tùm bonis consiliis, tùm exemplis ad Deum nos ferunt; sed quoad inhærentiam, eam soli Deo servemus.

Ut ad id juvemur, dum ab eis aliquam consolationem spiritualem accipimus, eos tantùm consideremus quasi vitrum per quod Deus se nobis ostendit, quia ipse est author consolationis, non creatura quæ servit. Porrò praxis optima magistra tibi erit, cujus adminiculo quicquid tibi dixi comprehendes, quod unicè tibi opto concedi à Patre luminum.

CAPUT UNDECIMUM.

Quadraginta complectens meditationes de modis delectum ad aliquem vitæ statum optimè adhibendi, ejúsque munia omnia rectè obeundi: cum aliis quibusdam monitis de sacratissima communione.

PRÆFATIUNCULA.

SATIS perspicuum est has meditationes fuisse conscriptas in gratiam cujusdam personæ ad Religiosum statum aspirantis, ac in noviciatûs probatione existentis; attamen cujuslibet conditionis homines in iis reperient quidquid conducit ad dignoscendum quibus indigeant, ut magnam diligentiam & vigilantiam, in statu, ad quem à Deo vocati sunt, adhibeant; atque ut veri Christiani partes omnes ritè exequantur.

Vineæ florentes dederunt odorem suum. Cant. c. 2. v. 13.

PErlectâ tuâ Epistolâ mihi gratissimè animo occurrerunt hæc Cantici Canticorum verba. Cur enim ipse non lætarer, perspectis quos tibi Deus afflavit, pietatis sensibus, ac desideriis, quæ te sollicitant, statûs quem suscipere optas, dignitatem, officiáque omninò cognoscendi. Horum tu notitiam à me exigis cum firmissima benè illa utendi voluntate. Veruntamen debemus ambo cælestem sponsum consulere, ut suum mihi auxilium suppeditet, quò possim tuis postulationibus modo statui tuo, tuæque pristinæ consuetudini convenientissimo respondere. Sicque nihil officiet quominus flores tui in fructus transeant; cùm id avidè optet. Dicitur enim eodem in Cantico: quod manè surget ad vineas, & videbit si floruit vinea, & si flores fructus parturiunt. Cognita statûs hujus excellentia te incitabit ad virtutes ejus annunciandas *qui de tenebris te vocavit in admirabile lumen suum.* Ejúsque officiorum notitia te edocebit *dignè ambulare, Deo per omnia placens.* *Cant. cap. 7. v. 11.* *1. Petr. c. 2. vers. 9.* *Ad Coloss. c. 1. v. 10.*

Sed antequam ulteriùs progrediamur, ô Theotime, his S. Petri verbis

liceat paululùm insistere. Hæc de Gentium vocatione ad verbum interpretantur, quos infidelitas crassissimis tenebris obvoluebat; quæ tandem fide, quam lumen vocat admirabile, discussæ sunt.

Cuncta in fide obscura sunt; ratio in ea cæcutit: nec nisi suo naturali concipiendi modo spoliata potest ad eam accedere, non secus ac Moyses non potuit ad rubum ardentem, sed incombustum, nisi depositis priùs calceis appropinquare. Ut quid igitur lumen est, & est admirabile? Nimirum illius obscuritas mira in ratione operatur, dum hæc se se in obsequium fidei captivando profundissimas, quibus convincitur, cognitiones feliciter detegit: ac sempiternæ veritatis lumen infundit, quod illi certissima perhibent testimonia, quibus repletur, supra se elevatur, ac bona supernaturalia, quæ videre non licet, extremis quasi digitis attingit. In hoc ipso certè fides mirabilis est, quod ipsius obscuritas lumen efficiat. Non est rarum, nec infrequens die illucescente videre; sed per ipsam obscuritatem non videre solum, sed res certiùs, quam per lucem cognoscere, illud certè prorsus admirabile est.

Quod de vocatione ad fidem ad literam intelligitur, tuo quoque statui optimè convenit, in quo si te fidelem exhibeas, experientiâ comperies quod seculi bonis, usibúsque renuntians, è tenebris plurimos compedes, pericula, calamitatésque occultantibus feliciter evasisti, ut in statum luminosum intrares, qui durus quidem & obscurus naturæ apparet; sed qui verorum bonorum cognitionem tibi ingeret ac mundanas patefaciet vanitates, quique eò mirabilius tibi videbitur, quod in suis privationibus consolationes, longè multúmque exuperantes quicquid mundus pulchrius, jucundiúsque conferre potest, tibi præbiturus est. Quo magis in praxi proficies, eò clarius lumen hoc oculis tuis se manifestabit. Quò te fideliorem ei præstabis, eò mirabilius apparebit; perspiciésque quantùm tenearis *gratias agere Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Ad Coloss. c. 1. v. 12.

Ut igitur hujus status prærogativas, officiáque ipsi annexa meliùs intelligas, accuratam illius formam tibi designare statui; cujus principia usque ad humani cordis intimum perquiram, eáque in quatuor sectiones distribuam.

Prima Sectio

PEricula & calamitates complectetur, quibus homines tàm quoad corpus & animam, quàm quoad vitæ libertatem obnoxij sunt: atque ex hoc capite novem meditandi argumenta desumam.

Primum erit de animi affectionibus, & de modo eas ad rectam rationem reducendi.

2. Qualiter homines erga illas affectiones in mundo se gerant; &

quod omnia in seculo ad earum effrænationem conspirent.

3. De afflictionibus, quas passiones causant.

4. De perversis exemplis.

5. De occasionibus se se propriâ infirmitate perdendi : *En quæ ad animam spectant.*

6. De fortunæ instabilitate ac vicissitudine.

7. De multarum tribulationum propinquitate. *En quæ corpus respiciunt.*

8. De seculi vinculis.

9. De Cælibatu. *En quæ ad libertatem attinent*, quæ oppositorum comparatione clariùs elucescent.

SECUNDA SECTIO TRACTABIT

DE excellentia gratiæ, quam Deus homini impertit, illum à seculo revocando ; & hanc in rem duas meditationes conficiam, quæ tibi demonstrabunt,

1. Hujusmodi gratiam singulare divini erga nos amoris indicium esse; nósque vicissim obligare ad nostrum ipsi amorem & accepti tanti beneficij memoriam testificandam.

2. Illam nobis esse magnam consolationis causam.

TERTIA SECTIO

FInem continebit à Deo sibi propositum, quando ad eum te statum vocavit ; nempe ut filium ejus unicum, illum glorificando, & portando in corpore tuo, ut verbis Apostoli utar, graphicè adumbrares. Verum ut in corpore tuo genuinè exprimatur; debes ad illius actionum & doctrinæ exemplar ingenium, & rationem effingere. Tredecim meditationibus caput hoc conficiam. *1. Ad Corinth. c. 6.*

1. Erit de intellectûs contemptu & mortificatione.

2. De Jesu Christi exemplis hæc nos edocentibus.

3. De propriæ voluntatis abnegatione.

4. De Jesu Christi exemplis, quæ nobis de ea tradidit.

5. De modis, quos religio nobis ad ea fideliter insistenda suppeditat. *His quinque modis Christum poterimus in nostra ratione efformare.*

6. De resecanda in ideis nostris Curiositate

7. In vanitatis objectis.

8. In considerationibus sive reflexibus inutilibus. *Ea ratione in intellectu Christum repræsentabis.* Per intellectum sensus interiores intelligo.

9. De modestia.

10. De Castitate.

11. De voluntaria pœnitentia.

12. De patientia in ægritudinibus.

13. De religiosa paupertate. Sic in corpore exprimitur Christus, & ubique portatur.

Quarta Sectio

Modos disquiret statûs sui regulas ritè observandi, & ad ejus mentem se totum fingendi, qui septem meditationes comprehendent.

1. De humilitate.
2. De sollicitudinis in Dei sinum translatione.
3. De Oratione.
4. De suiipsius Divino beneplacito summissione.
5. De fiducia.
6. De desideriorum suorum spoliatione.
7. De Regularum existimatione.

Denique quasdam insuper adjiciam meditationes, quibus ad te Deo absque ulla reservatione consecrandum incitaberis.

In qualibet meditatione affectuum ideam tibi tradam, quâ juveris ad instituendam cum Deo conversationem. Nolim tamen ut eas repellas, quæ cordi obvenient, aut à Deo excitabuntur. Imò verò consulo tibi ut illas omninò suscipias, & cum eis diu immoreris. Hæc enim ad te solummodo scribo, ut menti tuæ quosdam aditus patefaciam. Illas tibi nullo sermonis ordine servato & quasi per commentarij modum exarabo. Intellectus enim sæpissimè obscuratur cùm ipsi facultas adimitur aliquid de suo expromendi, ac se se in eo quod illi proponitur, exercendi; quodque propriâ contentione lumine cælesti irradiatâ apprehendit, ad animam citius pertingit, quàm quicquid illi dici potest.

Eodem te prorsus modo habebis erga tua proposita; ac breve, quod de qualibet meditatione facturus sum, examen quid tibi agendum, corrigendúmque sit, facili methodo te docebit. Sed in his omnibus tradita tibi in Tractatu de Oratione monita, regulásque servabis.

En quæ pro viribus enixus sum, ut tuis optatis satisfacerem; quæque, meo judicio, magis conducere possunt, ut quantam debes de tua professione existimationem concipias, eámque, prout meretur, honorificè habeas.

Res paulò fusius explicabo, ut qui eodem in stadio tecum currunt, iis quoque uti possint; ut inquam, tirones Orationis, quæ per meditationem fit, exercitium expeditè ac facilè suscipiant; ac provectiores in Iesu Christi repræsentatione utilius occupentur. Hi denique qui ad contemplationis gradum pervenerunt, ad hunc poterunt meditationis statum regredi, si divino spiritui libuerit nihil aliud ipsis afflare.

Existimo tamen nullos esse Religiosos, ad quos eorum quæ dicturi sumus veritas non pertineat, quique ea non debeant ob oculos identidem sibi proponere; ne vel penitus eorum obliviscantur, vel quod de illis rectè sentiunt, sensim amittant. Humana quippe mens in spiritualium oblivionem facilè venit; aut si eorum non omninò obliviscitur,

modo sicco & insipido certè recordatur, nisi sæpius proponantur ut ad ea se se de novo applicet.

Anima quæ vult conceptum de virtute æstimium, aut affectum conservare, pro certo habeat ipsi quotidie Orationi ac Christianarum veritatum perquisitioni insistendum esse, non secus ac cibis, ut vivere possit, quotidie indiget. Quod si contingat ut hæ veritates, quibus penetrata fuit, aliquando evanescant, ac quædam in ea tantum remaneat illarum notitia, quæ quasi mortua ipsi apparet, eò quod nullam earum in se motionem sentiat; mœrore ex ea minimè afficiatur, sed sic à Deo permissum fuisse intelligat, ut illam ad orandum, & quotidianum ab eo panem postulandum obliget; doceatque non minus ad laborandum teneri, ut vitam suam spiritualem conservet, quàm ut naturalem sustentet.

Ad ipsum igitur confugiat, atque in ipso, modo licet sicco confidat; & fide illam modo quidem invisibili, sed omni sensu suavi ac jucundo efficaciori corroborabit. Fidei ad Deum via omnium purissima, fortissima, ac certissima est, & ab iis erroribus quæ in sensibili occurrunt, procul dissita.

PRIMA SECTIO.

De periculis & ærumnis quibus hominis anima, corpus, & libertas in seculo exponuntur.

I. MEDITATIO.

De animi affectionibus, & earum rectè dirigendarum necessitate.

1. QUandoquidem homo Deo inobediens fuit; meruit certè prævaricationis suæ signum ac pœnam præferre. Ejus passiones quæ illi, tanquam quædam ad bonum operandum, malúmque fugiendum auxilia concessæ fuerant, contra ejus rationem rebellant, ac eorum motibus concupiscentia utitur, ut illam perturbet. Justa est hæc illius inobedientiæ punitio; cujus signa periculosis, ac mortiferis morbis in se deferet, nisi remedium adhibeatur. Nihil rationi magis consentaneum efficere potest, quam hoc remedium inquirere, eóque uti, cùm de morbo & morte evitandis agatur.

2. Si terram, quam pedibus calcat, in sudore vultûs sui colere indiget, & carduos, spinásque evellere, ut panem habeat quo corpus

suum nutriat & vitam propaget; illius cordis terra spinas quoque sentésque producit, quorum passiones radices sunt, quorúmque noxiis fœtibus eradicandis tenetur assiduè laborare, si suæ vitam animæ velit conservare. Hæ spinæ rationem ejus suffocabunt, nisi evellantur. Virtus in ea non poterit excrescere. Anima sine virtutibus vivere non valet. Moriatur ergò necesse est, nisi hæc obstacula subtrahantur. Numquid res tanti momenti negligenda est?

3. Quid proficiet homini esse ratione præditum, si cupiditates suas nesciat coërcere? Ipsæ in causa sunt, cur *comparatus sit jumentis insipientibus, & similis factus sit illis.* Sed longè illis vilior fiet, nisi animam suam in eo, quem meretur, honoris loco habeat, & nisi libertatis suæ potestate ad eas subigendas pro virili utatur. Quod enim belluis nativum est, hoc illi vitio & crimini vertetur, ac creaturarum opprobrium meritò habebitur, siquidem non potest illis similis fieri, quin extra ordinem suum sit, & magnam Creatori suo injuriam irroget. Maximæ dementiæ est, velle hominem haberi & brutorum more vivere.

Psalm. 48.

4. Graphicè tibi adumbrat hominem suis irretitum ac saucium cupiditatibus viator ille Jericuntinus, qui in latrones incidens, ab iis vulneratus, ac semivivus relictus est. Indigebat certè medico æquè potenti & benefico, ac est Samaritanus noster cælestis, qui eum in sacratissimam suam humanitatem tolleret, quíque in ejus passiones vinum fortitudinis, & dulcedinis oleum infunderet. Anima vitam debet nihili pendere; illámque tantùm ex parte se existimet habere, quamdiù non innitetur cælestis sui medici humanitate. Ejus oleo, vinóque semper indigebit, ut passionum suarum motus mitiget, ne novum illi vulnus infligant. Nisi enim præsens, & præ manibus habeat illud antidotum, raro ab illarum impetibus invulnerata recedet. Optimè igitur cum illo ei conveniat, & attenta cogitatione in eum defixa sit, necesse est; quando quidem illius ope tantoperè indiget.

5. Ratio quippe infirmitate ac tenebris plena est, quibus ad malum à cupiditatibus suis faciliùs illicitur. Illam sub fallaci boni & voluptatis specie ad sibi obsequendum incitant. Sensibiles earum affectiones quosdam illi vapores afflant, qui ejus intellectum facilè immutant vanis & mendacibus visis, quæ non inania & imaginaria, sed verissima esse falsò arbitratur. Aurata illi exhibent tabernacula, qualia olim in Ægyptiorum templis visebantur; sed murem, aut talpam in eis recondi, faciunt, ut minimè recordentur. Sed quousque tandem ratio illa jam obcæcata, jam suis abrepta cupiditatibus progredietur? ipsas quocumque volunt, insequitur; calamitatibus se se implicat; & id abhorret quod potest ad sanam mentem illam reducere. Quin etiam oculos avertit, ne, quemadmodum illi senes Susannæ castitati insidiantes, cælum respiciant. Talia denique perpetrat; quibus dementiæ coram omnibus facilè convincitur; nec tamen confusione secuturâ, impotentes illius

impetus

impetus cohibentur. En quò passionum via perducit. Quid ille agit, qui eis se patitur irretiri? Putás-ne ipsum scire, quod illæ sint *ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina* bonorum omnium temporalium & æternorum? hunc ignem debes nascentem extinguere, ne vel ejus scintilla ingentem flammam excitet. Quis scit, an unicam hujus ignis scintillam fovendo; hæc ad magnum usque incendium tandem inflammetur? *Iob cap. 31. vers. 12.*

6. Æger debilis est; morbus verò acutissimus. Suis igitur cupiditatibus cautè, sed animosè invigilare debet; cùm Dei sapientia magna in ejus pœna thesaurum absconderit, maximi meriti occasionem illi subministrando. Passionum suarum rebellio grandis pugnæ materiam illi suppeditat, coronámque merebitur, si fideliter ac strenuè dimicando, contemptum sui Creatoris honorem, ac violatam animæ suæ dignitatem, cupiditates suas utrique subjiciendo ulciscatur. Suum in animalia Dominium perdidit; ac violentiam, industriámque adhibere cogitur, ut ad obsequium suum illa revocet. Sicque reducta debet nihilmominus custodire, ne ad innatam libertatem se referant. Quod in animalia, hoc ipsum homini convenit in cupiditates suas usurpare. Illas adhibitâ violentiâ, & industriâ edomet; nec illarum motibus deterreatur; (*nocere enim non possunt non consentientibus*) aut earum habitibus nimium confidat: sunt enim semper debiles, & infirmæ; ac animales propensiones semper habebunt. *Conc. Trident.*

Illas igitur observa, medicúmque cælestem roga, ut te non patiatur in tentationem induci. Ejus auxilio, remediisque adjutus, omnia superabis; his verò destitutus, etsi tua ratio promptissima sit, carnem suis in cupiditatibus semper infirmam agnosces.

AFFECTIONES.

TUam in memoriam reduc, quid Samaritanus egerit erga viatorem à latronibus plagis malè affectum; & hoc ipsum Christo Domino cum cordis intimo affectu attribue.

O mi Salvator, tu es verus ille Samaritanus, beneficus, liberalis, ac *multum misericors*, &c.

Quid factum de me fuisset, si de tua cælesti Jerusalem ad me non descendisses.

Applica tuæ animæ infelicis statum viatoris, vulnerati, exspoliati; & ab omnibus derelicti.

Cogita animal, in quod miser ille tollitur, sacratissimam Salvatoris humanitatem repræsentare.

Agnosce quanto dignus sit amore status ille quem tui causa suscepit, & ob quem æterno Patri suo dixit; *ut jumentum factus sum apud te.* *Psalm. 72.*

Hæc si pro me fecisti, quid pro te, Domine mi, facere teneor? &c.

Cogita stabulum Religionem esse. Huc me, Domine deduxisti; curasti ut providè exciperer, expensarum te sponsorem fecisti, &c.

Agnosce solum eum esse qui vinum & oleum habeat, quibus cupiditatum tuarum excessus sanari possint.

Pete ab ipso fortitudinis vinum, ut concupiscentiæ blandimenta despicias; atque oleum dulcedinis, ut iracundiæ motus compescas. Utrumque simul mixtum, ô mi Salvator, animæ meæ adhibe, ut tua sit omninò, fortis ad vincendum, mitis ad sufferendum. Salus mea agitur, ut tua sim; extra te quippe nullum invenio remedium.

Morbis affligor mortiferis, tu solus, &c.

Fatere solà illius bonitate te fuisse à lubrico concupiscentiæ tramite revocatum. Recogita coram illo quot & quam gravia tunc accepisti vulnera, &c.

Quid de me factum fuisset, O Domine, nisi ad opem mihi ferendam auspicatò accurrisses.

Desideria tua Davidicis conjunge: *Illumina oculos meos*, inquiebat, *ne unquam obdormiam in morte.* Agnosce istud à Deo meritò Prophetam efflagitâsse, ut cupiditatum cæcitatem devitaret. *Psalm. 12.*

Postula sicut ille, ut *non te demergat tempestas*; vocésque illas passionibus applica, quæ quasi venti tempestatem illam excitant; *neque absorbeat te profundum* (de passionum usu istas intellige) *neque urgeat super te puteus os suum*: ac per postrema hæc verba, inveterati habitûs effectum concipe. *Psalm. 68. vers. 16.*

Quis posset, Domine, ex hoc puteo sic occluso educi? Prohibeat me misericordia tua, ne in illum unquam incidam.

PROPOSITA.

1. Apud te statue, cælestis Samaritani operationibus subjectissimum, ac in tuiipsius opinione humillimum semper videri; ut te curare, ac vinum & oleum, fortitudinem & dulcedinem in te abundè effundere delectetur.

2. Affectionibus tuis advigilare, ne in passiones convertantur. Alias ab aliis, meo more, distinguo, ut eas melius internoscas. Per affectiones quippe velim intelligas simplices illos animi sensus qui libertatem ad sibi consentiendum non sollicitant; per passiones vero motus illos intelliges, qui libertatem oppugnant, illam conantur in captivitatem redigere, atque ut illud efficiant, totis viribus contendunt.

Priores non te multùm sollicitum tenebunt; humanæ enim sunt; sed posteriores vel sponte, vel invitas coërcebis.

3. Nihil deliberatè agere, quod passiones nutriat præsertim has, & illas, &c. Nutrimentum enim si eis abstuleris; brevi pereant, necesse est.

EXAMEN.

Expendes, quænam te ad peccandum sæpius impellunt; ut iis reprimendis studiosiùs incumbas.

Utrum tua mens aliqua re adeò præoccupata sit, ut in ea permanere pertinaciter velit. Hoc enim est latibulum in quo passiones se se occultant & pascuntur, nemine advertente.

Fasciculus nonnullarum sacræ scripturæ sententiarum quem per diem poteris ante oculos tuos ponere.

Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. *Genes.* 4.

Post concupiscentias tuas non eas; & à voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus; faciet te in gaudium inimicis tuis. *Ecclesiast. cap.* 18.

Ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum, 1. *Thessal. cap.* 4.

II. MEDITATIO.

Qualiter homines erga Passiones in seculo se gerant.

1. Passiones leges in mundo sanxerunt, quæ peculiare quoddam jus in eo stabiliunt. Earum placita studiosè observant homines, ut suas eis actiones conforment; & hoc prudentiæ nomine circumfertur; sed prudentia illa reverâ *carnis* est, quæ etiam, secundum Apostolum *mors* est, Quam porrò justitiam, quem ordinem, quam pacem, quósque fructus potest hujusmodi prudentia producere, quæ à principio tam inordinato, támque cæco originem suam ducit? *Ad Rom.* 8.

2. Unicus ejus intentionis scopus est pretiosum vitæ tempus, studium, cogitationes, industriam, laborésque in ambitione satianda, honore acquirendo, adaugendis facultatibus, & cupiditatibus explendis insumere; ísque vulgi opinione solertior, & expeditior habetur, qui modos meliùs novit Passionibus indulgendi. Sic illa prudentia id omne perquirit, quod Evangelium nos docet esse proscribendum, atque fugiendum. Quid mirum igitur, si *quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Nemo duobus Dominis adeò oppositis, Deo scilicet & mundo, servire potest. Vel Passionum legibus, quæ prudentiam illius constituunt, renunciandum est, vel Evangelio. *S. Iacob. cap.* 4. *v.* 4.

3. Infelix illa prudentia omnia percupit; nihilque pro aliis exoptat quod ad propriam utilitatem non referatur. Hinc fit ut vera amicitia, pax, fides, ac veritas ex filiorum seculi consortio eliminentur: Ac è contra mendacium, discordia, invidia, odiúmque summum apud eos dominatum exerceant ! ac urbanitas sepulchro dealbato, ac mortuorum ossibus & corruptione referto similis inveniatur. Ubi enim proprium commodum regnat, cætera ei devoventur; quique ad utilitatem suam omnia dirigit, cæteros offendit, & cuncta perturbat.

4. Nostri appetitus, sensúsque in nos ipsos continuè conspirant; ac Cælorum Regnum iis solummodo conceditur qui *carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt.* Quæ potest esse mundani usûs cum hac necessitate convenientia? mediis in periculis ibi vivitur, quasi nihil esset formidandum; fovetur, quod deberet rescindi; ac studiosè perquiritur, quidquid potest cruces & calamitatem amovere; vitáque ipsa in temporalium acquisitione consumitur; nec quisquam de mortis gladio cogitat, qui capillo uno appensus cervicibus imminet, quique paratus est æternitatis sortem singulis momentis decidere.

Ad Galat. cap. 5. v. 24.

Fatere magnâ opus esse Fide, vimque sibi maximam esse inferendam ut quis pravos inter hos usus intaminatus subsistat; ut cum dormientibus semper vigilet; ut se cruci affigat, dum alij genio indulgent; ac diligentem ad bene moriendum præparationem adhibeat, cùm alios intuetur sic vivere, *tanquam mors nulla sequatur.*

S. Bruno.

5. *Aruit cor meum*, ajebat David, *quia oblitus sum comedere panem meum.* Qualia erunt eorum corda, qui ne panem quidem suum sciunt? Non potest fieri, quin rara sit virtus, ubi panis animæ ignotus est; atque ubi hîc rarus est, in suspicionem illa venit plus speciei, quam soliditatis habere. Verumtamen nullo modo hîc reperitur, ubi cupiditates iuescantur ac foventur. An vidisti in seculo curam haberi de anima oratione, pietate, piis Lectionibus colloquiisque enutrienda, ibique agnosci hujusmodi exercitiorum, quæ alimenta illius sunt, necessitatem? Numquid potius animadvertisti omnia ad sensuum, passionúmque effrænationem spectare?

6. Imò qui volunt ibi juxta virtutis normam vivere, mille humanis respectibus obsessos, ac mundanis usibus & decentiis, quibus occupatur ratio, córque illigatur, implicatos se conspiciunt. Et hæc sufficiunt, ut illi Deum tardiùs videant, & quasi humi repentes absque ulla mentis elevatione permaneant.

Deus enim purissimus est; nec nisi liberæ menti, ac intellectui expurgato se se manifestat. Volunt quidem ij peccatum evitare, bona operari, & Deo se totos devovere. Postquam tamen se se penitiùs inspexerunt, coguntur ingenuè fateri, plurimas in seipsis exceptiones inveniri, non posse mundi honoribus, existimationi & assentationibus nuntium omninò remittere; nec adduci ad humiliationem sectandam.

Rari ibi sunt qui perfectam suscipiunt cupiditatum suarum mortificationem. Deus interim meretur omnia; & si velimus, ut sit ipse nobis omnia in omnibus, sicut maximè nobis expedit, nos ipsos perfectè abnegare debemus.

7. Vox illa Christi, *abnega temetipsum*, dura est & factu difficilis iis qui cum hominibus conversari tenentur. Inde fit ut multi in virtutum praxi infirmi & imbecilles reperiantur; sitque inter Deum & ipsos nubes opaca; gratiæ unctionem parùm degustent; ac periculosis tentationibus obnoxij sint. Sed quid mirum si, qui utroque pede claudicant, ut ait Scriptura, quique Deo simul & mundo sua munera offerunt, firmo gradu non incedant. 3.*Reg. c.*18.

8. Horum malorum causa ex concupiscentia proficiscitur, cujus refrænatio mundanis ferè ignota est, & in probis multum perturbata & impedita ob initas cum mundanis societates, & mutuam inter usus seculi & ipsorum cupiditates sympatiam.

Quantum igitur Dei munus est, ut ejus perfectè simus, ab illo commercio separari in quo tot impedimenta bonis occurrunt; atque sic vivere, ut concupiscentiæ refrænatio impediri minimè possit?

AFFECTIONES IN II. MEDITATIONEM.

ILLas cum cordis tui effusione ex subjectis sententiis elice. Nempe nihil esse verius quam quod D. Joannes in prima ex suis Epistolis dixit; *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* 1.*Epist. c.*2. *v.* 16.

Omnem hanc concupiscentiam nihil præter furorem, peccatum, & mortem generare. Quales hi fructus, Deus bone!

En quò tendit omnis hæc carnis prudentia. Quonam meo merito, Domine mi, è medio filiorum seculi, rerum fluxarum deliciis implicitorum me extraxisti? Quis scit, ô Deus meus, num in hac lege concupiscentiæ sectanda immersus non fuissem? &c.

Profer hæc Psalmistæ verba: *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te.* Hoc verbum expende; *Deus salutis meæ.* *Psalm* 87. *vers.* 1.

Clamabis ad annunciandam ejus bonitatem; ad testificandam beneficiorum ab eo receptorum recordationem, &c. Ejus gratiâ oculos tuos à fastu & à vanitate abstractos fuisse ut veritatem intuerentur.

Illum, ut David, obsecra, ut *avertat oculos tuos, ne videant vanitatem* cum illicitâ oblectatione. *Psalm.* 118. *v.* 37.

Agnosce, quanta sit tua infirmitas, & quàm facilè à vanitate decipitur.

Samaritani nomen Domino nostro de novo repete; & de diversorio, in quo te collocavit, cum illo colloquere. Perpende, quod sedulitas, ordo, & quicquid sanationi tuæ conducit, in eo abundè inveniuntur.

Mali occasio sublata est, aër devotionis salubris, medicamina concupiscentiæ contraria jam præparata sunt, &c.

Si non sanesco Domine mi, solus in culpa ero.

Gratias illi age, quòd his omnibus adjiciat suæ visitationis honorem, gratiarum blandimenta, suas illustrationes, sollicitudines, excellentis amoris cognitionem, ac assidua auxilia. Quæ fiduciæ adaugendæ materia? sed quæ causa verecundiæ, si tot beneficiis aliquando abutar.

O Domine, unum hoc restat, ut datam à me tibi fidem non violem. Ne sinas me segnem & negligentem esse, &c. Quid ad me excusandum possem meritò obtendere? &c.

Cogita duos denarios quos ad ægroti curationem tradit, ejus esse divinitatem & humanitatem, quas in sacra Eucharistia nobis liberaliter elargitur. Pete ab ipso, ut tibi ægrotanti duos etiam denarios in Eleemosynam eroget; suum scilicet amorem, & fidelitatem, ut in tuis Passionibus rescindas quicquid ejus amori obicem ponit.

PROPOSITA.

Apud te statues radicitùs extirpare quidquid seculi usibus congruentiùs in te reperies; quódque in magno apud ipsum pretio est, ac cupiditatibus & defectibus alimentum subtiliter administrat; sed imprimis ambitionem, & generis, de quo multi vanè superbiunt, ostentationem; quasi animæ non essent ejusdem originis, & corpora ejusdem corruptionis.

Rectè uti omnibus, quas tua tibi suppeditat professio, tuæ salutis operandæ occasionibus; dum mundani in ea solùm incumbunt, quæ cum eorum vita mortali deperennt; ac fovendis cupiditatum suarum excessibus student.

Nihil agere quod ad Deum & ad ejus æternitatem non referatur, atque omnibus actibus tuis faciendis studere ac si statim moriturus esses.

EXAMEN.

Considera an humana prudentia plus æquo utaris, ad obtinendum quod tuis desideriis, affectionibúsque congruit.

An non Columbæ simplicitatem à prudentia tuarum actionum directrice separes.

An in animum tuum altè induxeris ad Christum ritè imitandum, seipsum esse abnegandum, crucémque portandam; & utrum illud exequi decreveris.

Utrum impiger fueris in quærendo & concedendo animæ tuæ pane; an in Lectionibus tuis spiritualibus quæras potiùs quod mentis curiositati satisfaciat, quam quod tibi possit prodesse.

Fasciculus ex Sacræ Scripturæ sententiis.

UT per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. *2. Petri cap.* 1.

Laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur. *Psalm.* 9.

Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt quæ inveniunt eam. *Matth.* 7.

III. MEDITATIO.

De afflictionibus, quarum Passiones causæ sunt & de illarum tyrannide.

1. HOminis in malum proclivitas ejus sensus & concupiscentiam tantummodo spectat; nam anima in verum bonum naturaliter propendet & instinctu quodam ad Deum ita necessariò ducitur, ut extra illum irrequieta semper sit, tanquam extra centrum suum existens, & ab unico suo bono separata. Illius passiones possunt quidem ad tempus rationem ejus consopire; sed instinctum hunc, illum individuè ubique comitantem minimè possunt evellere. Hæc est radix dolorum omnium quibus derelicto Deo afficitur, quique in ejus anima tam altè impressi sunt, ut ab eis eximi non possit.

2. Nemo nescit animi dolorem, sive pœnitudinem dolorum omnium esse gravissimum & molestissimum: quia qui illum patitur, seipsum illius causam agnoscit. Calamitates, quæ nobis ex improvisis casibus accidunt; remedium secum afferunt, quod illarum dolorem mitiget: & ratio in eis invenit unde ipsa consoletur, dum & eas à Divinâ Providentia sic ordinatas esse arbitratur, & nihil in eis sit, quod sibi possit meritò in vituperationem imputare. Sed quæ illius culpâ eveniunt, dupliciter illam affligunt; & quod eas patiatur, & quod eas sibi accersiverit.

Si nemo dubitet animi dolorem cruciatuum esse maximum: nemo etiam experientiâ non novit passiones hujusmodi doloribus exacuendis assiduè incumbere; qui mediis in voluptatibus persentiuntur, vel gaudij transacti locum statim occupant. *Extrema gaudij luctus occupat*; ut nos docet spiritûs sancti Oraculum. *Proverb. 14. v. 13.*

3. Nisi dolores Passiones comitarentur, eò major esset hominis miseria. Rarò enim, ut humanò more loquar, ab ejus excessibus se revocat, nisi per mentis vexationem, quæ intellectûs oculos aperit. Dolor

est qui ejusmodi torturam illi admovet, sed in gratiam cum Deo redire aliter non potest, quam per illum mœroris dolorem. Quantum & quam grave debet esse malum, cui curando nullum remedium potest adhiberi, quam ipsum, quem sibi intulit, dolorem. Lugendus certè ille est, qui se proprio ense cónfodit; qui tanti emit pœnitere; quisque ut momentaneâ voluptate perfruatur, sempiternam sibi calamitatem accersit.

4. Passiones hominem non in una tantùm sui parte, sed & in omnibus cruciant. Ejus animum vexant cogitationum agitationibus quæ illius quietem perturbant; in re impossibili, æque ac possibili elaborare illum cogunt; & eum ad rationem potiùs excæcandam, quam ad ei utiliter inserviendum disponunt. Cor ejus tam violentis motibus exagitant, ut furore corripiatur: ac plurimorum motuum in ipso simul orientium dissentio pugnas excitat, iis similes, quas diversæ speciei belluæ in eodem loco inclusæ simul ineunt. Tota certaminis vis & furor in animum irruunt. Cujus ille partes suscipiat, nescit; atque in hujus dubitationis cruciatu omnium quos tolerare potest maximo, hæret implicatus. Corpus etiam malè afficiunt Passiones, illo ad quidquid sibi placet, utentes; & postquam ejus membra iniquitati servire coëgerunt, illud dimittunt infirmitatibus & miseriis plenum, ac egestate & doloribus obrutum. Illum denique destruunt in fortunæ bonis quæ suis voluptatibus, non habitâ subsecuturæ egestatis ratione, devovent; nec erga illius honorem, vitámque indulgentiùs se habent. Quid mirandum est, si gemitus & dolores à tantæ corruptionis fonte separari non possint?

5. Non solum à passionibus suis torquetur homo; verum etiam ipsorum tormentorum servus efficitur, ob servitutem, cui addicitur. Ubi passiones consuetudine regnant; vix audet ratio ad illas impugnandas apparere. Suam miseriam inspicit; nihil tamen eis audet denegare, Illam enim hoc cogitantem statim opprimunt. Mentem suarum ineptiarum captivam; ac cor suorum motuum mancipium; corpus suarum dissolutionum: fortunam, suorum sumptuum; ac vitam ipsam furoris sui servam detinent; nec animus potest earum tempestatibus non perturbari, cor earum motibus non dilacerari, corpus ipsarum excessibus, non corrumpi, fortuna in indigentiam non prolabi, ac denique vita ipsarum insano furore in mortem infelicissimam præceps non ruère.

6. Sic homo suas exequias comitatur; ejus passiones irritatæ ipsum in sepulchrum inferunt; ac ejus anima funus prosequitur, quemadmodum vidua Naïm filij sui funus prosequebatur. Potest quidem suam miseriam, & calamitatem deplorare; sed ex iis se se retrahere non valebit, nisi superveniente ad illius auxilium gratiâ, quæ miseros illos portitores stare jubeat, ut resurrectionis miraculum operetur.

7. Sed nihil deest passionibus, ad perfectam in homine tyrannidem exercendam;

exercendam ꟸ siquidem omni illum bono, quo perfrui in hac vita potest, expoliant; & acerbissimis, quos pati potest, doloribus subjiciunt. Quid igitur quod humanum sit, ac rationabile in eo relinquunt, præter quamdam discernendi facultatem, quâ suam miseriam internoscat, & pœnitudinem, sive dolorem sentiat, qui ei incessanter demonstrat sibi ipsi æquè infensum esse, ac erga Deum criminis reum.

Quis scit, an inter seculi filios remanens, huic tyrannidi, hisque calamitatibus mancipatus non fuisses?

Affectiones in III. Meditationem.

Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat ꟸ Et ejiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis, vos, & Patres vestri, & servietis ibi Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. *Ierem cap. 16. v. 13.*

Coram Deo agnosce comminationem hanc in homine Deum deserente, ut passionibus suis serviat, esse verissimè impletam.

O Domine, qui elongant se à te peribunt absque dubio. Sed interim corum effrænatæ cupiditates maximum illis dispendium creant. Diis serviunt alienis; nempe passionibus suis. *Psalm 72.*

Hujus *Deus venter suus est*; istius verò pecunia, &c. Meritò sic illos excæcas, ô Domine, quia te dereliquerunt solum bonum, animæ centrum, &c. Quâ potest quiete anima perfrui quæ se passionum servam reddidit; quæque ipsarum desideriis & commotionibus assiduè ac tyrannicè divexatur. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* *Philip. c.3.* *Ierem. cap. 2. v. 13.*

Hæc verba tibi cum sincero dolore applica, ac verissimum esse confitere cor à Deo ad suas cupiditates deficiens cisternas rimarum plenas effodere, in quibus tot sunt foramina, quot passiones; cælestes aquæ nequeunt in eis contineri, omnes effluunt; & disperduntur, ô Deus bone! ac cœnum duntaxat in ejus fundo remanet. Cœnum istud peccatum est, ac perversa consuetudo, & tædium.

Effunde coram Deo cor tuum ꟸ tuâ, heu nimis! edoctus experientiâ; confitere, gratias age, &c.

Hæc Prophetæ verba Deo dicentis tibi accommoda; *Iudicasti Domine causam animæ meæ, Redemptor vitæ meæ.* *Thren. c. 3. v. 58.*

Has voces pondera; & ad imum cor tuum penetrent.

Causam tuam Deus in tui gratiam judicavit; dum à seculo abstraxit, quod Theatrum est, in quo tot miseri actores passionum personam agunt. Diabolus & concupiscentia Dramatis autores sunt; mors & infernus mimorum actione scenam claudunt. Quale Deo & Angelis spectaculum!

Defensor est vitæ tuæ, modos tibi suppeditando illam servandi, in ejus servitutis suavi jugo transigendi; & passionum jugo ac servitute durissima liberandi.

Pete ab illo, ut nunquam te sinat his-ce Diis servire.

Gratias Deo age, quod te è seculo, quasi ex altera Ægypto eduxerit. Nisi tuus Angelus liberator, Domine, ad me deducendum adfuisset, quid de me accidisset, &c. In hac Ægypto perstitissem; in qua mures talpæ, ac vespertiliones sub aureis papilionibus habitantes, sicut Dij adorantur. Quodnam sperari potest ab hujusmodi Diis auxilium?

Gaude & exulta in ejus præsentia, quod mare rubrum, cæteris submersis, incolumis pertransieris.

Lætare etiam iter terræ promissionis ingrediens, in qua manna, lumen, umbra per diem, Angelus non te deserent; ac si quædam occurrat tentatio; ad tuæ probationem fidelitatis tantummodo eveniet.

Psalm. 26. Hæc Davidis verba, in mentem tuam insinua: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo?*

Tuam coram Deo animam poteris dilatare, iter filiorum Israël & ea omnia, quæ illorum causâ non ignoras eum patrasse miracula, tibi applicando.

PROPOSITA.

Divino te regimini, ac sanctissimæ ejus voluntatis regulis perfectè subjicere, non attendendo utrum naturali tuæ propensioni congruant; sed id solum, an sanctissimæ huic voluntati consentiant.

Te resignatum exhibere ad qualibet subeunda, quibus ejus providentia uti volet, ad discendum illam per deserta æquè fideliter, ac per alias semitas subsequi; quandoquidem ejus præsidium nusquam tibi defuturum est.

Tuis quoque Superioribus te libentissimè submittere, quos ut alios Moyses, non spectando quid ex seipsis sint; sed quatenus à Deo, tuo regimini præfecti sunt.

EXAMEN.

Utrum apprimè cognoscas ingenitæ propensioni tuæ, tanquam infensissimo hosti esse diffidendum.

An pro certo habeas te gratiæ auxilio ad eam superandam omninò indigere.

Si tuum cor vanis & inutilibus, vel charitatis limites excedentibus affectionibus non irretiatur.

Fasciculus ex sacra Scriptura.

Eccl. c. 23. Animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.

Isaia. c. 13. Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quasi

vinculum plaustri peccatum. *Hæc vincula passiones sunt.*

Quem ergò fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis. *Ad Rom. cap. 6.*

IV. MEDITATIO.

De malo exemplo.

1. Nimia Adami in uxorem suam complacentia poterat quidem magnam ei tentationem causare ; attamen perniciosum quod ei præbuit exemplum de fructu prohibito prior ipsa comedens, pondus gravissimum fuit quo se se in inobedientiam præcipitem egit. Omnis ergo mundi calamitas è scandalo profecta est ; & quia ejus causa minimè abscissa est, calamitatem in eo semper nutrit & auget. Hoc Christus nobis affirmat ; hoc ipsâ ratione intelligimus ; sed experientia ejusdem nobis est perpetua atque sensibilis probatio.

2. Quò non rapit homines exemplum ? Illum ad mortem intrepidè aggrediendam impellit. Miles vel modico honoris sensu pollens malo se objicit ipsi naturæ formidando ; & quamvis illud abhorreat, sui ducis, suorúmque commilitonum exemplum ad vim omnium maximam sibi inferendam illum adigit. Nihil igitur mirum est, si in his quæ sensus hominis delectant, exemplum ad extrema quæque ipsum impellit. Sola naturæ proclivitas illum jam satis supérque suspensum incertúmque detinet ; ac nisi obstaret gratiæ auxilium , superior proculdubio illa evaderet ; sed superaddito pravi exempli pondere, quid absque singularis gratiæ adjutorio de illo tandem fiet ?

3. Hæc porrò gratia humilibus suam infirmitatem, & quantùm illius egent auxilio agnoscentibus solummodò conceditur. Humiles periculum non quærunt, sed refugiunt. A malo exemplo igitur declinandum est : alioquin humilitas in nobis non esset. Ille periculum diligit , qui se huic inconsideratè exponit ; perniciem utique suam amat; siquidem , monente nos Spiritu Sancto , *qui amat periculum, in illo peribit.* *Ecclesiast. cap. 3. vers. 27.*

4. Quantâ attentione, fidelitate, ac violentia opus est, ut quis pravum exemplum mente aversetur , cum sensibus objicitur, nec ab eo licet oculos avertere !

Fieri non potest quin illud videamus quamdiu in seculo vivimus, ubi non minus diffunditur , quam olim per universam terram diluvij aquæ ; ramque sunt homines qui se supra malum exemplum erigunt, sicut Noë arca se se super aquas extulit. Multi qui ab eo se cupiunt eripere, similes illis sunt qui tempore diluvij arbores conscendebant, vel ad montium properabant cacumina, ut se ab aquis defenderent ; sed

magis ac magis accrescentibus aquis, tandem absorbebantur. Isti similiter malo exemplo aliquandiù obsistunt; sed multitudine tandem aliquando obruuntur. Per tempus aliquod enatant; sed fluctu superveniente submerguntur. Quanta esse debet animæ divinâ misericordiâ è seculo eductæ gratiarum actio; siquidem à tantis mali exempli periculis liberam se intuetur.

5. Quamvis in perquirendis bonis exemplis fidelissimus extitisses; mala tamen coactus fuisses respicere: sed ex difficultatibus, pugnis, & experientiâ comperiisses malum exemplum plus roboris, ut nos ad malum attrahat habere, quam plurima bona, ut bonum operemur.

Ab omnibus his difficultatibus Deus te subtrahit, ut te in eo loco collocet, in quo aditus omnes malis exemplis occluduntur ꝰ bona solummodo admittuntur; ac regulæ, usus, consiliáque omnia id imprimis spectant, ut bonum virtutis conservetur, ac Deo anima strictissimè conjungatur.

Debes igitur Religionem, sicut arcam considerare in quam te Deus introduxit, ne mali exempli diluvio absorbereris; sed ut hujus vitæ fluctus securus enavigares.

Affectiones in IV. Meditationem.

Matth. c. 18. vers. 7. HÆc Christi verba in memoriam tuam revoca; *væ mundo à scandalis.* Et eorum veritatem coram ipso agnosce. O Domine, tu nosti intima cordium & ipsorum affectiones. Nihil est verius, quam quod ex ore tuo profertur. Hic subjice quæ ipsemet expertus es; & fatere tuis dispendiis cognovisse, quid exemplum in tuam infirmitatem potuerit.

Psalm. 85. vers. 13. Verbum hoc Davidicum cum effuso amore pronuncia: *Misericordia tua magna est super me; & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Cum Domino colloquere de diluvio, quod malum exemplum mundo invehit.

Heu Domine, quomodo illud evadere potuissem, nisi arcam mihi præparâsses.

Dicit Scriptura Deum arcam ingresso in eam Noë, clausisse, atque
Genes. c. 7. vers. 17. *inclusisse eum deforis*, ne aquæ diluvij in illam penetrarent.

Deum precare, ut idem erga te faciat. O Domine, noli mihimet ipsi confidere ꝰ include me, liga me, Tecum me fortiter connecte;
Cant. cap. 8. vers. 6. sensus meos obstrue, & *pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum. Super cor meum*, inquam ꝰ ut nihil ex illo exeat, quod proximum offendat, nihílque in illud intret, quod tuæ voluntati contrarium sit. Et *super brachium meum*; ut nihil agam quod in aliorum offensionem veniat.

Matth. 18. v. 6. Agnosce Christum Dominum in veritate dixisse: *Qui scandalizaverit*

unum de pusillis istis, &c. Expedit ei ut suspendatur mola asinaria, in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Sic enim unum duntaxat corpus periret; sed heu, Domine mi! duæ per scandalum animæ pereunt, proximi scilicet, & scandalum causantis.

Verum *necesse est*, inquit Christus, *ut veniant scandala.* *Ibidem.*

Miseram hanc necessitatem luge. Heu! Domine, quis in causa est? Tú-ne? Heu minimè. Ipse mundus, libertatis effrænatio, & peccatum perniciosæ scandali radices sunt.

Gratias age Christo Domino quod inter homines tandiù vivere voluerit, ut ipsis totius boni præberet exemplum, suáque exempla tibi ipsi offerret, ut efficacissimum contra scandali venenum antidotum.

Cogita illum hæc ad te verba dirigere; *Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Dilata, quantùm in te erit, super hac sententia, cor tuum, tuámque animam, & ardens concipe desiderium tuas actiones omnes ad hoc exemplum conformandi. *Ioan 13.*

Dignatus es, ô Domine, me docere, quemadmodum mea facta omnia dignè ac laudabiliter perficere possim; Ergóne te refugiam imitari? Hoc ratione minimè contentaneum foret.

PROPOSITA.

STatue cum tanta te circunspectione in omnibus actionibus tuis gerere, ut nihil agas quod tantisper possit proximum in perfectionis prosecutione remorari.

Deo attendere, quasi præter illum & teipsum nullus in hoc mundo esset. Expedita hæc erit ratio tuas actiones pacificè & cum pura intentione exequendi.

Et proximi miserescere; nec tamen ipsius lapsus & defectus imitari.

EXAMEN.

SI nihil, sive in factis, sive in verbis tuis, virtutibus contrarium invenias. Parum omninò in hoc sufficit, præsertim in Religione, ut quis proximo suo damnum aliquod inferat.

Quomodo de Deo, déque virtute loquaris, si nihil dicas quod ad Disciplinæ remissionem tendat. Natura enim conatur aliquid semper subripere; & eos qui ei favent, libentissimè audit.

Si prætereà de eo non loquaris ex sensu præoccupato, qui ad extrema quædam, ac immodicam quam non bene intelligit severitatem se se imprudentissimè transfert. Quæ ambo æquè perniciosa sunt. Non enim à sensu nostro, sed à recta veritate dirigi debemus.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Ad Rom. 14 Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. *Matth. c. 18.* Si autem manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.

V. MEDITATIO.

De occasionibus se se propriâ infirmitate perdendi.

1. Cibi bene valenti suavissimi, ægrotanti maximè noxij sunt; túncque innumeros cogitur exquisitissimos cibos rejicere, & eis solummodo vesci, qui palato ipsius minus sapiunt. Quo ille in cibos, eodem in Creaturas modo se debet gerere. Optimas & pulcherrimas Deus omnes condidit; sed homo per peccatum æger factus, illas ei perniciosas reddidit. Paucissimis ac sobriè uti debet, si mortis velit periculum evitare. Si quærat homo sensibus addictus, ad quid tot res pulcherrimas creavit, ac tantum mihi indidit iis fruendi propensionem; si iisdem jubet ut abstineam? Huic respondendum est, ejus intemperantiam, ac peccati morbum in causa fuisse.

2. Nonne ægro medicus peponem licet optimum prohibet? ac æger eo se debet abstinere, nisi mori velit.

Ægritudo nostra ex sola intemperantia provenit, nec sanari aliter potest, quam sobrietate. Sed pauci sunt sapientes ægroti. Id circò creaturæ ipsorum infirmitati laquei factæ sunt; ac communes rerum mundanarum usus eminenti eos periculo exponunt spiritualem suam sanitatem cupiditati suæ devovendi. Ingemiscunt Creaturæ, dum depravatæ horum infirmorum voluntati, contra divinum beneplacitum obsequuntur; sed eorum animæ pœnam subeunt: quippe quæ moriantur & æternùm pereant.

3. Creaturæ sunt ex sejpsis innoxiæ, atque homines ad sui amorem Creatoris, admirationémque debent inducere: sed infelix iste mundus perversis suis usibus ipsas quasi veneno infecit. Vanitatis officinas sibi erexit in quibus novos quotidie fabricat humanæ infirmitatis seducendæ modos; omnísque illius ars & industria eò duntaxat tendit ut rationes excogitet aliquid objectis adjiciendi, quo ad se ægrotos pelliciant, ut eos faciliùs decipiant, seducant & enecent. Creatura eorum infirmitati esca fit, sicut vermiculus pisci. At mundus hamum componit, cúmque aptissimum, subtilissimúmque ad eos capiendos & interficiendos efficit. Quanta igitur adhibenda est circumspectio, atque moderatio cum his quæ sensibus exhibet, objectis? Siquidem humana

infirmitas ad malè iis urendum jam propensissima est, etiamsi omnis hæc non admisceretur vanitatis compositio. Quis posset animas dinumerare quas hujusmodi objecta in mortem præcipites dederunt, & quotidiè præcipitant? Quis scit, an unus ex illis non extitisses?

4. Occasiones majus efficiunt ægroti periculum; quippe quæ libertatem comedendi quod noxium est, illi largiuntur; huicque pravæ conversationis (quod quidem in mundo vulgare ac quotidianum est, ac appetitûs intemperantiam magis acuit) additâ jucunditate, nulla ferè alia ruinæ suæ se se subducendi via superest, quàm procul ac citò fugere. Qui se in hoc putat esse robustiorem, infirmior esse convincitur. Sola humilitas eum, qui ibi moratur, potest securum efficere; siquidem sola illi potest cæleste auxilium attrahere.

Putásne te fortiorem Davide, Salomone, multísque aliis Libani Cedris, quos objecta, & occasiones humi dejecerunt.

5. Neque mihi proferas optimam indolem, probosque habitus. Nullum ab uno homine peccatum admittitur, quod ab aliis admitti non possit. Idem peccati fomes in cunctis Adami filiis existit, & quemadmodum terra, quamvis aliunde fertilis & bona, carduos nihilominus producit, sic ille fomes fructus suos edet, nisi surculos ejus regerminantes succidere, & alimentum minuere, auxiliante gratiâ studeant.

Cùm D. Paulus Galatas adeò sapienter monet, ut peccatores corrigendo seipsos considerent, ne & ipsi tententur; nos ipsos quoque voluit edocere præsumptionis vestigiis casum instare; hominémque, qui se peccatori similem esse humiliter non agnoscit, in primo suo casu suis dispendiis esse confessurum. *Cap. 6. v. 1.*

Aliorum lapsus, quales illi sint, teipsum obstringunt ad gratias Deo reddendas quòd in eadem peccata non sis lapsus.

Quis scit, ô Theotime, an pejus corruisses, nisi liberaliùs hoc homine educatus fuisses; si in istius incommoda incurrisses, ejusdem fuisses naturæ, propensionis, ac in easdem occasiones, objecta, tentationes, &c. incidisses. Si Deus in tentationibus, quæ te impetierunt, occasionem non avertisset, &c. aliis forsitan depressiùs lapsus fuisses.

Quis, inquam, scit an Deus è seculo te eduxerit; quòd prævideri, si in eo remansisses, rebus & occasionibus in ultimam perniciem adductum iri. Quod viginti quinque annorum spatio non evenit, poterat unico die accidere.

Affectiones in V. Meditationem.

DIc Deo, prophetatam à Davide veritatem in multis animabus comprobatam fuisse: nempe quod *terribilis* sit *in consiliis super filios hominum*; sed ejus consilia benigna fuisse & tuæ animæ faventia, quæ pretiosa ante ejus oculos fuit, sub umbra illius protectionis posita, &c. *Psalm. 65. v. 5.*

Agnosce tuum secessum te à periculis, objectis, occasionibus, &c. segregare, & dic Deo cum Davide, laudem, ei & gratias referens, *Eruisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu* à morte sine fine, à lacrymis sine consolatione, à lapsu sine ullo remedio; in nobis enim nullum reperitur. *Psalm. 114.*

Fatere te multum illi debere, quod te creavit; multò plus, quod te redemit; sed creationem tuam, abusûs & ingratitudinis materiam; Redemptionem verò majoris reatûs tui causam forsan futuras esse, nisi data tibi fuissent vocationis tuæ gratia, quæ modum tibi suppeditat utilissimum non abutendi creatione tua, ac Redemptione bene utendi.

Te coram Deo, infirmitatum tuarum intuitu deprime; ipsasque compertas habes. Heu, Domine mi, in quam vitiorum voraginem prolaberer, si me mihimet ipsi relinqueres?

Institutorem tuum invoca. Sancta anima, quam Deus elegit ut præires exemplo, &c.

Affectum tuum institue ex eo quod Spiritus Sanctus ut homines ad debitum patribus & matribus honorem tribuendum excitet, illis dicit: *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Idem agnosce in tuo institutore; qui perfecto vitæ suæ sacrificio vitæ tuæ novæ contribuit. *Ecclesiast. c. 7. v. 29.*

Illius preces efflagita ad tuam emendationem, ac perfectionem; quandoquidem vitam suam insumpsit, ut morum tuorum conversionem ad illius exemplum efformares.

Finito cum Christo Domino de tuo in illum amore Colloquio, ad sacratissimam Virginem convertere; cor tuum in illius sinum, tanquam in maternum effunde. Tua illi desideria omnia, cogitationésque omnes aperi, & præsidium illiusexposce. Quod in omnibus his meditationibus observabis.

PROPOSITA

1. Temet deprimendi ex proximi culpis & illius miserendi; ac zelum tuum non in peccatorem, sed in peccatum effundendi.

2. Neminem, abjectum licet & imperfectum nunquam aspernandi; potest tamen ejus contemptus aliquando simulari, cùm Charitas eum fore ad illius emendationem utilissimum tibi demonstrabit. Eò tamen major in corde servandus erit amoris sensus, quo dignior commiseratione videbitur.

3. Statum tuum æquè æstimandi, ac si tuæ saluti necessarius esset. Existimandum est Divinam Providentiam ad illum te perduxisse, ut infirmitatis tuæ miserias præveniret, atque impediret, quò minùs per tot objecta, occasiones, &c. pessùm rueres.

EXAMEN.

EXAMEN.

SI compertam habeas te mortificandi necessitatem; ac si in illud studiosè incumbas.

Si non inem in corde quantumvis abjectissimum ac vilissimum despicias; ac si te huic præferendum existimes. *Jerem. c. 8.*

Si prudenter sensibus tuis invigiles, *ne mors intret per fenestras.* Et si te erga mundanas vanitates aliqua curiositate inductum persentias. Non dico affectum; hoc enim nimium foret; sed curiositatem; quæ potest ipsamet etiam viris religiosis plurimum nocere.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

CReaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum; & muscipulam pedibus insipientium. *Sap. c. 14. vers. 11.*

Fascinatio nugacitatis obscurat bona; & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. *Sap. 4. v. 12.*

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Matth. 26. vers. 41.*

VI. MEDITATIO.

De Calamitatibus quibus exponuntur homines propter bonorum, quæ fortunæ dicuntur, instabilitatem.

1. QUandoquidem mundus opera Dei suis inservire facit effrænatis cupiditatibus; nulla ejus miseriarum prætermittenda est, quæ gratiis Deo à nobis referendis non inserviat.

Insudat, & æternos sibi accersit cruciatus, ut felicitatem sibi statuat; sed Turris Babel operariis similis est, quorum alter alterius dicta non intelligebat, & arenatum pro lapidibus afferebat; quia pro rebus quas exigit, optátque ut opimam fortunam adipiscatur, longè diversas reperit; ac semetipsum confundit, cognitionis atque intelligentiæ defectu.

Nihil instabilius est, quam bonum illud quod fortunæ appellatur: curis acquiritur laboriosis & periculosis; nec, nisi ut brevi effluat, possidetur. Quid igitur illud nobis comparando aliud agimus, quàm multùm insudare ad dolores sibi comparandos, quos quia bonum illud amittendum est, necessariò debemus perpeti. Ejus jactura ex tenui filo dependet, tótque obnoxia est casibus, quot in vita possunt evenire.

Furtum, incendium, bella, lites, hostis, violentia, debitoris fuga & plura id genus fortunam florentissimam diruunt. Quis suapte industriâ contra hujusmodi casus securum se præstare poterit?

D. Paulus hæc bona *mundi substantiam* appellat; quia effrænem ejus licentiam, ut substantia accidentia, sustinent. Quid mirum si tam debile, atque instabile fundamentum nil nisi ruinas & calamitates producat.

2. Quod seculi amatores ab hisce fortunæ bonis sejungere deberet, hoc ipsum illos eò magis adstringit, dum volunt pertinaciter summum in ea Dominium obtinere, sed pœnam sibi debitam perferunt; quia irrito labore se se consumunt; ac eorum cupiditas falsò speratam felicitatem in veram miseriam convertit. Casuum fortuitorum cognitio, quibus ad extrema possunt uno temporis momento redigi, continuis eos curis, ac terroribus exagitat. Quantos labores perferunt, ut pravos malitiæ, & invidiæ effectus præveniant, aut arceant? Quantâ sollicitudine premuntur ad statum suum conservandum, ne ab eo decidant. Quámque ex eo dejecti penuriam patiuntur, ut infortunium suum foris non appareat.

3. Sed quicquid agant; semper torquebuntur. Deus enim omnia hæc fortunæ bona ludos, ut ita dicam, suos facit; ut edifcant homines in rebus aliis quam temporaneis spem curámque suam collocare. Multos à deliciis ad ea quæ necessaria sunt, uno momento traducit, ut cognoscant suam omnem industriam suis necessitatibus non posse prospicere; sed à solo Deo id esse expectandum.

4. Qui fortunæ bonorum jacturam patiuntur, in afflictione spiritûs ambitionis suæ spe frustrati, in paupertatis quam aversabantur, confusione, & in corporis deliciis suis spoliati dolore versantur. Sed maxima eorum miseria in odio consistit, quod de istis jacturis & pœnis concipiunt, quódque ab illis removet dispositionem ad eas in virtutem & meritum convertendas. Qui verò eam bonorum suorum amissionem non subeunt; curas laboresque ad ea conservanda necessarios, ac ea perdendi formidinem effugere non possunt. Si animi pax bonum est; necessariò fatendum est cætera alia bona, nomen boni non mereri. Quandoquidem sive amittantur, sive non, spinas tantum in se habent, & accidentia quædam veræ tranquillitati opposita. Hæc bona possidenda sunt cum contemptu potius, quàm affectu, vel animi quieti nuntium remittendum. Hoc seculi amatores intelligere minimè valent.

5. Religionis status adversus has tempestates te tuetur; namque ambitioni tuæ terminos constituens, gravissimis & acutissimis delusæ ambitionis doloribus liberat. Temporalium facultatum tuarum instabilitatem & sollicitudinem dimittere te compellit; sed vice versâ partem certissimam tibi confert, ac patrimonij Jesu Christi anticipatam

possessionem tribuit. Si te ad renunciandas superfluitates periculosas obligat; eodem ipso tempore justas necessitates tibi nullis adhibitis curis, nullóque labore subministrat.

Numquid magna est illa felicitas, suam omnem sollicitudinem momentáque sua omnia Deo, suæque saluti consecrare depositâ sustentandi corporis curâ.

Affectus in sextam Meditationem.

ADmirare, ac supplex adora Dei consilium qui permittit homines spe rerum temporalium, ac suis desideriis sic frustrari. Ita, Domine, ipsorum ambitionem circumscribis. Heu quousque procederent, nisi reprimerentur?

Quantùm bonis temporalibus adhærerent, si certâ ac tranquillâ prosperitate fruerentur; quandoquidem nonobstantibus tot infortuniis tam pertinaciter iis inhærescunt?

Agnosce hæc infortunia, tot esse divini erga homines amoris argumenta, quibus præcinguntur ne pereant; & hunc amorem, unicum esse bonum intelligant.

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Psalm. 75. vers. 6.

Considera quod hæc Davidis verba in te fortasse impleta fuissent. Plus aliis obdormiisses, ac excitatus fuisses à somno, vel in necessitate, rebus temporalibus vacuus; vel in morte, piis quoque vacuus operibus. Quid est in hujusmodi sopore mori? nisi omnia perdidisse, tempus, vitam, æternitatem, &c.

Hæc Davidis verba cum grati animi significatione tibi applica: *Dominus regit me & nihil mihi deerit; in loco pascua ibi me collocavit.* Te regit ut à tot periculis, & miseriis abstrahat. O Domine, Tu ipse es, non ego; nihil enim aliud ex me potuissem quam in mundi, ejúsque calamitatum, &c. torrentem me præcipitare. Nihil mihi deest in Religione tàm quoad animam, quàm quoad corpus, &c. Pro tanto beneficio gratias Deo cum effuso cordis affectu age.

Illum cum Davide, ex animo appella, *Deum vitæ tuæ. Apud me Oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo susceptor meus es.* Psalm. 41. vers. 10.

Hanc in mente tua cogitationem dilata: Quò devenissem, ô Domine, nisi refugium meum factus fuisses? Ambitio mihi haud dubiè in supplicium versa esset; ac famem spiritûs in mundi facultatibus invenissem. Mille casus in durissimam ejus deliciarum punitionem corpus meum injecissent. Eosdem concipe Davidis sensus dicentis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et agnosce justam esse tibi causam in utroque exultandi. Psalm 83. vers. 2.

Fac per anticipationem judicium de teipso, déque tot miseris secularibus, quorum tempus, & sollicitudo in tuenda ac sustentanda vita

insumuntur. Non diffiteor, Domine mi; illi meritò adversum me consurgent, méque condemnabunt; si tot commodis tempus & operam in æterna felicitate acquirenda collocandi sim abusurus.

PROPOSITA.

STatue apud te nulla imposterum ambitione duci, quàm ut Charitate crescas, ut statum tuum virtutibus augeas.

Uti temporalium liberatione ad perfectè incumbendum voluntati Dei faciendæ.

Deo sæpissimè pauperum & afflictorum indigentiam commendare; ipsisque, quantùm tibi per statum tuum licet, opitulari.

EXAMEN.

SI tuo in corde aliquam nutrias mundanæ fortunæ æstimationem; quâ nobiles virtuosis pauperibus anteponas.

Si propinquorum commodis plus justò studeas.

Si probè noveris quantùm tenearis Domino servire; qui tibi victum & vestitum in domo sua tibi suppeditat.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

SEminastis multùm, & intulistis parum: comedistis & non estis saturati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos & non estis calefacti: & qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum. *Aggæi c. 1. vers. 6.*

Agite nunc divites; plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt; & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. *S. Iacob. c. 5. v. 1.*

Thesaurisate vobis Thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur: ubi enim est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Matth. 6. v. 20.*

VII. MEDITATIO.

De proximitate multarum Tribulationum quæ ex Charitatis defectu eveniunt.

1. JUre merito dicebat olim Salomon: *Si dederit homo omnem substantiam Domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Adeò enim pretiosa est Charitas, ut cætera cum ea comparata nihil sint. Primus & pulcherrimus est nostræ cum Deo similitudinis Character; cunctáque suum ab ea pretium, saporémque mutuantur. Conveniunt mundani, nullam ibi esse voluptatem, ubi nullus amor est. Quidquid non amant, *Cantic. c. 8. v. 7.*

ipsis grave, ac molestum est; sed si amor adfuerit, dulcia ac levia omnia efficiuntur.

2. Maximum est communium vitæ miseriarum, quæ peccati pœnam in omnibus Adami posteris præferunt, levamen. Ipsas enim suis auxiliis ac commiseratione mitigat, & sola in earum partem venit. Quandoquidem calamitates illæ vitari nequeunt, ipsaque dilectio earum remedium est; ille profectò propriæ consolationi adversatur, qui Charitatem, quantùm meretur non æstimat; eique renunciat, qui à se Charitatem repellit. Optimè noverat Christus quid nobis expediret; ac Charitatis nobis afferendo remedium, pulchrè nobis exhibuit velle se non solum saluti nostræ providere, sed etiam vitæ nostræ miseriis. Eam ob rem ejus vita perpetuum fuit Charitatis practicæ magisterium.

3. Quid nos non docuit? quid non egit, ut ad verum Charitatis amorem nos induceret, atque ut mundani amoris, qui calamitatum scaturigo, ac connexa miseriarum series est, falsitatem detegeret.

Peritissimus erat ille medicus, qui ad radicem usque malorum pertingebat, eisque universum ac divinum remedium adhibebat. Divinum porrò remedium illud est qui & diligendo, & dilectionem docendo sanitatem restituit. Hominem in pristinum suum statum reducebat, cum ad principium suum, amorem scilicet, revocaret. Amor hominem condidit; hominis infelicitas ex amoris jactura procedit. Cuncta ei reddebantur, cum amor ille ei restitutus est, ac verum illius usum edoctus est.

4. Medicum mundus rejicit, ac magnum ejus Charitatis remedium repudiat: suæ igitur curationi renunciat, & consolationi. Illud tamen cùm rejicit, pœnam sibimet irrogat, quia pondus ferè intolerandum communibus miseriis, quæ peccati supplicium efficiunt, adjicit. Ejus indigentia extrema est, ejus ægritudines sine commiseratione & adjumento sunt; ejus captivitas sine liberatione, fletus sine solatio; fames sine ope, & mors sine luctu. En quomodo erga suos asseclas se habet; & quod illius agendi ratio Charitate spoliata efficit. Longè à leniendo vulnere unguem in illud immittit ex defectu Charitatis. Dolores & afflictiones multiplicat ex Charitatis absentia, ac nisi Deus illius misereretur Charitatem Christianam ejus subsidio mittens; quid de hominibus mundi sequacibus fieret? Illos profectò in statum revocaret belluino, quantum ad corpus, longè pejorem.

5. Quascumque mundus tribulationes creat, pœnas peccati communes augendo, nullæ ferè sunt, si cum eis conferantur, quas ipse producit, quæque nunquam extitissent, si Charitatem haberet. Terram omnem devastat fraudibus, perfidiis, avaritiâ, bello, litibus, odiis, invidiis, & obtrectationibus. Ejus fraudes infinitos labores, curas, ac diffidentias pariunt; perfidiæ infinitam generant dolorum, ac ægri-

tudinum multitudinem ꝰ avaritiâ nullius rei rationem habet; ejus bella gladio & incendiis bona, quietem & vitam immolant; lites mentem tormentis admovent, ac barathra sunt in quibus opes & conscientia absorbentur ꝰ odia clades gignunt, invidiæ supplicia; & detractiones quicquid honoris, & honestatis in eo superest, procul amandant. Sed unde hæc omnia? nonne ex Charitatis defectu? Fatendum quidem est sibimet ipsi maxima, quæ pati possit, mala accersere: Verumtamen manu nequit suâ nequiori castigari. Suis perversis usibus amori Deo debito nuntium remittit. Verum quia Charitas unica est, ac ea quâ diligitur proximus, divinæ tantum Charitatis effectus est: unam perdendo, alteram amittit; nec se amplius diligere potest, nec proximum. Sic magno communium miseriarum suarum remedio spoliatus remanet; nec ad aliud aptus est, quam ad pejores sibi accersendas, desolationem ex defectu Charitatis ubique inferendo.

6. Oculi in experientiam tantummodo conjiciendi sunt, ut mundum videas his tribulationibus, ac calamitatibus refertum. Quare? Quia ubi Charitas rara est, mala hæc omnia abundant; nemo se tutum ab eis præstare potest: ipsimet Dei Filij qui degunt in seculo, ad ea toleranda se debent præparare. Sed illorum consolatio reperitur in eadem Charitate quæ illos edocet supplicia, quæ mundus sibi & aliis ex Charitatis defectu infert, in virtutem convertere. Quis scit, an in seculo remanens iisdem tribulationibus vexatus non fuisses? Semper acerbæ sunt; nihil enim acerbiorem dolorem nobis afferre potest, quàm amor sauciatus.

Affectiones in VII. Meditationem.

AGnosco, Domine mi, & in mundi contemptum profiteor magnam ex his quæ commodat, usuram illum exigere. Monetam falsam solùm tradit; unde longè abest, ut tuæ Charitatis typum illa præ se ferat. Fœneratur sanguinem, quietem & vitam cum exteriorum dolorum infinitate; sed quod intùs pro fœnore recipit longè crudeliùs est; quia salus animæ est, &c.

Deo grates, laudésque refer, quòd te è terræ morientium medio extraxerit, in qua tot homines morte duplici pereunt; quódque te cum eis collocaverit qui discunt vitæ suavitatem in doloribus degustare, quos præ nimia Charitate sua Salvator noster ad redimendum hunc dolorum mundum pertulit.

O Redemptor animæ meæ, si te adeò mundus cruciavit, quid mirum si seipsum torquet, aliósque durissimè accipit. Totus est in destruendo, corrumpendo, affligendo, &c.

Effunde ante Deum animam tuam, & gratias illi age, quod veram, fraternámque Charitatem in mundum intulerit, totque tibi ejus exempla & documenta dederit.

Fatere Charitatem unicum esse remedium, quod possit varias vitæ miserias delinire; ac cæcitatem eorum demirare, qui amicitiam tam difficilem, támque imperfectam existimantes, miseriarum suarum se privant remedio, illas reddunt acerbiores, & adaugent. Divinam hanc Charitatem ardentissimè desidera, &c.

Illam agnosce velut pulcherrimum similitudinis Jesu Christi, quatenus Dei & hominis, characterem; ac cogita hæc ille tibi verba dicere: *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Dic illi vicissim, nobis apertè ostendisse, Deum esse ipsam Charitatem. *Ioan. 13. vers. 35.* *1. Ioan. c. 4.*

Fatere illi, si qui sint in tuo statu labores, nobilissimos ac desideratissimos esse; siquidem Charitatis gratiâ suscipiuntur; Charitatis exercitia, & argumenta sunt; carni spiritui subjiciendæ plurimùm inserviunt; ejus Charitatis imitandæ occasiones præbent; ac denique illius conspectibus atque favoribus cohonestantur.

Illum roga ut has prosperitatis quam mundus exhibet, umbras animum tuum deinceps non commoveant. Omnia apud ipsum fallacia & insidiosa sunt: suos asseclas reddit miserrimos; ipsos ad ramum debilem & caducum evehit, ut pomum colligant; imò ut rupto ramusculo in terram ruant & moriantur.

Hæc Davidis verba menti tuæ ingere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est: & nos liberati sumus.* *Psalm. 123.*

Gloriam hanc omnem illius auxilio tribue, &c.

PROPOSITA.

Statue firmiter veram quæ operibus exhibetur, Charitatem solummodo æstimare.

Mundi usus nihili non solum apud te, sed coram omnibus, reputare; ac temet in Christianæ libertatis simplicitate continere.

Mundanas officiorum formulas vitare, quantum Charitatis affabilitas sinet, ut in virtutem convertatur, non verò ut amicitiæ, quâ mundus ut facilius decipiat, utitur, umbra quædam efficiatur.

EXAMEN.

Si fraternam Charitatem, prout meretur, magni facias; ac si nihil in vita existimes ipsâ pretiosius.

Si inter te & proximum nullum ei obicem ponas.

Si conservandæ cum omnibus unioni studeas; & ad hunc finem, linguam optimè scias, atque animi sensus coërcere. Hìc enim verbum imprudenter emissum ingentem stragem edit. Sed & eorum quæ Charitatem offendere possunt, mortificatio omnibus corporis austeritati- *1. Ad Corinth. c. 13.*

bus anteponenda est. Hæ quippe sine Charitate nihil prosunt, ut præclarè nos docet D. Paulus.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Eccli. c 14. v. 5. Qui sibi nequam, cui alij bonus erit.

Iacob. cap. 4. vers 2. Concupiscitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non potestis adipisci: litigatis & belligeratis, & non habetis propter quod non postulatis.

1. Ioan c. 2. vers. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo.

VIII. MEDITATIO.

De his qui seculo ex statu astringuntur.

1. Concupiscentiæ proprium est ea tantùm offerre rationi, quæ naturali apetitui conformia sunt, & alia illi abscondere; ac tanta est rationis imbecillitas, ut illius se blanditiis abduci patiatur. Verum in hujusmodi tricis eam omninò concupiscentia sæpe excæcat, ut præcipitet. Tunc ad veri speciem confugimus, non attendentes, hic agi de vinculo libertatem nostram usque ad mortem obstricturo, & ad maximos labores adstricturo.

Totius vitæ tranquillitas ibi sæpe sorti commissa est; non cognito, quem habitura sit, exitu. Quis novit quibus obligetur? quibus irretiatur casibus, privationibus, doloribus, mortibus reïteratis? omnia incerta sunt; & tamen his omnibus nos exponimus. Apertus est omnibus experimentorum liber; in illum oculi solummodo conjiciendi sunt, ut videamus, quid in apertum discrimen adducimus.

2. Sacramenti dignitas quam Deus statui nos ad illud illiganti contulit, peculiaris gratiæ auxilij necessitatem apertè denotat; ostenditque quanto studio nos debemus ad illud dignè suscipiendum præparare, & Deo sibique, ut in nobis permaneat, attentos esse. Sed quantùm elaborandum est? Occasiones ac cupiditates debellandæ sunt. In quo certè maximæ difficultates occurrunt. Quò enim affectiones sensibiliores sunt, eo facilius cor subripiunt, rationem obscurant, & animam in peccati lethargiam injiciunt. Magna attentione ac mortificatione opus est, ut hæc omnia ad sanctam indifferentiam reducantur, sine qua non bene potest anima pacis internæ bonum degustare.

3. Qui Deo vult se veraciter consecrare suâ experientiâ satis compertum habet, quid affectionis, etiam spiritualis, immoderatio efficiat, & quàm carè sibi constet. Inde conjicere potest qui tumultus ab iis

ab iis affectionibus possunt excitari, quibus major est cum sensibus sympathia. Difficillimum est firmiter stare, quando affectiones curas ac desideria, animum exagitantia, corque perturbantia continuè generant; & quando occasiones proximæ sunt. Magnâ virtute opus est, ut difficultates singulis ferè momentis occurrentes, vincamus, quæ sunt eò majores, quo mens infirmitatis, & inconstantiæ capacior est, ac vita casibus adversis magis est obnoxia. Mirum igitur videri non debet si parvus adeò est hominum numerus, qui in ejusmodi statu piè & Christianè se gerunt, ac calamitates & inordinationes hæc impedimenta plerúmque subsequi intuemur.

4. Mihi concedas oportere animam salutis suæ studiosam debere Deum serio consulere priusquam in hujusmodi implicationem se immittat, in qua pericula delectationis velo, & pugnæ affectus prætextu obducta sunt; quandoquidem cuncta dupliciter in ea periculosa sunt, & fraudulenta. O quot in hoc peccant homines! Ubi arbor cecidir, ibi remaneat oportet. Quod si inauspicatus occursus fuerit, nullum ei nisi in morte remedium inveniri potest.

Affectiones in VIII. Meditationem.

AGnosce Christum Dominum non solum tuum esse Deum; sed præ nimiâ suâ in te Charitate sponsum tuum esse voluisse. O Redemptor animæ meæ, tua dignitas, tuáque mibi collata beneficia exigunt à me, ut te cæteris anteponam, &c. An quisquam in cælo & in terra est, qui possit tecum comparari? &c. *1 Corinth. cap 11.*

Fateor adhæsionem meam tibi unicè atque integrè deberi; nec quidquam ex ea dari posse creaturis, quin, quod tuum est, auferam. O Domine, unum corpus tecum existo; caput meum es, & me unum è membris tuis fecisti; non possum igitur tibi non inhærere; non possum à te separari, quin vim tibi inferam. Heu quis essem, si à te disjungerer? Membrum scilicet abscissum, mortuum, inutile. Applica ista animæ à Deo sejunctæ, & profitere, aliunde, quam Deo adhæsionem hujus esse infelicitatis initium. *Ad Coloss. cap. 2.*

Cogita quanti illi constiterit, ut ejus sponsa fieres. O Domine, proptio me tibi Sanguine comparasti, ac dotasti. Animum meum tui infusione spiritûs refoves, ac proprio corpore me pascis. Quot igitur rationibus debeo tibi perfectè adhærere?

Agnosce coram ipso nimiam tuam Creaturis adhærendi propensionem. Tuas hac de re querelas ad illum cum fiducia, & interiori gemitu defer, quo possis præsidium ab ipso contra hanc proclivitatem obtinere. O Domine, quàm difficile est, humanam infirmitatem non inire cum Creatura aliqua societatem, ac ei non adhærescere, &c. Deo gratias age quod à tali te vinculo exemerit; ac fatere, Creatura

ufus, quo fuiipfius Domina redditur; fed fcit n: pauci illam bene moderari. Senfibili enim eam alligare, captivitati proximam efficere eft ˀ! fiquidem rei fenfibilis ufus, fenfus contra rationem corroborat, & libertatis debilitas fenfuum erroribus facilè decipitur, aut eorum contradictionibus vincitur. Animæ libertas in captivitatem lubenter adigitur, ut fenfibus libèriùs perfruamur. Nihil eft quod veræ libertati plus faveat, quàm quod illam à fenfibili liberam reddit, & ab alterius fubjectione libertatis immunem, quæ æquè debilis eft, & ad folum fenfuum ufum afpirat. Cælibatus his gaudet prærogativis. Illius ergò ftatus multum adjuvat ad poffidendam animam fuam, libertatem Deo fervandam, & ad illi perfectè inhærendum.

2. Corpus multùm ille cohoneftat, dum efficit ut foli menti famuletur. Verum fi corpus raciocinari poffet, animadverteret magnam à Cælibatu fibi libertatem tribui, dùm illum infinitis infirmitatibus ac miferiis liberat.

3. Cor etiam in magna libertate Cælibatus conftituit, fiquidem illum feparat à commotionibus & doloribus, quos amor naturalis caufat. Numquid, ut ficut ipfi pagani fatentur, infinitæ dolorum fpecies in hoc amore reperiuntur? Si illigat; libertas quam detinet captivam, eò acerbiùs torquetur. Experientiâ patet nihil mari agitato fimilius effe quam cor quod irretitum amor ille tenet. Si gaudium & fpes illud ad momentum erigunt, triftitia & diffidentia fupervenientes, illud ftatim deprimunt. Defideria male contenta furórque fuccedunt, à quibus abripitur; ac illius teneritudine harum procellarum incommoda magis perfentiunt. Naturalis amor vento fimilis eft maris fluctus agitanti; ac fi mare rarò tranquillatur, quia in eo ventus continuè flat; cor illo amore irretitum minus quiefcit, quia illud in perpetuâ commotione diftinet.

4. Si cælibatus cor liberum efficit, liberum utique animum reddit; alter enim alterius motus participat. Eadem caufa quæ tempeftatem in corde excitat, follicitudines & cogitationes in animo fimul producit, quæ nubila, pugnáfque efficiunt fimiles fuccenfis Elementorum contrariorum exhalationibus, unde tonitru exiftit. Cogitationes funt quafi hujus tonitrui fragores; præpopera confilia, quafi fulgura; & impotentes iracundiæ motus, quafi tonitru ex eis erumpunt, ut fragorem fuum verbis & actionibus edant.

Cælibatus cordi modum fuppeditat ftudiosè, diligentérque curandi, ut Deo placeat. Numquid ergò poffumus optare aliquid quod majorem libertatem contineat quam cælibatus? & numquid magnâ gratiâ magnóque honore afficitur is, cui illum Deus concedit? Quam felix ille, qui eo bene utitur.

Affectiones in nonam Meditationem.

Eccli. c. 26. vers. 21. AGnosce horum verborum veritatem: *omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Heu! si libertas pro toto mundi auro non bene venditur; non potest quoque bene emi continentia, quæ tantam nobis impertit libertatem, &c.

Effunde coram Deo animam tuam, & gratiam agnosce quam tibi tribuit, ad eum te statum vocans, qui tuæ te libertatis solum Dominum constituit. O Domine, non debet illa dividi; tua esse debet omninò, &c. Hoc tantùm fine hanc mihi concessisti, ut liberrima voluntate me tibi devoverem, &c.

Ad Galat. 5. v. 23. Illud Apostoli in memoriam revoca; *fructus autem spiritus est continentia*: dicque Deo te certò scire thesaurum illum in tuo corpore non inveniri posse. Tuæ misericordiæ donum est, ô Deus meus, &c.

Sapient. 8. v. 21. Agnosce cum Salomone, *te non posse esse continentem, nisi Deus det, & hoc ipsum esse sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Deum sicut ille toto animo deprecare, ut hanc tibi gratiam, & in tuo vitæ instituto perseverantiam elargiatur, &c.

Rom. cap. 12. Profitere, tibi coram illo tanquam *hostiam viventem* semper esse comparendum, siquidem gratia gloriæ illius te devovet. O Domine, huic me libentissimè immolandum offero, nec aliis volo quam amoris tui flammis exuri. Hæ flammæ lucidissimæ ac purissimæ sunt; nec rationem fumo teterrimo quemadmodum amoris creaturarum ignis, excæcat.

Rom. c. 6. vers. 21. Dic illi te velle deinceps ut *membra tua serviant justitiæ, in sanctificationem*, pœnitentiam agendo, ac muneris, cui te cum illo obstrinxisti, dignè explendo.

Veniam ab illo pete quod peccando toties eis fueris abusus. O Domine, nimium heu! vanitatibus inservierunt, &c.

Agnosce ex naturali cordis tui statu, quod dividi non potest, quin statim moriatur; agnosce, inquam, quomodo Deum diligere debeas. O Domine, quandoquidem omnes à me occasiones cordis partiendi removisti, bis peccarem si illud tibi integrum non consecrarem.

Gratias age Deo, quòd corde tuo à creaturarum alligatione revocato inevitabilibus privationis doloribus te exemerit.

PROPOSITA.

1. PRopone animo, te ipsum in posterum attendere tanquam Deo penitùs addictum; ac quidquid ejus providentia tibi immissura est, tanquam ad illius usum destinatum recipere.

2. Cordi tuo advigilare, ne creaturis adhæreat.

3. Ad filiorum Dei libertatem semper aspirare, quæ in solutionis à creaturis independentia reperitur.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore & spiritu. 1. Corinth. c. 7. v. 34.

Æmulor vos Dei æmulatione; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 2. Corinth. c. 11. v. 2.

Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam; sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 1. Corinth. c. 7. v. 35.

SECUNDA MEDITATIONUM SECTIO.

De excellentia gratiæ vocationis ad Religiosum statum.

PRIMA MEDITATIO.

Quod hæc gratia peculiare sit divini erga nos amoris testimonium; quódque te debeat ad gratitudinem erga illum excitare.

1. Quidquid hactenus diximus illud satis declarat; attamen meretur, ut singularem de eodem Meditationem instituas. Magnum in te amorem Christus Dominus testatus est, cum ad te, relictis in suo cælo Angelis, in terra quærendum descendit; sed multò majorem atque utiliorem tibi patefecit, cùm suorum oblitus commodorum te insecutus est, ut ad rectam viam, à qua deerraveras, reduceret. Numquid sufficiebat ut Deus homo factus sit, séque libenter ad oves aberrantes in opprobriis, flagellis, doloribus, morte, ipsóque inferno requirendas redegerit? Sed easdem oves, amoris, qui honorem, sanguinem ac vitam insumpsit, pretio emptas iterùm perquirere, ac post acceptam ab eis despectûs & desertionis contumeliam, ad se reducere; hæc profectò nonnisi ab amoris pro suorum salute sua omnia devoventis abundantia fieri possunt. Hæc tamen erga te fecit. suum in te amorem ostendit, te priusquam nascereris, redimendo; sed te præter modum diligere demonstravit; dum te perquisivit gravissimè offensus, & eorum omnium immemor, quæ ad te deserendum inducere poterant. Si te totum illi debes, quòd redemerit; quantum amorem, quàm nque gratum & memorem te debes illi exhibere, quòd te perquisierit, ac invenerit.

Isaiæ cap. 56. v. 17. 2. In itinere seculi quod morti confine est, decraveras; & *In procinctu eras abeundi vagus in via cordis tui.* Sed commiseratione super te commota ejus Charitatis viscera, atque ut ab interitu te revocaret, Pastoris functionem resumpsit. Dulcissimo suarum inspirationum sibilo aures tuas feriit; conabaris te potius abscondere, quam illum sequi. Quærentem te fugiebas; sed vis ejus amoris tuam ignaviam suâ perseverantia superavit: te invenit; effecitque ut teipsum invenires, dùm ipsi te restituisti, statimque in suos te humeros imposuit, ut ad peculiare ovile deferret, præcipuam salutis tuæ curam habiturus, & non solum Pastoris, sed & Patris, Magistri ac sponsi munere cum gaudio defuncturus.

3. Magnum coram Angelis suis diem festum egit de tua conversione & amicos proximósque sibi congratulari cupit, quos deditâ operâ convocat, ut tuæ recuperationis plausum ab eis captet. Quid porrò in te est quòd tantum possit decus promereri, & tantam esse lætitiæ materiam? Nihil certè. Sed veri Pastoris amor, qui te ultra quod mereris, æstimat, quique pluris te facit, quam quod es, ipsissima causa est. Quoniam illius erga te amor tam illustrem atque spectabilem reddit; nónne tibi optandus est beatorum ejus spirituum de tua conversione gaudentium amor, ut tuo adjungas, ac amorem amore compenses, cùm non possit aliter persolvi? Si minus quam velis, ames; tantùm saltem ama, quantùm potes; & explevisti, quod debes. Pœnitentia Angelorum vinum est, quod eorum cor lætificat. Teipsum igitur incita ad hoc vinum semper illis ministrandum, ut eorum lætitia non deficiat. Suavius illud erit, in quo major erit amoris spiritus, ac dignius quod à cælesti sponso epotetur; nec non aptissimum ad te sanctâ & desiderabili ebrietate inebriandum, quæ mundanum à corde spiritum abigit, ut divino repleat. *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini,* Cantic. c. 5. v. 1. *charissimi.* Ad hanc te ebrietatem invitant hæc Cantici Canticorum verba.

Affectiones in primam Meditationem.

Isai. c. 53. vers. 6. HOrum Isaiæ verborum recordare; *Omnes nos quasi oves erravimus & unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Christo Domino ingenuè fatére nos omnes sine illo periisse, &c. Satis manifestum est, ô Domine Jesu te solum omnes iniquitates nostras portasse, siquidem cruciatus tui vultum tuum fœdè deformârunt, ac reputatus es tanquam leprosus, & percussus à Deo. Colloquium cum illo habe de his quæ pro nobis passus est. Isaiæ 53. v. 4.

Agnosce aberrationes tuas multùm illi constitisse, atque intimo cordis affectu veniam ab eo de illis pete in quas tuâ malitiâ abductus

es. O Redemptor meus, merebar certè in eis deseri; solus amor infinitus, sicut tuus est, potuit ad me perquirendum induci.

Cogita hæc ab illo nobis verba objici; *Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo, vive.* *Ezech. cap. 16. v. 6.*

Verum quidem est, ô Domine, vulneribus confectum me reperiisse, omnis vitæ meæ substantia deperibat; tempus meum effluebat, ac morte funestissimâ occubuissem, nisi mei miserta esset tua Charitas, & ex miserrimo illo statu, vitæ verbum pronunciando extraxisset, &c.

In memoriam revocans hæc verba Evangelistæ dicentis, amicos illum invitare ad sibi congratulandum quod ovem perditam invenerit; *Luc. 15. 6.* illius demirare bonitatem quæ tam facilè iram suam justissimam in gaudium commutat. Quam ob rem, ô Domine, tantam lætitiam demonstras, nisi quia occasionem nactus es tuam exercendi misericordiam? Ad quam extremitatem tua te Charitas transfert? transis à justa indignatione ad veniæ concessæ gaudium. Hæc non possunt, nisi ab infinito Deo procedere.

Cogita illum amicis non dicere, ut ovi congratulentur; sed sibi, quod ipse illam invenerit.

Et coram eo cum gratiarum actione agnosce quanti sit æstimanda vita tua, cujus saluti tam amanter prospicit, in qua sibi adeò complacet; & quod ipso in cœlum te reducente, ejus lætitiæ solemnia perficis. Non est reverâ mihi, Domine, de salute mea congratulandum, siquidem non mea merita, sed tua sola benignitas in causa est. Tibi, &c.

Gratias age sanctis Angelis quod de tua conversione tantam lætitiam perceperint. Cum illis de divina erga te misericordia colloquere; ipsos invita ad gratias illi pro te reddendas. O beati Spiritus, si mei errores vos ita contristrârunt, *ut Angeli pacis amarè fleverint*, sicut *Cap. 33.* Scriptura per Isaïam loquitur, æquum est, ut talem ipse pœnitentiam agam, quæ tantam vobis solationem afferat, quantam tristitiam causavit.

Tuum etiam Angelum custodem invoca; eorúmque omnium suffragia & patrocinia exposce, ut sequentia proposita dignè possis adimplere.

PROPOSITA.

1. STatue perfectè divinæ voluntati te subjicere, ut illatas Deo tuis aberrationibus injurias possis resarcire.

2. Religionem considerate tanquam ovile ad quod te detulit, quodque valde tibi necessarium est, ut à lupis voracibus securus sis, & à recto itinere deinceps non deflectas.

EXAMEN.

SI professionem tuam cum debita reverentia tractes.

Si in omnibus actionibus tuis spiritu pœnitentiæ te duci ostendas.

Si desideria tua, tuúmque cor extra claustri tui limites vagari non permittas.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Psalm. 118. ERravi sicut ovis quæ periit; quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

1. Petr. c. 2. Eratis sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.

II. MEDITATIO.

Quòd vocatio ad statum Religiosum causa sit magnæ in hac vita consolationis.

1. NIhil habet homo salute suâ quidquam pretiosius; ac nihil majorem ipsi consolationem conferre potest, quam quod securitatem illi affert. Potest quidem inordinatam vitæ rationem inire, ac in actibus suis eam negligere, sed non potest ex anima sua delere necessariam stabiliendæ salutis suæ propensionem, nec effugere solicitudinem quâ torquetur, dum eam periclitari conspicit. Pessimi quique ingenuè fatebuntur nihil ipsis majorem consolationem afferre quam quod æternorum suppliciorum formidinem mitigat. Tua ergò ad statum religiosum vocatio multùm te consolari debet; quippe quæ omnia in se complectitur, quæ majorem de tua salute fiduciam potest præstare.

2. Deus te ex infinitis hominibus eligit, ut in locum ab illo tibi destinatum introducat. Nónne hinc patet, te apud eum non infimi ordinis esse hominum, ejúsque Charitatem magna in tui gratiam moliri? quorú n effectus valdè honorifici, utilésque futuri sunt, licet causæ & rationes in ejus sapientiæ thesauro absconditæ sint? Te diligit, quia te diligit; vult te salvare, quia diligit; ac locus ipse, in quo te collocat, ab eo selectus & præparatus est. Quibus & majoribus judiciis suam te salvandi voluntatem potest manifestare?

3. Ex via lata & spatiosa te educit, ut per viam incedas, strictiorem quidem, sed quam peculiarium, quas tibi concedet, gratiarum auxilia longè

longè aliâ jucundiorem reddent, cor tuum dilatando, ut pace & charitate illud adimpleant.

Ex via, inquam, communi & publica te extrahit, quia faciliùs in ea deerramus. Per ſtrictiorem te deducit, quia æqua, & plana eſt, rectiùs per eam incedimus, & à deerrandi periculo longius abſumus.

Tui curam ſub novo titulo ſuſcipit; ſiquidem te peculiaribus addicit exercitiis, quæ tibi offert in ea, ad quam te vocavit, Religione. In ſua te Domo collocat, ut protegat, & mundi vanitatem à tuo conſpectu removeat; te denique ſuam in Scholam admittit, ut ejus amoris praxim ac regulas addiſcas, in quibus haud dubiè ſub doctiſſimo illo Magiſtro, egregiè eruditus evades.

Nihil in ſtatu fidei quam hîc habemus efficaciùs optare potes, ut perſuaſiſſimum tibi ſit ſingularem erga te bonitatem illum habere. Ad quid porrò hæc omnia, niſi te vellet ſalvum fieri?

4. Te diligit, ac nefas eſſet illud in dubium vocare; ſed dum locum tibi præparat, ex quo longè ablegat quod ſaluti pernicioſiſſimum eſt, & in quo affluunt quæ ad illam bene operandam potiſſimum códucunt; dúmque té de mundi manibus abripuit, ut in eo loco te conſtituat, tibi profectò manifeſtiſſimè oſtendit velle ſe à te diligi, téque ſuam in poteſtatem redegiſſe, ut nec tu illum deſeras, nec ipſe te in poſterum amittat. Quid poteſt majorem de adipiſcenda æterna felicitate ſpem tibi injicere?

5. Ipſemet Salvator tuus te requirit; ac te ad ipſum amandum obligando, ad te ſalvandum obligat. Non potes igitur perire, quamdiu tam felici vinculo conſtrictus permanebis: ac in eo quidem permanebis, niſi ejus amori velis renunciare. Verùm enim verò cùm tot ejus gratiæ auxiliis munitus ſis, in virtutum praxi verſeris, & ab objectis & occaſionibus periculoſis receſſeris; in extremam malitiam voluntas tua incideret, ſi ad hanc uſque renunciationem deveniret. Iſtud-ne poſſes in animum tuum inducere?

In Religione puriùs vivimus, cautiùs incedimus, rariùs cadimus, velociùs ſurgimus, ſæpius de rore cæli ſumimus; ac fidentius morimur. Hanc veritatem experientia tibi comprobabit. Nihil igitur ad operandam ſalutem utilius eſt. Attamen illam operando cognoſces ex nulla re conſolationem recipi poſſe, quam ex cuſtoditâ in ſtatûs ad ſalutem nos obligantis uſibus, fidelitate.

Affectiones in ſecundam Meditationem.

Perpende coram Deo hæc Chriſti Domini verba; *Quid proficit homo ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat.* Luc. 9. v. 25.

Deplora in ejus conſpectu cæcitatem hominum, qui ſalutem ſuam

negligentes sui obliviscuntur. Fatere Christo, nihil esse hac illius sententia, veritati ac Charitati congruentius. Mundo, & omnibus ejus donis libentissimè renuncia; sicut die quo lustralibus aquis initiatus es, satanæ abrenunciasti; ac sincero animo hæc Davidis verba recita; *Dominus pars hæreditatis meæ. Tu es qui restitues, hæreditatem meam mihi.*

Psal. 15 v. 5.

Horum D. Pauli verborum veritatem agnosce nempe quod Deus sit *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* O Domine, expertus ipsemet agnosco te mihi Patrem esse misericordiarum; si quidem me licet toties infidelem atque inobedientem perquisivisti, in sinum tuum excepisti, adjuvisti, &c. Quasi te nunquam offendissem. &c.

2. Corinth. c. 1.

Deceptus fui solatium aliquod extra te quærens. Omnia enim præter te, animæ extranea sunt, &c. Consolationem tibi ex Deo venientem cum diei lumine compara; & quæ tibi ex creaturis provenit cum candelæ luce confer, quæ sevo alitur, quæque extincta fœtidum odorem exhalat; & fatere lucem istam solum esse aptam ad alas culicum illius fulgore deceptorum comburendas.

Tuam attentè considerans electionem hæc Davidica mirabundus verba profer. *Domine, quid est homo quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?* Dei magnitudinem cum nihili tui, nihili inquam tui peccati conscij vilitate compara: & pete ab illo quid eum potuit ad te eligendum induxisse? nihil aliud, ô Domine, hanc in rem dicere possumus, quàm illa Davidis verba: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent & potentiam tuam loquentur.*

Psal. 143. v. 3.

Psal. 144. v. 10 & 11

Hæc quoque Christi verba tibi applica; *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*; ac vide quid possis verbis tibi adeò gloriosis respondere.

Ioan. c. 15.

Eximiam illius bonitatem in hoc agnosce. Dic illi hæc cæci verba. *Domine, ut videam.* Equidem existimo, quod cor meum si gratiæ hac electione mihi collatæ excellentiam attentè perpenderet, præ tanti beneficij recordatione suppresso halitu opprimeretur. Si quantùm vellem, non video; da mihi Domine, ut saltem fidelis existam, &c.

Luc. 18.

Ingemisce cum D. Augustino, quòd tàm tardè illum amaveris. Teque ipsum interroga, si postquam à Deo te electum esse cognoscis, illius esse recusare velles.

PROPOSITA.

Animam tuam tanquam vas electum, quod tibi Deus servandum tradidit, deinceps inspicere.

Monasterium tuum intueri quasi locum in quo vas illud à fractione & immunditia servatur.

Illo in posterum non uti, nisi pro eligentis ac præcipui Domini arbitrio, ac voluntate.

Examen tuum in hæc tria proposita institues.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

VOs autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. *1. Petr. c. 2.*

Magis satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. *2. Pet. c. 1.*

SECTIO III. MEDITATIONUM.

De Iesu Christi Imitatione.

I. MEDITATIO.

De contemptu & mortificatione intellectus.

1. PEccatum suam ab intellectu originem traxit. Prior enim seductus fuit falsa specie Deo similem fieri posse: dúmque ambivit quod illi non concedebat Deus, quódque à seipso habere non poterat, omnes, quas illi donaverat, divitias amisit. Qualis admissâ culpâ tam gravissimâ existimandus est: verumtamen plagæ illi inde supersunt, usque ad sepulchrum secuturæ. Se alium facilè putat, dum se plus quam reipsâ est, existimat; ejúsque cogitationum infirmitate facillimum ei est sensibus decipi. Seipso tanquam cœco utitur, qui baculo indiget, ut exploret, ubi pedem figat. Judicat ex relatione duorum Relatorum corruptorum, sensu nimirum exteriori, & interiori. Quid à proprio judicio illi expectandum est, nisi tam infidis assistentibus diffidat & invigilet; ac nisi sibi multum opus esse auxilio agnoscat, cùm in se infirmitatis ac erroris vulnus habeat.

2. Hominum perspicacissimi, ac ij qui de se magis præsumebant, ad artificium coacti sunt recurrere, ut suo intellectui subsidium afferrent. Inveniendæ Logicæ arti multùm insudârunt, quæ regulas eis præscriberet, ut securè ratiocinarentur, & caverent ne errarent ipsi, aut ab aliis in errorem inducerentur. Sed quid hoc illis profuit? suam publicè ignorantiam, ac suæ facultatis inopiam denunciaverunt; siquidem hoc ad differendum auxilio testati sunt se indigere. Imò pejus illis evenit; *Dicentes* enim *se esse sapientes, stulti facti sunt*, ut asserit Apostolus. Quid etiamnùm efficiunt tot Philosophi? plerique arte suâ utuntur ad subtiliùs se se excæcandos, errores pertinaciùs defendendos, ac se tandem præstandos inemendabiles. Sed sic inter se disceptantes, ac falsi se invicem convincentes incertam perhibent suam esse doctrinam, & illo subsidio existente adeò imperfecto, eorum intel- *Ad Rom. c. 1. v. 22.*

lectum qui illo indiget ad ratiocinandum, multò pauperiorem esse reputandum.

3. Consulenda est omnium hominum communis experientia, ut clarè dilucidéque patefiat hæcce intellectûs inopia. Quantâ animi contentione, quótque verbis indiget, ut veritatem agnoscat, atque percipiat? Quod illi certum modò videbatur, mox incertum illi redditur accedentibus novis ideis, quæ primas expellunt. Sed quod acerbius est, in his quæ ad praxim spectant, tunc solùm errasse cognoscit; cùm jam nullus est remedio locus. Admissâ culpâ ejus aperiuntur oculi, ut videat se ignoranter, aut inconsultè, aut præcipitantiùs egisse, & à suis relatoribus corruptis excæcatum fuisse, ut sic aberrando confusio & dolor superessent.

4. Peractis etiam magna cautione rebus, dubium illi persæpe supervenit, an bene, aut male actum sit. Mirâ se patrâsse aliquando existimat; cùm nihil boni egisse deprehendit. Alias malè egisse arbitratur, cùm quicquid expediebat, & poterat, congruenter fecisse invenitur. Cur igitur intellectui, proprióque judicio fidemus, quibus cognitio & stabilitas desunt, quódque ipsis lumen inest, falsum emittit splendorem, quo in errorem inducitur.

5. Homo nunquam futurus est sapiens, nisi cognitis priùs intellectus defectibus; nec illo bene uti poterit, nisi adhibitâ prudentis diffidentiæ circunspectione; nec eximias cognitiones unquam sibi comparabit, quam post depositam æstimandi & sequendi proprij judicij malam consuetudinem. Tenebræ illius densissimæ sunt; sed ipsas hæc consuetudo adauxit; effecítque ut ejus vulnera difficiliùs sanari queant. Quò diutius huic adhæsimus, hoc magis debemus huic destruendæ studere, ut rationem in pristinum æquitatis statum restituamus.

Hæc omnia communis edocet experientia; ac oculi ad cognoscendam eorum veritatem tantummodò aperiendi sunt.

Affectiones in primam tertiæ sectionis Meditationem.

DIc Deo cum magna cordis tui effusione; *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Ha! Domine, tu nosti, in quas absurditates & peccata proprium judicium me conjecit.

Psalm. 68. v. 6.

Hæc in memoriam tuam cum leni tuiipsius pudore revoca; & infirmitate tuâ bene perspectâ gaude quod Deus sit omnia, & tu nihil sis.

Æquissimum illum agnosce in concessorum primo parenti luminum supernaturalium imminutione, quibus tantopere abusus fuerat; ac insigne præbuisse sapientiæ suæ specimen, cùm ejus posteritati signum reliquit, quo homini innotescit divino se auxilio indigere. O Domine, magis expedit, ut sine te nihil possimus, quò tibi semper subjecti simus; quam ut proprium aliquid possideamus, quo procul dubio abuteremur,

Intellectum tuum cæcum esse fatere, ac illorum Christi Domini verborum memor; *Si lumen quod in te est tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Hoc Davidicum ex animo Deo recita: *Tu illuminas lucernam meam Domine; Deus meus illumina tenebras meas.* Et illud; *Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Hæ veritates experimentis meis apprimè mihi debent innotescere. Nec miror Davidem à te tam sæpe postulare, ut illi des intellectum. Illum etiam mihi concedas, precor, &c.

Matth. 6. v. 23. Psalm. 17. v. 29. Psalm 35. v. 10. Psalm. 118. 135. &c.

Hæc D. Pauli verba divinam Sapientiam & magnitudinem admirans recogita: *ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus seculi? nonne Deus stultam fecit sapientiam hujus seculi?* O Domine, non poterant illi sapientes esse, quandoquidem non agnoscebant se non posse alio lumine quam tuo illuminari; nec tuum implorabant auxilium. Non sufficit oculos habere, lumine Solis opus est, ut res conspiciantur; nihil etiam nobis proderit, nisi tu eum illuminaveris, &c.

1. Ad Corinth. c. 1. vers. 20.

Recordare coram Deo horum Salomonis verborum: *Stultissimus sum virorum & sapientia hominum non est mecum.* Quid post hæc, ô Domine, reponam? Si sapientissimus hominum de seipso sic loquitur, quid de me debeo cogitare? Humiliter quidem, sed verè tamen loquebatur; quippe qui non alius, quàm se dicebat, extitisset, nisi tuo lumine illustratus fuisset, ut sapiens esset.

Proverb. c. 30. v. 2.

Expone Deo intellectus tui parvitatem, & pete ab eo ut tibi concedat esse eximio illo genio Salomone humiliorem, cùm sis illo longè minus capax, &c.

Non ipse miror, ô Domine, quod gratiam tuam sanctissimam humilibus tantùm elargiaris; obicem enim ei ponunt superbi vanissimâ suiipsius existimatione. Gloriæ tuæ derogares, si dares aliquid iis qui se tibi comparare non dubitant, dùm se aliquid esse existimant, etsi reverâ nihil sint. Tu solus dici potes, *qui es*, &c.

Exod. c. 3

PROPOSITA.

Statues apud te tuo intellectui diffidere, quasi ægroto insanabili propriæ existimationis contagione correpto.

Ad Deum in difficultatibus recurrere, & ab eo lumen & auxilium, maximè in tentationibus expectare. In hoc enim Dæmon eos illudit, qui ratiociniis tentationem sperant superare.

Non mirari si tuus intellectus ad suam industriam derepentè confugiat, hic est enim illius morbus; sed ubi primùm istud advertis, ad Deum reducere.

EXAMEN.

Si tuæ sententiæ plus æquo addictior es, ac eam nimis perfractè tueris.

Si te agnoscis regimine ac consilio indigere.

Si persuasum habeas subigendi proprij judicij necessitatem. Hoc nisi sit, nemo unquam erit nec illuminatus, nec prudens.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Eccli. c. 7. v. 19. HUmilia valdè spiritum tuum.

Sap. 9. v. 14. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.

Ad Corinth. c. 8. v. 2. Si quis existimat scire aliquid, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire.

II. MEDITATIO.

De Christi exemplis mortificationem intellectûs nos edocentibus.

1. NUlla unquam remedia cum majori Charitate atque prudentia adhibita sunt, quam quæ Christus Dominus noster intellectûs vulneri attulit. Humanam carnem assumpturus, non in virilis ætatis statu apparere voluit, qualis Adam ipso creationis suæ die visus est, sed in corpore puerili, ut rationis usum, sub infantiæ velo, oculis nostris obtegeret. Incarnata sapientia quæ de cælo ad nos instruendos in terram venit, primam ab infantia lectionem sumit. Numquid hoc sufficit ut aperte intelligamus non posse ad veram sapientiam quemquam pertingere, quin veterem intelligendi & concipiendi rationem dimittat, & rationabilem infantiam resumat, ut discat suo uti intellectu modo planè novissimo? *Qui parvulus est*, inquit sapientia, *declinet ad me*. Quot ejus verba, tot oracula sunt; ac verbis facta consonant; parvuli igitur effici debemus, si sapientes esse velimus. *Proverb. c. 9. v. 16.*

2. Divina hæc Jesu Christi sapientia sui splendorem luminis manifestando omnium oculos perstringere poterat. Verum quia ad hoc solum in mundum venerat ut homines erudiret, id tantum factitabat quod erat ad Discipulorum suorum intelligentiam magis accommodatum, & ad eos, quod malè didicerant, dedocendos congruentissimum. Se pedetentim cognoscendam præbuit; auscultavit, & alios interrogavit, quasi rerum ignara; discipulorum rusticitatem supportavit; ac tempore & loco se se manifestare voluit, sicut matri suæ sanctissimæ in nuptiis Cana respondit. Nonne hæ sunt Lectiones practicæ, quæ docent, sapientem fieri posse neminem, nisi intellectûs arrogantiæ renunciet, audiat, interroget, sustineat, ac suis utatur cognitionibus

eum pondere & mensura, juxta rationem à divina illa sapientia reformatam, non verò secundùm turbulentos læsi hujus intellectûs conceptus.

3. Si multùm temporis insumpsit in danda vitæ absconditæ lectione, sciebat porrò discipulorum suorum intellectum longa indigere exemplorum disciplina, ut in sancta parvitate contineretur, ac prohiberetur quò minùs in pristinam dementiam recideret, & tanquam Deus vellet iterum æstimari. Noverat etiam quàm avidè ac temerè ille appetiit scire omnia, & ab omnibus sciri: ea propter prolixam ei faciebat documentorum vitæ absconditæ repetitionem. Excellentissimum illi certè adhibebat remedium: sed & illum simul docebat omnem comparandæ, ac conservandæ sapientiæ rationem. Vita enim abscondita omnia custodit, ac nihil exponit intempestivè. Quandoquidem ipsamet sapientia vitam illam absconditam tamdiu exegit, semper à nobis æstimanda est, alioquin sapientes non erimus, aut si jam sumus, non diu erimus.

4. Divina Jesu Christi Sapientia voluit apud Herodem demens haberi, ac ludibrio & despectui esse; cùmque potuisset suum lumen, suámque potestatem manifestare, injurias omnes cum alto silentio, ac mira moderatione sustinet. Dum ab his aulicis ludebatur, in statu persistat abnegationis ac modestiæ quod spectaculum facit Dei conspectu, & Angelorum admiratione dignissimum; quódque in eamdem admirationem potest animam rapere, cui divina ejus bonitas velum reduxit, ut hoc sapientiæ miraculum intueatur. Verum ultimum istud est vitæ illius documentum, cætera in se complectens, & opere nos edocens mundi spiritum esse veræ sapientiæ inimicum; hanc illi se occultare; nihil pendere ejus existimationem; ejus honores aspernari; ac denique intendere, ut qui ejus amicitiam consequi, & perfectus ejus fieri discipulus exoptat, à suo intellectu, atque agendi modo, hominum existimationem, ac mundi applausum prorsùs eliminet.

5. Aut Evangelio, ac Divinæ Jesu Christi sapientiæ renuntiandum est, aut fatendum rationabilem Infantiam sapientiæ esse principium; vitam absconditam verum esse in ea proficiendi modum; ac neminem perfectè futurum esse sapientem, quin calcatâ mundi existimatione, ad Deum ipsum sua facta omnia dirigat. Ipsamet sapientia documenta hæc nobis tradidit. Non potest igitur intellectus sapere, nisi hæc sapientiæ documenta accipiat, & actu perficiat.

Affectiones in secundam Meditationem.

AGnosce coram Deo cum cordis tui effusione quod *sicut exaltantur Cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ* ejus *à viis* nostris *& cogitationes* ejus, *à cogitationibus* nostris. Sed fatere quod licet sublimes sint & *Isaiæ 55. vers. 9.*

exaltatæ, non minus tamen plenæ sunt veritatis, amoris, & misericordiæ. Suavissimum ac lenissimum, ô Domine, vulneri nostro remedium affers, volens nos ut Deos esse. Dum enim te nobis assimilas, vis haud dubie, ut tibi quoque similes fiamus. Nullum igitur jam scelus est, velle Deo esse similem; imò ad hoc necessariò adstringimur, nisi velimus amori, Deo, nobisque ipsis debito renunciare.

Christum Jesum in sua annihilatione demirare, ac cogita hæc ad te verba dirigere: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum Cælorum.* (Matth. 18. vers. 3.) O Domine mirificè meum intellectum instruis, se magnum quid esse stultè præsumentem. Vulnus quidem attigisti; sed tuum est illud sanare.

Ecce me ad sumenda remedia paratum, &c. Ecquis ea vellet respuere manu tam beneficâ, támque sapienti sibi oblata?

Sanctam illam infantiam ab illo postula, quæ malitiam, præsumptionem, ac duplicitatem à se repellit, quæque suis in actibus nihil puerile gerit.

Agnosce solam sapientiam incarnatam potuisse sacræ Infantiæ remedium dare sanandis intellectus humani erroribus convenientissimum.

Dicque Christo Domino nunc te probè intelligere morum tuorum corruptelam non aliunde enatam esse, quam quod ex nihili tui consideratione ad sequendum proprium lumen abieris. O Domine, cuncta è nihilo eduxisti, atque ut nos repares, vis ad nihilum nos reducere. Mira hæc est sapientiæ tuæ dispositio; nihil suavius est, æquius, ac sapientius. Pulchrè nobis ostendis te omnia creavisse; siquidem nihilo adhuc uteris, ut tanta ex eo bona efficias.

Confitere justissimum esse, ut te qui nihilum es, exinanias; Dic tamen Divinæ Jesu Christi sapientiæ, quod, etsi tuus intellectus aliquid esset, velles pro ejus amore, & infantiæ ad quam se redegit, intuitu illum annihilare, &c. Veram nos, ô Domine, Philosophiam edocuisti; non tantâ arte, neque tot figuris ad illam addiscendam opus est. Id solum quæritur, ut tuo exemplo ad nihilum nos redigamus, ac tui Evangelij, quo illuminemur, regulas amplectamur.

Adorandæ hujus sapientiæ quæ vitam absconditam tamdiù exercuit, consilium admirare. Et gratias illi age humillimas, quod tuis providere vulneribus voluerit, remedium quò indigebas, sibimet ipsi adhibendo. O Domine, *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*; (3. Reg. c. 8. v. 39.) ac benè scis eorum corruptionis radicem detegere. Experientiâ meâ compertum habeo quantum ad existimationem, honores, &c. propendeam. Tuum vitæ absconditæ exemplum admirabile est remedium, &c. Roga, ut gratiam exemplis suis adjiciat, ut eorum praxim sequaris.

Hæc Evangelij verba perpende; (Joan. c. 1.) *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognovit; in propria venit & sui eum non*

receperunt,

receperunt, illáque abſcribe Chriſto Domino, tam indignè apud Herodem accepto. Demirare quantum in te eſt, arcanum Dei conſilium, qui maluit verbis contumelioſis à mundo affici, quam ejus plauſus excipere, ac erumpe in hæc Pſalmiſtæ verba: *Iudicia tua*, Domine, *abyſſus multa.* *Pſalm. 35. verſ. 7.*

Gratias age Chriſto Domino, quod tam mirabile contemptûs mundi exemplum præbuerit. O Domine, mundus iſte ex ſe ipſo viliſſimus ac contemnendus eſt ⁊ ſed illum duplo magis aſpernabor, quod & illum tu contempſeris, ac ille te contempſerit, &c.

Lauda & glorifica Dei ſapientiam *quæ ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, ut ea deſtrueret.* *1. Corinth. c. 1. v. 28.*

Agnoſce gaudens, *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius* eſſe *hominibus & quod infirmum eſt Dei, fortius* eſſe *hominibus.* *Ibid. v. 25.*

PROPOSITA.

PRopone nihil in poſterum æſtimare, quam quod fuerit incarnatæ ſapientiæ documentis & exemplis conſentaneum.

Vitam abſconditam reputare tanquam antidotum bono ſpiritui conſervando efficaciſſimum.

Mundi applauſus & exiſtimationem aſpernari.

EXAMEN.

SI abhorreas quod hominum oculis vile & abjectum apparet.

Si excellenti ingenio præditus videri ſtudioſiùs exquiras.

Si correctionem libenter perferas, agnoſcáſque quantùm illa tibi opus ſit.

Faſciculus ex Sacra Scriptura.

LEx Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. *Pſalm. 18.*

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum. *Matth. 5.*

Nemo ſe ſeducat ⁊ ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo ſtultus fiat, ut ſit ſapiens; ſapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. *Cor. c. 3.*

III. MEDITATIO.

De propriæ voluntatis abnegatione.

1. VOluntas eſt facultas cæca, quæ id ſolum cognoſcit, quod illi denunciat intellectus. Intellectus fallax eſt, & voluntas cæca. Hoc

unum debet nos inducere, ad eâ nonnisi cum magna circunspectione utendum. Sed habet insuper malitiæ & infirmitatis vulnera. Hæc vulnera periculosissi na sunt. Mortem enim illius assensu inferunt, qui mali consummatio est, sicut & boni fundamentum. Libertatis suæ adeò Domina est, ut etiamsi ejus intellectus erroribus circumdaretur, nihil absque illius consensu peractum foret. Veritates ab intellectu illi exhibitas, cùm lubet, respuit; & cum summâ potestate dominatur. Res est igitur majoris momenti illam potius, quam intellectum dirigere, siquidem omne bonum, malúmve ab ea enascitur.

2. Qui propriæ voluntati obtemperare vult, credat se ab illa ad mortem perductum iri. Quod enim ejus passiones pervertit, hoc ipsum eam ad illarum motibus parendum pronam efficit; ipsisque haud dubiè obtemperabit, nisi quasi extra se educta ab iis abstrahatur. Hoc docet nos sapiens, dum ait: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* Sed id ipsum experientiâ nimis comprobatur. Quid igitur propria voluntas nobis potest ex suo impertiri, quod utile, proficuúmque sit, quæ nihil habet præter malitiam, & infirmitatem, ac omnis peccati mali causa est? auxilium est illi aliunde, quam in seipsa quærendum; vel mori nobis statuendum est.

Eccli. c. 18. vers. 30.

3. Ex infirmitate, quam peccatum ejus attulit libertati, satis agnoscit, quantùm extraneo illo subsidio eget. Nónne libertas in suam miseriam se sponte injicit, dum animo deficiens aggressoribus suis non obsistit? videt quod factura est malum; se vinci patitur, ac fit inimicorum suorum captiva. Plurimi sunt hostes; ipsa vero unica est, infirma, ac aliorum egens auxilio. Cupiditas, error, malignitas, & consuetudo contra illam in seipsa pugnant; quâ ratione victrix ex tot hostibus, cùm sola sit, potest existere? Debet à se egredi, auxilium aliò quæsitura, vel ab hostibus superari.

4. Sed, etsi voluntas nec plagas illas haberet, nec contractas ex eis pravas consuetudines, nec denique hanc inopiam, deberet certè pauca velle, ac ea non multum velle; quandoquidem parùm ex se valet efficere; nihil contra absolutam Dei ordinationem potest, expectare debet in multis sibi contradictum iri; ac denique desideriis suis obsequendo, dolores ac gemitus, servitutem & formidinem sibi accersit.

5. Cuncta igitur ad se relinquendam eam impellunt, ut ad principium suum quod est sanctissima Dei voluntas, ex qua exiit, revertatur, non ut juxta suum, sed ut juxta principij sui beneplacitum velit. Omnes ejus miseriæ ex eo ortæ sunt, quod relictâ Dei voluntate, suam secuta sit. Omnia perdidit, adorandæ huic voluntati propriam anteponens; nec unquam quod perdidit, recuperatura est; nisi suâ voluntate derelictâ, divinæ obtemperet. Propria voluntas malorum omnium fons est & origo; ipsaque auxiliis, quæ illam à malis tueri ac defendere possunt, obicem ponit. Quid faciunt, qui ei adhærent?

6. Nunquam fuit ad se dirigendum facta, quia cæca est. Divina voluntas, ut ejus est regula, sic illius esse debet præsidium. Extra illam nec pacem, nec ordinem, nec robur, nec consolationem inveniet. Non potest subsistere, nisi suo unita sit principio; nec huic perfectè unietur, nisi se omninò abnegaverit. Dei quippe voluntas cum hominis peccatoris voluntate non convenit. Una est immaculata, altera corrupta; una est totum, altera nihil; una vita est, altera mors. Usus propriæ voluntatis abrogandi sunt, ejus consuetudines contrariis actibus rescindendi, & ad aliud, quàm intellectûs lumen, ut pote fallacissimum, recurrendum est, si velimus abundè ab eo juvari, cujus gratia fortitudo nostra est, & voluntas vita nostra.

Corpus non vivit nisi quamdiù animæ conjunctum est; nostra quoque voluntas vitâ tantùm tandiù fruetur, quamdiu divinæ conjuncta, & subjecta fuerit.

Affectiones.

EX intimo corde hæc verba Davidis profer: *Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi.* Agnosce nullam prorsus in te esse sanitatem, ac voluntatem tuam hujus privationis causam existere, &c. *Psalm. 40. vers. 5.*

Coram Deo te humiliter deprime, illúmque sic alloquere: Quis es, ô Domine, & quis ego sum? Confitere illum esse bonorum omnium fontem, tuámque voluntatem malorum omnium esse capacem. O Domine, istud me nimis docuit experientia, &c.

Agnosce illius voluntatem tuæ voluntatis divitias & fortitudinem esse, dícque eodem quo ille animi sensu: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam à me*, quia voluntas mea tuæ reluctabatur; *& factus sum conturbatus; ad te, Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor, &c.* *Psalm. 29. v. 8.*

Libertatis tuæ infirmitatem, ac voluntatis malitiam illi expone; Eúmque unicum tuum refugium agnoscens, dic intimo cordis affectu hæc Jobi verba: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi met ipsi gravis?* Attamen confitere id tuo merito tibi evenisse, atque ut tantùm propriam voluntatem cogaris abnegare, quantum eâ priùs abusus fuisti, &c. *Iob. c. 7.*

Horum Christi verborum recordare; *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Agnosce eumdem quoque esse debere animæ tuæ cibum. Hic est cibus, ô Domine, qui robur mihi ad tot hostes superandos suppeditabit; ab eo mihi veniet auxilium, & consilium. Quid extra voluntatem tuam inveniam? Numquid illa omnia condidit, omnia conservat, &c. Amisi cuncta, illam deserens, &c. Has perpende scripturæ voces: *Num Dei possumus resistere voluntati?* Summum, ô Domine, in nos semper imperium tenebis. Nihil eorum habebimus, *Ioan. 4. v. 34.* *Gen. 50. v. 19.*

quæ nos habere nolueris: sed severissimè nos castigas, cùm permittis, ut propriæ voluntati obsequamur; siquidem nihil ex hoc nobis residuum est, præter peccatum, servitutem, dolores, &c.

Illum roga, ut illam potestati suæ subjiciat, & assiduè voces illas
Matth. 6. pronuncia: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Et istas: *Non*
Luc. 22. *mea, sed tua voluntas fiat.*

Psalm. 29. v. 6. Illud Davidicum in memoriam tuam revoca: *vita* est *in voluntate ejus*: & agnosce quòd vita quæ extra ejus voluntatem ducitur, vitæ nomen non meretur. O Domine, illúdne vivere est, cùm è corpore aërem aspiramus; & anima ab ipso vitæ fonte disjungitur? illúd-ne, inquam, vivere est, cum tempus sine ordine, sine pace interiori, sine robore, ac sine consolatione spiritûs transfigimus? Talis vita non alia est, quàm quædam mortis prolixitas, &c.

PROPOSITA.

Voluntatem tuam non reputare, nisi quatenus ad principium suum referatur, quod est divina voluntas.

Christi Domini consilium sequi, id est, animam tuam perdere, ut illam invenias; quod quidem fiet si tuâ spoliatus propriâ voluntate, ipsam ad divinæ similitudinem effingas.

Tuæ propriæ voluntati, quamtumvis bonæ, non confidere; sed in voluntate Dei tuum auxilium, sicut & actionum tuarum regulam inquirere.

EXAMEN.

Si pericula & laqueos propriæ voluntatis probè cognoscis; & si præteritorum experientia te cautiorem ac vigilantiorem efficit.

Si rationabilem voluntatem à sensuum affectibus, qui suo etiam modo volunt, in te secernis; ac si illam sequeris, & horum spernis contradictiones.

Si priusquam tua accesserit voluntas, divinam consulis in legibus Evangelij, & tui statûs, in Providentiæ dispositionibus, & in capiendo consilio, quando quædam occurrit difficultas;

Si nimio studio, & sine Dei beneplacito summissione voluntas tua in aliquid fertur.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Eccli. c.18. A Voluntate tua avertere.
1.Reg. c.15. Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini.

Isaia c. 58. Quare jejunavimus & non aspexisti? humiliavimus animas nostras & nescisti? ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra.

IV. MEDITATIO.

De Iesu Christi exemplis necessitatem, & modum propriæ voluntati renunciandi docentibus.

1. PRimum Jesu Christi exercitium fuit, Dei Patris sui voluntatem, non suam facere. Hoc de ipso Psalmista prædixit dicens : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Sed hinc discimus propriæ nostræ voluntatis abnegationem primum esse libri nostræ emendationis articulum, atque ut rectè inchoëtur sibi proponendum est divinæ voluntati sine ulla reservatione subjectum vivere. Hæc submissio illi debetur ratione naturalis ordinis, & in correctionem nostræ inobedientiæ. *Psam. 39. vers. 8.*

2. Jesus Christus Patris sui voluntatem tam perfectè adimplevit, ut ne unum quidem vitæ suæ momentum sine obedientia prætereriërit. Ejus omnia documenta, & præcepta ad id spectârunt, ut voluntati nostræ disceremus non obsequi, & ut eam deserendi necessitatem agnosceremus. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quid est animam suam odisse, nisi propriam voluntatem abnegare. *Qui amat animam suam*, inquit, *perdet illam:* id est, qui propriam voluntatem diligit, peribit. Proponit denique *abnegationem*, quasi primum gradum, sine quo Christum sequi non possumus. Addit cibum suum esse, ut faciat voluntatem Patris sui. Nisi eodem quoque cibo nutriamur, vita nostra spiritualis infirmitatibus obruetur : vita est in voluntate Dei, ait Psalmista, nulla igitur extra Dei voluntatem vita spiritualis est, qui hoc nomine mereatur appellari. Circumdabitur cæcitate, obstinatione, ac præcipitatione. *Ioan. 12. v. 25.* *Matth. 16.* *Ioan. c. 4.* *Psalm. 29.*

3. Jesus Christus voluntatis Patris sui executionem, ad supremum usque apicem perduxit; ita ut humana voluntas non posset in suiipsius sacrificio longius progredi, ut suo nos exemplo instrueret ad nos ipsos similiter sacrificandos. Omnia adimplevit per exercitia ad propriam voluntatem destruendam aptissima. Ejus vita, perpetua fuit suiipsius abnegatio, & derelictio continua, quam consummare voluit per Divinitatis suæ consolationi renunciationem in sua derelictione in cruce, ut sciamus quousque nostra Dei beneplacito submissio protendi debeat.

Hæc tria sunt, quorum ipse Christus nobis exemplum dedit, ut voluntatem nostram perfectè derelinquamus. Perfectum propositum, praxis continua, extensio sine limitibus, & sine ulla interposita exceptione,

Affectiones.

DEi patientiam admirare, illam cum ejus omnipotentia & Creaturæ è nihilo solâ illius voluntate eductæ inobedientia conferendo. O Domine, quid nihilum istud merebatur, nisi ad nihilum reduci? atque ut id fieret, derelinquendum erat, siquidem voluntatem tuam, quæ illi existentiam dederat, deserebat, &c.

Fatere Jesum magna patrâsse obedientiæ miracula, ut te doceret, quomodo voluntas tua sanctæ hujus virtutis legibus subjicienda sit. O Redemptor meus, in obedientia nasci voluisti: ac non solum creaturarum perfectissimæ Matri Virgini, sed crudelissimis hominibus obedivisti.

Dic illi se maluisse in obedientia mori, quam voluntate suâ Angelorum millena millia è cælo, quod facilè poterat, ad crucifixores suos funditùs extinguendos demittere, &c.

Psalm 61. vers. 1. *Nonne Deo subjecta eris anima mea*, qui suam pro te voluntatem immolavit?

Pronuncia quovis tempore, coram cælo & terra magnum illud Orationis Christi verbum: *non mea, sed tua voluntas fiat, &c.* (Luc. c. 22.) Tuum obedientiam vovendi propositum renova; illam Jesu Domino offer in honorem illius quam matri præstitit. Te etiam hominibus propter illius amorem obedientem futurum pollicere, ac ejus opem implora, ut in charissima illa virtute perfectum te reddas, &c.

Effunde in ejus conspectu tuos omnes de illius obedientiæ gradibus sensus. Illum intuere in sua conceptione exinanitum; hominum voluntati in infantia traditum; ipsorum calumniis quamdiu vixit subjectum; eorum crudelitati in passione expositum; nec non in ipsa morte Patris sui derelictione exercitum.

Salvatorem tuum demirare, qui his ita exactis suum in Patris manibus spiritum reposuit, quasi illum denuò voluntati ejus offerret. Confitere illi tuas omnes in non obediendo commissas infidelitates, dicque illi ex animo; *Tuus sum ego, salvum me fac.* (Psalm. 118.) Certè percupio meam sanctissimæ obedientiæ tuæ venerationem horum adimpletione propositorum exhibere.

PROPOSITA.

NIhil agere quod ad sanctissimam Dei voluntatem non referas.

Non perturbari, quando propria tua voluntas vel impugnabitur, vel interrumpetur; sed hæc inspicere tanquam subsidia ad placendum Deo & ad sacræ abnegationis libertatem obtinendam.

EXAMEN.

SI ſtudeas ad Chriſti exempla recurrere, ut obedientiam diſcas; & ſi obedientiam, ejus venerandi gratiâ exerceas.

Si diſcas proximum miſerari, ac in te reſcindere quidquid præcipitationem redolet: hic enim fructus æquè ex obedientia, ac è diſcretione naſcitur.

Faſciculus ex ſacra Scriptura.

HUmiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Ad Philip. cap. 2.*

Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. *Ad Hebr. cap. 5.*

V. MEDITATIO.

De modis quos ſuppeditat Religionis ſtatus, ut propriæ voluntati facilè renunciemus.

1. CUræ ad vitam ſuſtentandam & dirigendam habendæ neceſſitas, hominem magis anxiè occupat, illúmque ad utendum in multis ſuâ voluntate, ſuóque judicio adigit; à quibus tamen perſæpe fallitur. Eorum, quæ corpori neceſſaria ſunt, ſollicitudo, laborioſum ac permoleſtum quiddam eſt; nec attendere difficilè eſt in hoc omnium ferè hominum laborem & induſtriam verſari. Verùm quod ad animam, & actionum noſtrarum regimen ſpectat, longè laborioſius eſt. Ac veriſſimè dicit Scriptura: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* *Sap. 9. v. 14.* Quantâ ſollicitudine nos aliquando vexat vel unicum rei faciendæ, aut non faciendæ dubium? Et quoties ſucceſſus providentiæ noſtræ contrarij extitêre.

2. Status Religioſus omnibus his curis quoad corpus, & multò magis quoad animam eximit; quippè ubi nulla occurrit aliquid volendi, aut de ſuo regimine ſtatuendi neceſſitas, ſed cuncta in eo ſtabilita, & ordinata ſunt. Modus hic efficaciſſimus eſt ad abrumpendum propriæ voluntatis uſum, & animæ quietem conſequendam. His enim curis, & neceſſitatibus ſoluta ſolis Dei beneplacitis intendere debet, quæ, illi, ut ea ritè adimpleat, diſpoſita & manifeſtata ſunt.

3. Superiores ſunt quaſi Procuratores à Deo conſtituti, ut obedien-

tiæ executionem recipiant, & ut superfluas ac noxias illas sollicitudines amoveant, quæ possent voluntati obstare, ne se abneget; ut ad centrum suum, suámque quietem, quæ voluntas Dei est, perveniat. Cuncta illis committit, ut qui sub eorum regimine sunt, absque prævia deliberatione procedant & factitent.

4. Voluntaria non sequendæ propriæ voluntatis obligatio plurimum prodest, ut dignoscat in ejus actuum cessatione, tanquam in tranquillo fonte, errores & præcipitia quibus præcingitur; & intelligat veram libertatem longè differre ab ea quæ nomine tantum libertas est,
1. Petr. c. 2. v. 16. & est reverà *velamen malitiæ*,

5. Discretio in hoc etiam statu reperitur, qui principium suum nactus est in inspiratione divina illius Fundatores dirigente, & in gratia cuilibet Ordini concessa, qui servantes se custodit. Multorum eumdem in finem tendentium exemplum ejus praxim suavem ac jucundam efficit; ac divinus honor, ac nostra reformatio harum omnium Regularum finis ac scopus sunt. Omnis submissionis nostræ fructus ad nos redit. Quid perfectius, utiliúsque possumus exoptare ad securè & circunspectè secundum Deum vivendum sub religiosæ obedientiæ conductu?

Affectiones.

Psalm. 22. FAtere te cum Davide meritò posse dicere: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocavit*; & hæc verba ad statum tuum applica.

Agnosce coram Deo, quandoquidem fides te docet peccatum ex inobedientia ortum esse, ac divortij quod in te ipso sentis experientia illud apertè comprobat, nihil nobis ardentius expetendum esse, quàm virtutis obedientiæ in priorem statum restitutionem, cujus recessus malorum omnium causa extitit, &c.

Attentè coram Deo considera quæ tibi status tuus conferat, ut hanc virtutem cõsequaris; quas à te aufert sollicitudines; quæ insunt propriæ voluntati pericula, à quâ te separat; viva instrumenta, quæ tibi subministrat, ut discas te totum ad superioris tui arbitrium fingere. O Domine, parum mea refert, sit organum luteum, an aureum, aut argenteum; sufficit, quod mihi significet, quid ad te honorandum facere debeam, &c.

Gratias illi age quod ejus voluntatis regulis undique sepiaris, quæ te in obedientia includunt, ut in ea permaneas, &c.

Fatere superiores tuos tanquam ejus Majestatis Procuratores esse reputandos. Heu Domine, mea dicta, factáque omnia illis apud te præstanda sunt. Quantùm curare debeo, ut ipsorum muneris pondus non augeam? Quantùm eorum, meíque debeo misereri, me mitem, & sequendis eorum consiliis docilem exhibendo, &c.

Vocem

Vocem audi Apostoli: *obedite præpositis vestris; & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes:* Et gratiam à Deo postula murmuratores illos non imitandi, qui canibus ad lapidem, ut ipsum mordeant, currentibus similes sunt. Superiorum enim agendi rationem quærunt circumrodere, non attendentes Deum ipsorum ore uti, ut obsequium illi nostrum præstemus, &c. *Ad Hebr. c. 13. v. 17.*

PROPOSITA.

ORdinem tuum existimare quasi perfectioni tuæ convenientissimum; & in quo perfectam potes obedientiam exercere.

Nullo modo discutere, an quod tibi injungitur rationi consentaneum sit, nec ne. Sed huic veritati adhærere, nempe quod peccatum non est, nec occasio scandali, optimam esse obedientiæ materiam.

EXAMEN.

SI patefacis te invitè ac repugnanter obedire.

Si judicium tuum æque ac voluntatem ita reprimis, ut superiorum mandata minimè condemnes.

Si respectus humanos ab obedientia tua procul repellas.

Si exteriorem tuam obedientiam interiori spiritu animes atque accendas.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

VIr obediens loquetur victoriam. *Prover. 21.*

Castificantes animas vestras in obedientia Charitatis. *1. Petr. 1.*

Obedite Præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes. Hoc enim non expedit vobis. *Ad Hebr. 13.*

VI. MEDITATIO.

De mentis Mortificatione in suis ideis vanis & superfluis.

1. PEccatum mentem dissolutis horologiis horas extra tempus sonantibus, aut quadraginta pro tribus pulsantibus similem efficit. Istud ex ejus imaginationis phantasmatibus oritur, quæ reprimenda sunt, si hanc inordinationem corrigere, & mentem ad rationem, quàm

proximè poterimus, cupimus adducere. Nisi hoc fiat; imaginatio ludos theatrales dabit, cùm ratio ad Deum se se elevare volet. Si harum idearum fovendarum habitus mentis debilitati conjungatur, hæc Platonicarum Idearum ambulacra sibi conficiet in quibus perpetuò spatiabitur. Ratio ægrè secum habitabit, sicut non libenter remanemus in loco tumultuoso, aut fumoso; sed cogimur vel ex eo egredi, vel fenestras aperire.

2. Cùm mens humana sciendi curiositatem habeat, quæ nullis circumscripta est limitibus, quæque falsæ Divinitatis reliqua est; quousque, amabo, ejus Ideæ, si foverentur, excurrerent? Tantùm multiplicarentur, & mutarentur, quantùm affectionum motus varietati & inconstantiæ obnoxij sunt.

3. Tot rebus occupatus animus minus aptus foret uni rei faciendæ, ac præsertim *uni necessario*, quod præcipuum est salutis nostræ opus. Quidquid agas, imaginatio semper aberrabit. Habet enim peccati vulnus, quod nobis patienter tolerandum est. Verum nisi has ideas audiendi, & excitandi usus rescindatur, anima perpetuò stabit quasi mediis in tumultibus & procellis. Ille igitur ad pacem sibi procurandam laborat, qui ideas superfluas cohibet, quantùm potest, sed sic quoque Christum in sensibus interioribus repræsentabit.

4. Religiosus status rationem optimam subministrabit imaginationis tumultûs pedetentim imminuendi, ac ejus dominationi se se subtrahendi; resectionem scilicet tot vanarum occupationum, consiliorum, nunciorum, litium, rerum denique omnium, quæ cogitationes & desideria excitant, & quæ impediunt quominus ad pacis animæ felicitatem pertingamus.

5. Nostri ergò statûs limites non egrediamur; nec inconsultè perquiramus, quod nobis tam utiliter præscindit: oblectationibus nimiùm indulgendo, pacem amittimus, & veritatem horum Christi verborum agnoscimus, scilicet nihil proficere hominem, *Si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat & detrimentum sui faciat.* Luc. 9. 25.

Affectiones.

Confitere coram Deo humiliatus, te quædam in animo habere, quæ plus merentur despici, quam puerorum crepundia. Heu, mi Domine, quos ludos ridiculos in mente mea agunt istæ imaginationes, & hæc desideriorum phantasmata? quò me perducent si ea nutriam, & sequar; ac non penitùs aspernet & reprimam? Dic cum filiali fiducia illud Davidicum, Domine, *Tu scis improperium meum & confusionem meam, &c.* Psalm. 78. v. 20.

Dic Deo quod quandoquidem ejus bonitas *Miserta est, timentibus se, quomodo miseretur Pater Filiorum suorum*, ac ejus patientia te in eo statu Psal. 102. v. 13.

sustinet, æquum ut in eo te quoque toleres, & hanc peccati pœnam, cum submissionis lenitate & absque ullo Chimæris istis assensu sufferas. Et cum te invitum vexant, agnosce ista ex animo verba esse proferenda. *Qui plasmasti me miserere mei.*

Habe filiale cum Deo colloquium de mentis evagationibus quas in oratione pateris. Expone illi duas in te distinctas personas sæpissimè videri. Anima mea hinc vult tecum loqui, & illinc imaginationes inopinatè venientes quasi silentium illi imponunt. Sed, interim, ô mi Deus, cæcum Evangelij imitabor, *multò magis clamabo, &c.* *Luc. 18. v. 39.*

Dic illi te firmiter credere quod ejus misericordia plus miseriâ tuâ commovebitur, te videndo hujusmodi evagationes absque voluntatis tuæ consensu pati, quam ejus justitia tuos defectus accuratè ac rigidè observabit.

Ejus gratiæ opem implora, ut superfluitates, quæ possunt ingenij curiositatem nutrire, ac ideas augere, quantùm in te erit, cohibeas. Oriuntur illæ ex corde affectionibus suis irretito. O Domine, nulli igitur rei adhærendum est, &c.

Pronuncia cum cordis effusione hæc Davidis verba: Domine, *Dic animæ meæ salus tua ego sum.* Illum roga ut pacatam eam reddat in sua in eum fiducia, & ut fidelis existat in sequentibus propositis perficiendis. *Psalm 34. vers. 3.*

PROPOSITA.

1. Otiositatem fugere, quæ humanum intellectum in quadam libertate constituit quaslibet ideas sibi fingendi, quæque amplam diabolo malas cogitationes suggerendi occasionem subministrat.

2. Non se committere ineptiarum cordis affectiones delinientium curiositati; sed iis contentum esse quæ honestæ ac moderatæ, quam tuus status permittit, relaxationi possunt accommodari.

3. Ad Deum te humiliandi gratia accedere; & tranquillum & pacatum esse in imaginationibus & cogitationibus, quæ te invitum ac nolentem exagitant, fiducialiter expectando, donec imperet *ventis & mari & fiat tranquillitas magna.* Noli curiosiùs harum tempestatum causas discutere; considerationibus enim & reflexionibus magis ac magis irritantur; ac possunt sine patientis culpa evenire. *Matth. c. 8. v. 26.*

EXAMEN.

Diligenter expende si ab his propositis in praxi non recesseris; ac si in hoc patiens ac sedulus fueris.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate. *Sap. 1. v. 5.*

Ad Rom. 1. Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.

VII MEDITATIO.

De resecandis vanitatis objectis.

1. QUamvis proba sit hominis voluntas; ejus tamen sensus atque cogitationes semper ad malum proclives erunt, córque illius semper paratum est ad suscipiendas rerum ejus inclinationi congruentium impressiones; non secus ac terra bene exculta semen excipit, quod statim germinat, & nisi impediatur, excrescit. Est quædam cum objectis, & cordis affectibus sympathia, quæ quidem sopita videri potest; sed multùm erraremus, si penitùs mortuam existimaremus; non enim nisi cum corpore unquam extinguetur. Numquid in hujus terræ cordis fundo malæ radices ac pravæ objectorum præteritorum reliquiæ jam satis supérque pullulant? ut necesse sit nova illi indere, quæ suis intellectum imaginibus replentia, cogitationes disponent ad movendas plantas jam effocatas, & ad noxiam quamdam viriditatem emittendam, quæ animam in nova pericula injicient, ac novis afficient doloribus.

2. Mentes vel purissimæ hujus sympathiæ subtilitatem persentiunt Quamvis enim has omnes mundi vanitates perfectè despiciant, ac non nisi in licitis ac necessariis occursibus, cum eis reperiantur; ab eis tamen recedentes cor suum sentiunt quasi expergefieri, gustum illi renasci; ac earum rerum appetitionem brevi excitandam esse, si diutius cum eis immorari sineretur. Si res ita se habet erga mentes purissimas, quid de novitec conversis censendum est, quarum vulnera recenter tantùm obducta sunt; nisi maximam ad illas evitandas, aut in legitima necessitate tolerandas circunspectionem adhibeant?

3. Multis præliis, laboribus, mortificationibus, ac tempore opus est, ad sensus interiores pietatis præceptionibus, quantùm fieri potest, imbuendos. Maximæ imprudentiæ est, tot annorum labores, quodque adeò pretiosum ac carum est, in apertum discrimen adducere. Quis scit an aliquod à te non removens vanitatis objectum, huic te periculo non exponis?

Affectiones in secundam Meditationem.

Psalm. 4. HÆc Davidis verba repete: *Filij hominum, usquequò gravi corde; ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* Illa tibi coram Deo

applica; cordis tui gravitatem agnoscendo, & quantùm ab eo indigeat sustentari, illi humiliter exponendo. O Domine, vanitatem amantes, mendacium quærimus; non enim illa potest, quod intendimus, tribuere; sed vacuos relinquere, omnium egenos, &c.

Expone Deo mentis tuæ infirmitatem, & quantùm ad se rebus vanis implicandum propendeat. Quoties, ô Domine, experientiâ meâ didici vana objecta rectos animi sensus extinguere, commovere passiones, atque animam omninò perturbare.

Expende commoda & utilitates, quas hæc tibi ab istis objectis disjunctio afferr, & agnosce quod si ea curiosiùs perquireres, in periculum venites noxios eorum effectus duplo magis sentiendi. Numquid, ô Domine, pretiosissimum vitæ meæ tempus, in vanitate, in malitia, & nugis puerilibus consumpsi: quem ex eis fructum percepi, nisi vulnera, confusionem, dolorem, &c. Cur redibo, &c.

Apostoli verborum recordare: *Timeo ne corrumpantur sensus vestri*, & dic Deo te probè intelligere quid ejus Apostolus intendat: nempe, nisi sensibus nostris interioribus advigilemus, bonos suos habitus brevi dimittent, & humanos amplectentur. Ne sinas, ô Domine, ut in hujusmodi pœnas & discrimina me conjiciam, &c. *2. Ad Corinth. c.11. v 3.*

PROPOSITA.

STatue nulla alia objecta perquirere, quam quæ ad amandum Deum & mundum contemnendum inducere possunt.

Te quasi passivè habere, sed non vano timore perterreri, quando ex Providentiæ dispositione mundanis rebus interesse cogeris; pro certo enim tenere debes, quidquid ex Divinæ Providentiæ Ordinatione evenit, atque ut tale reputatur, animæ Deum ubique veneranti nullatenus nocere.

EXAMEN.

SI curiosè te inseris ediscendis secularium rumoribus, & iis quæ in mundo aguntur.

Si in continendis oculorum contuitibus negligenter te habueris.

Si nimis cupidè proximi actiones indages & tuo more interpreteris.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

AVerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. *Psalm. 118.*

Beatus vir cujus nomen Domini spes ejus; & non respexit in vanitates & in insanias falsas. *Psalm. 39.*

VIII. MEDITATIO.

De superfluarum considerationum, sive Reflexuum abscissione.

1. OPtimi mentis regiminis arcanum omne in eo consistit, ut penitùs illa extricetur, & ejus idearum & specierum multiplicitas ad simplicitatem, quantùm in nobis erit, reducatur, atque cogitationum tumultum, qui non finit animam tranquillitatem degustare, coërcendo, silentium in eam paulatim insinuetur. Duo sunt imprimis ad id valdè conducentia, nempè sensibilium affectionum mortificatio, & inutilium reflexionum abscissio; hæc quippe tumultum illum excitant, & fovent. Quæ porrò speranda est mentis tranquillitas, dum cogitationes nostræ vanis & inutilibus considerationibus agitantur, quæ in suas ideas magis ac magis immergunt? sed quorsum tot in eamdem rem imaginationes, & cogitationes, cùm præcipuè illam, quantùm in nobis est, cognovimus, vel jam peracta est, & nullum ei potest adhiberi remedium? aut inutile est illam magis agnoscere, quam cognoscitur? Hoc esse non potest aliud, quam labor supervacaneus, & spiritûs afflictio.

2. Egregium nobis Apostolus hac de re consilium dedit? nempe, *Quæ retrò sunt obliviscens*, inquit, *ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Inutiles reflexus magnum objiciunt excellenti huic praxi impedimentum: siquidem animam inutiliter occupantes, illam remorantur. Illam cogunt retrò sæpe respicere; distinent, dum illa progredi deberet; impediunt, quominus iis quæ agenda sunt, incumbat, factorum memoriâ nimiùm illam distinentes; ac prohibent currere, dum eidem rei cogit eam diutiùs insistere. Nónne potius est per Dei vias incedere & currere, quàm cogitationibus distineri? Aperta nobis est hæc via, dux noster anteït; quorsùm tot cogitationes & ratiocinia, cùm de Deo sequendo solummodo agatur?

Philipp c. 3. v. 11.

3. Amor privatus ubique occurrit, nec nisi cum corpore nostro morietur. Harum omnium reflexionum ipse est promotor, & ad eas nutriendas animam instigat. In spiritualia subtiliùs, quàm in quævis alia se se insinuat; sed in iis etiam potest utiliùs refrænari. Inutiles reflexiones resecando ipsum acerrimè pungemus, ac formidolosa clandestinorum ejus consiliorum effecta sistemus. Nostris enim reflexionibus sæpiùs enutriuntur. Hac etiam ratione Jesu Christi animi tranquillitatem imitabimur.

Affectiones.

AGnosce coram Deo animum tuum, nisi illius gratia fulciatur, sibi supplicium esse. Heu, Domine, præteritum molestiâ illum afficit, quasi penes illum esset; de futuro anxius est, quasi illius potestatem haberet; ac denique de præsenti suspensus & incertus pendet; nihilominus tamen vult semper sibi ipsi inniti, quasi aliquid esset, &c.

Pronuncia ex intimo corde hæc Christi verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*; & agnosce quantum tibi expediat illum in ejus manus deponere, ut ideas tuas, consuetudines, &c. Non sequaris. Heu, quò me, Domine, deducerent? &c.

Hæc Christi verba in memoriam tuam revoca: *quis cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Ac fatere tuas omnes reflexiones esse inutiles, ac sollicitudines tantùm tibi afferent, nisi eas ad Providentiæ ordinationes, & ad rectæ rationis leges revoces. In hoc quidem, ô Domine, in hoc peccati vulnus apparet quod in cogitatu meo errorem conjecit. Sed in his etiam omnibus reflexionibus subtilibus multum inest propriæ existimationis, ac malæ sibi nimiùm confidendi consuetudinis, &c. *Luc. 12.25.*

Postula à Christo Domino columbæ simplicitatem, ac serpentis prudentiam. Quis nos, ô Domine, docebit duas illas virtutes rectè simul conjungere. Tu solus es, &c. Ut in nostra prudentia simplices simus, hæc in te stabilienda est, atque ut prudentes in nostra simplicitate fiamus, à documentis & exemplis tuis ne latum quidem unguem recedendum est, &c.

Dic illi hæc Psalmistæ verba: *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*; & agnosce hoc esse debere præcipuum mentis tuæ exercitium. *Psalm. 75. v. 11.*

PROPOSITA.

MEntis tuæ reflexiones in rebus vanis & inutilibus, aut quæ rectæ rationis limites transcendunt, refrænare.

Iis tantùm uti ad id cognoscendum quod à te Deus juxta Evangelij & statûs tui regulas exigit.

EXAMEN.

SI præteritas tuas actiones nimiùm discutias, ut earum tibi recordationem refrices.

Si verba quæ fortè imprudenter prolata sunt, procaciùs exaggerasti, interpretatus es, & tibi adaptasti.

amoris Dei, humilitatis, ac fiduciæ oleo nutriri. Semper vigilare debet; nec in præteritis victoriis conquiescere, nec hostes penitùs subactos credere, sed fortis & generosa esse, nec certamine perterreri. Hæc omnia in Christi verbo continentur.

5. Quò plures reportat victorias; eò nobilior est, ac Christo de infirmitate triumphanti similior. Hîc D. Paulo dictum fuit: *Virtus in infirmitate perficitur.* Hæc igitur pugna consideranda est, tanquam facilior via ad se se in virtutibus perficiendum. *2. Corinth. c. 12.*

Affectiones.

DIc Deo ex intimo cordis affectu; *omnia, Domine, nuda & aperta sunt oculis tuis.* Scísque, quod *non est sanitas in carne mea*; & quantùm sacra hæc virtus nobis est necessaria. *ad Hebr. c. 4. v. 13. Psal. 37.*

Congratulare Christo Domino de omnibus ejus perfectionibus, & de Natali ejus Virgineo; téque profitere honore, quo te ad suæ castitatis imitationem vocavit, indignissimum. In magno honoris & beneficij loco istud pone.

Tuam omnem in illo fiduciam accende, hæc Jobi verba proferendo: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Dic illi te certò scire ejus bonitatem defensionem Castitatis semper esse suscepturam; cúmque Virginis filium sæpe appella.

Oculum, quasi ex obliquo, in defectus à te fortasse in hanc virtutem commissos conjice; illos ejus misericordiæ pedibus exponendo, ac in ejus clementiæ oceanum demergendo.

Votum castitatis quod facturus es, illi per anticipationem offer, cum sincero illum in hac virtute fideliter venerandi desiderio. Hanc fidelitatem per castitatis sacratissimæ Virginis merita ab illo postula.

Cum beatissima Virgine colloquium confer amoris & venerationis plenissimum. Congratulare illi, quod mater sit nulli æqualis, & quod ejus castitas Deum fecit ipsi similem; expone illi cum filiali fiducia tua desideria, tuásque anxietates: ac tuum tandem colloquium conclude firmiter ejus auxilio confisus nihil unquam posse votorum tuorum observationem intermittere.

Illius pudoris accuratissimum studium te imitaturum esse, & hæc proposita adimpleturum illi pollicere.

PROPOSITA.

STatues corpus tuum, tanquam vas honorando ejus filio destinatum in honore habere.

Ab oculis & auribus abigere quidquid minus erit castitati conveniens.

Patienter sufferre tentationes quasi peccati punitiones ac fidelitatis exercitia; nec animum ad ea quæ suadent ullo modo intendere; sed è contra earum ideas contemptim repellentem te in Dei tutelam, & præsidium committere, ubi invenies, quod securitatem tibi, & inimicis contemptum allaturum est.

EXAMEN.

HOc unum satage, ut nihil in tua circunspectione desit.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Sap. 4. v. 1. O Quam pulchra est casta generatio cum claritate.

Judith. c. 15. 10. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël? tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, confortatum est cor tuum, eò quod castitatem amaveris.

Ad Galat. 5. v. 2. Fructus autem spiritus est, Charitas. .... Continentia, Castitas.

X. MEDITATIO.

de Modestia.

1. ANimâ per peccatum inordinatâ, mirum non est quod ejus inordinatio ad corpus pervenerit. Anima quippe quasi horologium est, corpúsque velut index horarius, qui non potest rectè incedere, nisi horologium sit intus benè dispositum. Modestia excellentis horologij functionem obit, rotas, quæ motûs omnis causæ sunt, primùm dirigendo ut postmodum cursum gnomonis exæquet, súntque verba, gestus, & actiones, quæ proximi conspectui objiciuntur.

2. Parum esset gnomonem dirigere, si interius malè ordinatum esset ac gravis labor foret, gnomonem tota die manu ducere. Modestia quæ exterioribus conformandis tantummodo studeret, longè inutilior coram Deo videretur, suáque applicatione molestâ & laboriosâ alios falleret, ac imprævisis eventibus ipsa sæpissimè falleretur.

3. Christus Dominus virtutis hujus praxim perpetuo ejus exercitio nos docuit; hæc enim debet illum sine intermissione referre in cogitationibus, sermonibus, & actionibus quæ bonum proximo exemplum præbent, illúmque ad sequendum rationis practicæ ordinem attrahunt. *Obsecro vos*, inquit Apostolus, *per Modestiam Christi*. Nihil blandius, nihil hujus Salvatoris modestiâ efficacius esse sibi persuadebat, ut quod intendebat obtineret, & corda ad Dei cultum à pravitate sua converteret. Et certè modestia, muta concio est quæ suadet, & efficaciter corrigit; ac boni exempli flos meritò potest appellari.

2. Ad Corinth. c. 10. v. 1.

Verum enim verò ne pulchra & jucunda hæc virtus tetricæ severitatis indiscretione odiosa redderetur, ejus idem Apostolus usum nos docet; *Gaudete*, inquit, *in Domino semper* ꝛ *iterum dico gaudete*; *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; modestiam gaudio conjungens utrumque optimè convenire ostendit. Modestia lætitiam ad rationis amussim temperat; & lætitia Modestiæ illecebra est, quâ libera, audáxque sine inordinatione & affectatione efficitur; jucunda in conversando, sed sine dissolutione; ac in omnes officiosa, sed sine perturbatione, tempus, locum, & personas observando, ut omnibus serviat ex rationis præscripto & juxta constitutam à charitate, & decentia differentiam. *Ad Philip. c. 4. v. 4.*

5. Hæc virtus non solum naturæ ornamentum est, sed etiam ut administratrix haberi debet, quæ omnia disponit in domo Domini sui, qúæque Deo virtutum omnium fercula festivè, ordinatè & politè infert. Nunquam otiosa est; quippe cui Deus non minus præsens sit, cum sola est, quam comitata. Si modestia sensus diligenter custodiat, *Mors non poterit per fenestras intrare*, sed si obdormiat, est certè quod timeatur. *Ierem. c. 9.*

Affectiones.

JEsum in sua humanitate adora, & quam in omnibus vitæ suæ actionibus exhibuit, Modestiam demirare. Finge animo quidquid optari potest in modo agendi gravi, suavi, affabili, benefico; & hæc omnia excellenter in Christo Domino reperiri considera.

Confitere quod cum illi debeas animam & corpus, debes illi utique clientelare pro utroque obsequium, quod illi per Modestiam debes profiteri.

Roga ut ejus præsentiæ memoriam menti tuæ altissimè infigat; si enim animo meo profundè insideret hæc fidei veritas; te scilicet ubíque existere, ac mihi ipsi præsentissimum esse, hoc unum mihi sufficeret ad me modestum in omnibus præstandum.

Veniam ab eo postula quod toties in vita tua defueris debitæ ejus præsentiæ venerationi.

Confitere quod sensuum tuorum evagatio in oblivionem te injecit, oblivio in negligentiam, & negligentia in plurimos defectus, ac præcipuè in verborum excessus.

Confitere statum tuum optimam tibi ambulandi in ejus præsentia, & modestiam exercendi rationem subministrare. Dum enim tibi tot seculi nugas & ineptias substrahit, & te colloquentem cum Deo constituit; hæc certè sufficiunt, ut mens tua benè ordinata sit, & Modestia tibi familiaris, dummodo nullum impedimentum inferas.

Pete ab illo discretionem, ut illam juxta ejus exemplum exerceas; nec ad tuum libitum exteriorem compositionem tibi fabrices; sed quæ in te sunt, ad rectæ rationis normam revoces solo Dei, non amoris proprij, aut bonæ hominum opinionis intuitu.

PROPOSITA.

1. PRopone esse in reprimenda lingua sedulum, ut sit in loquendo verax, suavis, reverens, moderata, & omnis immodestia ab ea rescindatur. Eam ob rem horum sapientis verborum memineris: *Hominis est præparare animam; & Domini gubernare linguam.* Hæc præparatio fit oratione & humilitate.

Prov. 16 1.

2. Ita esse modestum ut proximo non sis onerosus & molestus, nec Christianæ libertatis, ubi nullum est peccatum, nec peccandi, aut scandali occasio, ordinem perturbes.

3. Sensibus moderandis incumbere, tempore præcipuè & locis quibus anima tua tota Deo attenta esse debet.

EXAMEN.

SI in aliquod ex supra dictis peccaveris.

Si in tua modestia devites, quod severitatem & affectationem redoleat.

Si ejus praxim in præsentiæ Divinæ veneratione constituas.

Si proximo in his quæ illum ædificare possunt, indulgens sis.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Prov. 22. v. 4 — FInis Modestiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita.

2. ad Tim. c. 2. v. 24. — Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.

XI. MEDITATIO.

De voluntaria pœnitentia.

1. DEi Filius se hominem simul & pœnitentem fecit, voluit nasci in eorum subsidiorum privatione quæ nativitatis humanæ miserias mitigant, & in obeditionis Regi terrestri præstitæ exercitio. Ejus vita non solum sejuncta fuit ab omnibus deliciis, sed rebus necessariis destituta. Omnes nocentis hominis & *ad vescendum pane suo in sudore vultûs sui damnati* fatigationes laborésque pertulit; ac pœnitentiæ necessitatem, æque ac illam benè agendi modum suis exemplis edocuit. In pœnitentia ad mortem usque perseveravit, mortem, inquam, dignam durissimis etiam cordibus commiserationem elicere, ut sententiæ in omnes homines latæ rescissionem obtineret. Voluit denique nobis

ostendere pœnitentiam in solutionem & remedium adhibendam esse. Non enim illam elegisset, nisi nobis fuisset necessaria; nobis satis superque est quod ipse pœnitentiam egerit, ut illam similiter agamus.

2. sed quia contraria contrariis curantur, voluntaria pœnitentia efficacissimum remedium est ut impediatur quominus malum in inclinationibus ad voluptates propendentibus invalescat. Per voluptatem concupiscentia animam in mortem præcipitat; ac per pœnitentiam ipsa anima contra concupiscentiam corroboratur, ut voluptates ab ea aufferat; & sui in corpus dominij excellentiam agnoscit. Grata quidem est lætitia, quam anima percipit se Dominam intueri; sed tamen illam à pœnitentia accipit. Nimis enim experientiâ docemur, eum, qui suo corpori voluptates vel licitas indulgere, ac illud delicatè nutrire desiderat, ad illicita brevi abreptum iri. Numquid dicit S. Spiritus, quod *qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, posteà sentiet eum contumacem.* Verum, cùm Christus nos docuerit voluptates esse relinquendas, ut pœnitentiam agamus, qua ratione eâ eximi volemus? Numquid eâ minus, quàm ille indigemus. *Proverb. cap. 29.*

3. Jesus pœnitentis statum eo tantùm fine amplexus est, ut suum erga Patrem & erga nos amorem plenè perficeret, dum se se reparationis, & satisfactionis victimam pro peccatis nostris obtulit, ac in eo se statu constituere voluit, ut ejus dolorum commiseratione, à peccato cessaremus. Quomodo igitur Christiani nomine dignos nos præstabimus, nisi eisdem mediis utamur ad castigandum in nobis, quod Dei filio tanti constitit.

4. Status religiosus Regulis suis modos tibi suppeditat hujus pœnitentiæ cum discretione & amore exoluendæ. Eadem discretio in his quæ illæ subministrant, invenitur: sufficiunt enim naturæ sustentandæ; amórque in libertate eas amplectendi reperitur. Hæc pœnitentia tria complectitur, satisfactionem scilicet, remedium, & amoris Filij Dei imitationem. Quid potes nobilius, utiliúsque exoptare?

Affectiones.

Christi Domini patientiam admirare quî postquam tam laboriosam pœnitentiam pro reis suscepit, eos nihilominus videt delicias appetere, dum illum spinis coronatum intuentur. Quæ beneficiorum tuorum oblivio, mi Jesu? Quo insolentiæ homines deveniunt?

Perpende quas Deo intulisti injurias, & confitere pœnitentiam vel rigidissimam illas adæquare non posse; Profer ex animo, quod olim David: *Misericordia tua magna est super me*; Domine; *& eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Ubi nunc essem, ô Domine, nisi justitiæ tuæ brachium misericordia tua retinuisset? Quid pati possum, quod possit cum hoc comparari? &c. *Psalm 85. vers. 13.*

Gratias Deo redde quod ab eis te sejunxit, de quibus Job loquitur; *Iob. 21. v. 13.* qui *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Dic Jesu te nunc intelligere, quod dixit ejus Apostolus, *Adimpleo* *Ad Coloss. v. 24.* *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Fidelis illa anima, idcircò in laboribus & doloribus gaudebat, quod iis ad tui similitudinem propiùs accedebat, atque ut te perfectiùs imitaretur, addebat jejunia, vigilias, & corporis sui castigationem. Mihi verò quid faciendum incumbit? &c.

Agnosce vitam Christianam Pœnitentiæ sale, ne corrumpatur, condiendam esse.

Recordare clamoris quem ediderunt Judæi, dicentes in Christum *Ioan. 19.* Dominum *Crucifige, crucifige*; Idem in corpus tuum clama, confitendo supplicium hoc mereri.

Consecra Religionis pœnitentiæ quod tibi vitæ residuum est, coram Deo agnoscens curando peccati vulneri prima illam medicamenta adhibere; relabendi occasiones rescindere, animam à corpore disjungere, ac imitationem esse pœnitentis statûs, quem ejus Filius elegit, ut in eo viveret, ac pro nobis moreretur.

PROPOSITA.

DElibera ea omnia exequi quæ magis ardua & laboriosa in tuis Regulis occurrent, ut sic austeram honores pœnitentiam, quam Christus Dominus pro nobis suscepit.

Nulla exemptione uti, quin prius apud te statueris, ad superioris voluntatem, tuam omninò conformare.

EXAMEN.

SI tibi persuasissimum est te ad agendam pœnitentiam adstringi; ac peccati atrocitatem quamlibet pœnitentiam superare.

Si sollicitus sis tuos Deo labores in amoris & pœnitentiæ spiritu offerre.

Si remissior sis in observandis Regularum tuarum austeritatibus; aut singularem te exhibeas in exquirendo austeritatis modo ab aliis non usitato. In hoc enim imprimis elucebit obedientiæ tuæ meritum, si nihil proprio motu suscipias, ac libenter denegationem patiaris.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Sap. 11. MIsereris omnium, quia omnia potes; & dissimulas peccata omnium propter pœnitentiam.

Isaia. c. 53. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter sce-

lera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Ad Galat. cap. 5.*

XII. MEDITATIO.

De Patientia in infirmitatibus.

1. COmmuni usu satis compertum est hominem indigere disciplinâ, ac in suis inclinationibus & consuetudinibus reprimendum esse, ut ad rationis normam redigatur. Deus Patris curam in se suscipit, hominésque castigando parentis munia obire ostendit. *Quem enim diligit Dominus corripit; & quasi Pater in Filio complacet sibi.* *Proverb. c. 3. v.* Hominum corda coram illo, quamdiù vivunt, pueri sunt; ac si experientiâ innotescit inordinatio, quam tranquilla prosperitas ingenerat cordi passionibus adhuc subdito; probatur quoque necessitas quam habet à Deo, Patris more corripi.

2. Pœnitentia, quam nobis proprio delectu imponeremus, ad nos reformandos minimè sufficeret; in hoc enim propria voluntas reperiretur, quæ plus indiget reformari. Deus in suæ Providentiæ dispositione præter communes filiorum Adam pœnas, alias sibi reservavit in hunc finem insumendas. Suam illæ, inconsultâ nostrâ voluntate, originem ducunt vel ex nobis ipsis, vel ex proximo, ut in nos recidant, vel ex improvisis casibus; easque nobis Deus applicat tempore, & loco, cum pondere & mensurâ, sicut prudens medicus, ut nobis sint medicamentum purgans, & antidotum. Quis novit mala quæ nos invasissent, nisi talis præcessisset vel occurrisset calamitas, &c.

3. Labor eis inest, quod mirandum non est. Si enim corpus nonnisi adhibito conatu purgatur; non minori opus est contentione ac violentia ad noxios propriæ voluntatis, ac cordis motuum humores evacuandos, ut sic purgati proximum benignè supportent, pro eis tranquillè agant, & divinæ voluntati submissi reddantur. Numquid quæ ad corporum curationem insumuntur, amara sunt? ægrè sumuntur; sed in hoc fortasse voluit Deus nobis exhibere necessitatem animo etiam amaritudinem propinandi, ut perfectæ sanitati restituatur.

4. Deus hominem sic constituit, ut ejusmodi pœnæ electionis & arbitrij ejus non sint, quò puriores & efficaciores existant; sed status religiosus Academia est in qua discitur remedia optimè sumere, cognoscere, iisque rectè uti, & ejus filij imagini conformari, *Super quem disciplina pacis nostræ* posita est, ut livore ejus omnes sanemur. *Isaia 53. v. 5.* Hos enim prædestinavit, inquit Paulus, ut conformes fiant imagines Filij Dei. *Ad Rom. c. 8. v. 28.*

Nihil est quod hîc vel hæreamus, vel excipiamus. Non potest ille à nobis cælestis repræsentari, nisi terrestrem illum priùs in nobis expressserimus. Ad patientiam igitur recurrendum est, & pluris quam thesaurus facienda; siquidem nos tanquam bonos filios correctioni Patris nostri cælestis subditos reddit, in animarum nostrarum possessionem mittit, & hæreditatis ejus Filij, sicut & similitudinis participes nos facit.

Affectiones.

DIvinam admirare Providentiam, quæ ex infirmitatibus nostrís antidota conficit. Vide qualiter in Divo Paulo remedium istud operabatur, ut illud magis demireris, & in Domino consolationem capias.
2. Corinth. c. 12. v. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus, ut inhabitet in me virtus Christi. Cum infirmor, tunc potens sum.* Nihil igitur, ô Domine, quod sub gratiæ tuæ protectione reformidem, cùm ea te solum offendant quæ deliberato animo volumus, ac in mea libertate semper est, ea nolle.

Fatere sapientissimum esse, ac tuis viribus, & necessitatibus convenientissimum quidquid tibi ab ejus providentiæ ordinatione veniet; solum Deum futura atque possibilia præscire, ac proinde solum etiam esse qui præservationis & sanationis remedia bene possit adhibere. O felicem illum, Domine, qui manu tuâ curatur. Nihil prorsus deest, &c.

In conspectu illius considera, quot animæ ideò periêre, quòd suæ libertati permissæ fuerint. Si David in eo infirmitatis statu constitutus fuisset, ut in Domûs suæ deambulacris non potuisset liberè deambulare, mulierem, lapsus sui causam non conspexisset. Si alij in simili casu prosperâ valetudine usi fuissent, quid tunc fortè egissent, nisi tentatio terrorem illis incussisset, ad Deum impulisset confugere, suíque diffidentiam eis indidisset. Alia verò occasio superveniens, eósque inveniens in otiosa tranquillitate, illos ita demulsisset, ut in peccatum fortasse incidissent.

Cuncta hæc, Domine, inspicis, & eis prospicis. Delectus meus inanis foret & superfluus, noxius, & inconsultus; tuus vero perfectus est. Facessat igitur à me omnis electio. Quidquid tibi placitum est, fiat.

Agnosce tuas omnes infirmitates, tanquam divina erga te sollicitudinis argumenta reputandas esse, & tanquam remedia accipiendas.
Vbi supra. Hæc Sancti Apostoli verba recogita: *Gloriabor in infirmitatibus, ut inhabitet in me virtus Christi.* Et agnosce virtutem hanc esse humilitatem, quæ infirmitate pascitur & cum illa omnia superat. Quo jure quáve
Ad Rom. c. 8. ratione speramus, ôDomine, tecum conglorificari, nisi prius compatiamur?

PROPO-

PROPOSITA.

1. DElibera in tuis infirmitatibus qualescumque fuerint, ad divinam te illicò Providentiam convertere, ut illam adores, eique te subjicias.

2. Cum resignatione, tranquillitate, & juxta consilia quæ in dubiis tuis, & angustiis capies, remedium earum perquirere.

3. In Christi exemplo consolationem tuam quærere.

EXAMEN.

SI in tuis anxietatibus adeò te querimoniæ dedisti, quæ murmurationem redoleat, & si earum remedia nimio studio quæsieris.

Si difficultates tuas cum resignatione tibi sufficiat exposuisse.

Si in casibus quibus te læsum à proximo existimas, acceptæ injuriæ motus fideliter reprimas, aut de eis loquendo nihil exageres.

Fasciculus ex sacra Scriptura.

DOctrina viri per patientiam noscitur: & gloria ejus est iniqua prætergredi. *Proverb. cap. 19.*

In humanitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *Eccli. c. 2.*

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc. 21.*

XIII. MEDITATIO.

De Paupertate Religiosa.

1. FIdes nos docet primi hominis peccatum rapinam fuisse: & certè vestigia quæ in naturæ nostræ propensionibus remanserunt, hujus rei certissima probatio est. Homo ne momento quidem de vita sua certus est, pauca illi ad victum, vestitúmque sufficiunt, nihil secum post mortem auferre potest; nihilominus tamen ejus cupiditas continuis ipsum desideriis & laboribus agitat, quasi semper esset victurus, cuncta possessurus, & ablaturus. Nonne hoc est phrenesis omnium infelicissima? Ipsum avaritiæ compedibus constringit; at omnes illius curæ non possunt ab eo indigentiæ tempestates tantam hominum multitudinem opprimentes amovere. Testatur Apostolus, quòd *qui volunt divites*

1. Timoth. c. 6. v. 9 *fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva.* Hoc nobis sufficere debet, ut eas abhorreamus. At insuper experientiâ docemur *Possessionis* articulum bella, rixas, & dissentiones causare. Frustrà multis nòs oneramus, cùm locus ad quem imus, proximus est. De vita ad mortem, de tempore ad æternitatem parva omninò distantia est.

2. Jesus Christus in paupertate nasci, vivere, ac mori volens hujus reprimendæ cupiditatis necessitatem nobis ostendit. Exemplo suo nos edocuit, redeundum esse nobis ad primæ Adam paupertatis statum, ut possimus esse participes felicitatis, quâ ante lapsum suum fruebatur; quæ necessitatibus suppetunt, in transitu sumenda esse, ut ad rectæ rationis amussim vivamus; atque naturæ, quæ nos nudos produxit, liber tantùm aperiendus est, ut in eo majusculis literis scriptum legamus non magis rebus terrenis nobis adhærendum esse, quàm nostris vestimentis corpus inhæret. Sed exemplis suis verborum suorum veritatem Matth. c. 5. adjunxit, pauperes spiritu inter beatos primos collocans.

3. Status ille graphicè nobis adumbrat felices in cælos animas, quæ contentæ sunt, ac nihil omninò desiderant. Acerbos curarum, & jacturarum, quæ tot homines miseros reddunt, aculeos amovet; imò quod magis mirandum est, quamvis pauperis spiritu anima eos persentiat, non ideò tranquillitatem amittit.

4. Resecandarum superfluitatum modus quem nobis Religio suppeditat, utilissimus est. Paupertatis inopia, ac divitiarum abundantia sapientet ab eâ repelluntur; ibique vivimus tanquam omnia possidentes, & nihil nobis proprium retinentes. Religiosa paupertas rectè custodita, proximè accedit ad Filij Dei similitudinem, qui voluit nudus in cruce mori, ut paupertatis jacturam repararet: sed præcipua ejus gloria est, quod nihil habeat in seculo, ut omnia aliquando possideat cum Christo. Singularis prudentiæ est caduca dimittere, ut æternis adhæreamus. Et hoc quidem facit Religio.

Affectiones.

JESUM in sua paupertate adora, & istam admirare paupertatem, quæ salvat, liberat, & universum mundum locuplétat. Agnosce ejus inopiam tuum esse patrimonium, &c.

Agnosce quoque ejus reparationem cum primorum parentum peccato mirificè convenire. Fructûs possessionem ambierunt & Christus natus mortuúsque est, nequidem valorem unius pomi possidens.

Fatere paupertatem plurimùm tibi conferre, dum inimico vires subtrahit, quibus te posset facilè atterere; & dic Jesu, te nullo modo dubitare, quin, sicut per furtum malum agnovimus, ita ex voluntaria paupertate, quæ paupertatem illius veneratur, apertè cognituri simus

quantum ſit illud bonum velle ipſum ſolum poſſidere, illius duntaxat eſſe, &c.

Dic magnam tibi felicitatem evenire, ſi poſſis cum ſponſa dicere, *dilectus meus mihi, & ego illi.* Opta illud poſſe veraciter dicere: agnoſce Christum quantum in ſe eſt, illud præſtare; ac ſupereſſe, ut tu quoque, quantum in te eſt, idem adimpleas. Furti me reum, ô Domine, reputarem, ſi quicquam ex eo detraherem, quod tot titulis, & rationibus tuum eſt, &c. *Cant. c. 2. v. 16.*

Gratias illi age, quòd per ſtatûs tui vota, in ea te libertate conſtituerit, ut per unum familiæ ſollicitudinibus & adhæſione ſolutus ſis; per aliud tui curâ eximaris, ac denique per tertium Fortunæ bonorum, quæ tot homines excruciant & ad inferos præcipitant, anxiis mœroribus non angaris. Tuum de voto paupertatis deſiderium renova, paupertatis ſpiritûs beatitudinem à Jeſu Christo poſtulando, & agnoſcendo bonum iſtud omnes mundi divitias longè multúmque ſuperare; & ab eo unicè obtineri poſſe, &c.

Paupertatem in Jeſu inſpice quaſi individuam ejus vitæ comitem. Deeſt illi perſæpe quod neceſſarium eſt, ſed hac ratione nos paupertate nobilitare & ſanctificare deſiderat, &c.

Intuere qualiter illam ejus mater in praxim reduxerit, ac utriuſque animatus exemplo, hæc propoſita exequere.

PROPOSITA.

1. STatue rerum inutilium deſideria à corde cohibere.
2. De nulla re decernere, aut eâ uti, niſi juxta ſtatûs tui regulas; nihil præter neceſſarium & utile exoptando, non curioſas exquirendo ſuperfluitates, & longè minus eis adhærendo.
3. Occaſionem capere honorandæ in iis, quæ tibi deerunt, Jeſu Christi paupertatis.

EXAMEN.

SI libenti animo, nec exhibitâ ulla repugnantiâ, quod viliſſimum eſt, accipias.

Si paupertatem ſpiritûs, quaſi paupertatis exterioris animam conſideres.

Si nihil ſingulare affectes, quod exteriorem paupertatem manifeſtet.

Hac enim affectatione, ſpiritûs paupertati ſubripis, quod exteriori impertis; ac magis expediret aliquid exteriori paupertati auferre, & illud ſpirituali dare.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

1. Corinth. c. 8 v. 9. PRopter vos egenus factus est, cum esset dives, ut ejus inopiâ vos divites essetis.

Ibid. v. 2. Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum.

1 Timoth c. 6. v. 6. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.

QUARTA MEDITATIONUM SECTIO.

De modis status religiosi Regulas ritè observandi.

PRIMUS MODUS. I. MEDITATIO.

De Humilitate.

1. HUmilitas Deo nos reconciliat, ejúsque ad nos gratiam adducit: actum enim justitiæ exercet. Cùm nos ante Deum ad nihilum redigit, illi restituimus quod suum erat, nec aliud nobis reservat, quam quod nobis auferri, nisi injustè, non potest; nempe honorari ejus creaturarum nomine, ejus Charitate insigniri, & adjuvari misericordia. Ipsa rationem in suo naturali statu restituit, quam superbia phrenesi correptam in statu violento detinebat. Nihil ab ipsa boni, aut sapientis sperari debet nisi contrarium huic phrenesi remedium adhibeatur. Unicum enim illud est quod ipsam Deo ac sibi potest reddere. Sine humilitate nonnisi motus phreneticos expectare à ratione possumus: Et ne id quidem fieri aliter potest; cùm sine humilitate ratio se non cognoscat.

2. Verissimum est divinam gratiam, aërem esse quemdam spiritualem, sine qua vivere anima non potest, & cum qua potest omnia. Ejus omne fundamentum, refugium, spésque illius omnis debet hac gratiâ stabiliri. Portò Deus illam solis *humilibus dat, & superbis resistit:* unde sequitur considerandam esse humilitatem tanquam canalem quo bonum omne in animam influit. Ut canalis amplus erit, & vacuus, ac obstructionibus expedietur; ita anima gratia replebitur. *S. Iob. c. 4.*

3. Hæc virtus Christiano maximè necessaria est, cùm tot habeat per gratiæ auxilium agenda, superanda, & devitanda. Sed quantò magis Religioso necessaria est, cùm per eam in illum effundi debeat gratiæ illius vocationis continuatio? Religiosus gratiæ opus est peculiare; factus est igitur, ut vas sit humilitatis; alioqui gratiam recipere non

posset: originem illa suam repetere cogeretur, non inveniens per quod flueret, & à quo reciperetur. Quid de illo sine gratia fieret?

4. Humilitatis necessitas Filij Dei exemplo satis nobis innotescit, quippe qui illam amplexus est, & nobilitavit, ut homines, qui superbi pauperes sunt non erubescant illam profiteri. Viso Deo humilitatem sectante, gloriosum est humilem fieri. Sed animæ religiosæ quasi nativa esse debet; Religio enim humilitate destituta, religio respectu religiosi esse desistit, cùm ille Religionem ingressus, ut opus gratiæ sit, non habet quod illam in se continere valeat.

5. Hæc virtus nomine tantùm infima est; quippe se supra Creaturas omnes evehit, ut eas duntaxat ex relatione ad Deum consideret.

Affectiones.

1 ADmirare coram Deo quò superbiæ phrenesis hominem deducit. Quale, Domine, nihilum reputandum est, quod sui obliviscitur? Qualis æstimandus est scenicus miseriarum & infirmitatum actor, qui phrenesi captus se alium sæpissimè existimat? Quid de mortis ludibrio judicandum, quod ita agit, ut se semper victurum credat? Qualis tandem habendus est homo qui tremendo tuo judicio obnoxius, non attendit, qualis futurus sit? nemò profectò non judicabit ejus rationem planè esse dissolutam, &c.

Postula à Christo Domino, ut mentem tuam illuminet, quò agnoscas quid fuisti, quid es, & quid futurus es. Quidquám-ne æquius est, ô Domine, quam hanc veritatem agnoscere & sequi, &c.

Redde gratias Christo, quod se humilem fecerit, & quod suis exemplis, & præceptis humilitatis remedium mundo attulerit. Quis remedium hoc cognovisset? quis illo uti voluisset, ô Domine, nisi illud ipsemet edocuisses? Homines sine remedio, & quiete phrenesim suam semper auxissent.

Hæc verba in illius præsentia perpende: *discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Qui dicit requiem inveniri, dicit quoque pacem, gaudium, auxilia inveniri. Ingenuè illi fatere nihil hoc verius esse; verbum ejus experientia fuisse comprobatum; ac eum, quem ipse humilitatem edocuit, omnia in ejus gratia reperire, &c. *Matt. c.11*

Dic illi te multùm hac virtute in tua professione indigere, ubi gratia vocatione suâ satis declarat velle tuo ministerio uti. Tuis me decretis Domine opponerem, si obicem aliquem huic virtuti ponerem; contristarem spiritum tuum, ac te ad me fastidiendum & deserendum provocarem; nisi hanc virtutem gratiarum tuarum canalem diligerem, &c. *Ephes. c.4.*

In memoriam tuam revoca quantum Israëlitæ in deserto Angeli ducatu & auxilio indigebant; & fatere Deo te omninò interiturum, si à te

occurrunt, debent perterrere, quam evagationes in oratione obvenientes. Si verò vellemus eas nutrire, obicem certè divinæ Providentiæ curis poneremus. Iniqua certè foret illa permutatio, quâ tam potentem, tam excelsam, tam sapientem, tàmque necessariam curam fastidiremus & aversaremur, ut nostram, quæ omnino debilis, indocta, impotens, ac miserabilis est, substituamus.

2. Penes hominem non sunt temporis constitutiones, ita ut vel calidum vel pluviosum possit efficere. Eadem prorsus est ejus status spiritualis ratio, quæ Divinæ ordinationi omninò subjacet. Nostrum est duntaxat momentum præsens, quod ex voluntate nostra pendet. Cætera possunt quidem tranquillæ ac moderatæ provisionis esse materies, sed non sollicitudinis quæ seipsam exedit, & in consiliis gravissimè fallitur. Voluit Deus nobis esse omnia in omnibus; ac si curæ circumdant, considerari debent tanquam stimuli qui nos urgent, ut ad illum confugiamus, & cuncta ab eo speremus. Nihil deesse potest Divinæ erga nos sollicitudini; cur huic nostram adjiciemus?

3. Nihil aliud à nobis Deus exigit, quam applicationem nostram ad laborandum; ad statum, in quo nos collocat, acceptandum; & ad fideliter utendum præsenti tempore, & adminiculis quæ nobis elargitur, sed futuri sollicitudinem in se suscepit, & à nobis expectat ut illam sponte & sine ulla reservatione in illum transferamus.

4. Id Jesus apertissimè in Evangelio suo declarat, ubi Discipulos suos acriter incitat ad suas sollicitudines in Dei sinum projiciendas, illas, inquam, quæ rerum corporalium sunt, in quibus brachium carneum aliquid pollere videtur, quamvis in hoc æquè graviter errat, ac arator qui nullum discrimen inter laborem, quem seminando insumit, & tritici accretionem poneret; primum ab illo pendet, alterum verò minimè. Si Christus de temporalibus necessitatibus sic locutus est; quid de spiritualibus cogitare debemus? Numquid dixit: *sine me nihil potestis facere*? Illius est igitur curas nostras prævenire, quandoquidem ejus est necessitatibus nostris occurrere. Studeamus igitur eas sequi & exequi, non vero prævenire, sicut vana mentis sollicitudo optaret.

Affectiones.

Fatere Deo maximam esse humani intellectûs dementiam, qui suâ sollicitudine Divinam Providentiam vult imitari: verum quid ille proficit, Domine? perturbatur, ac se discruciat, &c.

Recordare, cor tuum coram Jesu Domino effundens, verborum quæ dixit homini horrea ædificare apud se statuenti, ad suum omne frumentum recondendum: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ* Luc. 12.
autem parasti cujus erunt? Istud tuis prævisionibus, propriisque solli- v. 20.
citudinibus applica, ac gaudens intuere Dei Sapientiam & Providen-

tiam hominum consilia, curásque deridentem. Vanas illorum hominum sollicitudines despice, &c.

Matt. 6. v. 27. Gratum memorémque te Deo exhibe, quod ejus auxilio in omnibus, sed præcipuè in amovendis curis superfluis indigeas, &c.

Cogita hæc Evangelij verba ab illo tibi dici: Quis autem vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? téque ad liliorum exemplum remitti, ut discas tuas omnes curas, laborésque Divinæ Providentiæ credere, *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* *Matt. 6. vers. 28.* O Redemptor animæ meæ, quam tranquillitatis viam mihi aperis? Pulchrè ostendis te optimum esse Dominum, siquidem curis nos eximis operosis, & omnium hujus vitæ malorum molestissimis. Dixisti, Domine, *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* *Ibid. v. 33.* Mihi solummodo coram te gradiendum est; uno quasi passu semper progrediendo, ut ad thesaurum hunc perveniam; Tu interim, Domine, dabis mihi fortitudinem, auxilium, irrigationem, incrementum & reliqua. Satis erit mihi, ut me tibi attentum præbeam, & quæ mandaveris fideliter, ac promptè exequar, &c.

Agnosce humanum intellectum sic decipi, dum molitur quod facere non potest, nec ab ipso requiritur; ac segnem, & negligentem se præbet in iis quæ debet, aut potest agere; & gratiam à Deo postula, ut ejus erroribus non impliceris.

Oculos in sollicitudinum & prævisionum præteritarum vanitatem conjice. Quem ex his omnibus, ô Domine, fructum percepi? &c.

Pete à Deo ut adhæsionem omnem ad creaturas rescindas. Hæc est enim quæ mentem in suis curis, desideriis ac prævisionibus maximè illigat atque inflammat.

PROPOSITA.

1. MInimè terreri, cum mentis tuæ sollicitudinibus impugnaris, sed illas in quietis centrum, quod Deus est, reducere.

2. Alimentum & occasionem curis superfluis exactè ac prudenter rescindere.

EXAMEN.

SI plus justo de futuro, quasi à te dependente sollicitus sis; ac illud in Providentia, tanquam ad illam omninò attinens intuearis.

Si contentus sis quod in te est efficere; ac si rei successum divino beneplacito prorsus permittas.

Si desideria tua reprimas, quæ vanæ sollicitudinis radices sunt.

Fasciculus

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

OMnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; quia ipsi est cura de vobis. *1. Petr 5.*

Jacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet. *Psalm 54.*

Nihil solliciti sitis, sed in omni Oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Ad Philip. cap. 4.*

TERTIUS MODUS. III. MEDITATIO.

De Oratione.

1. NIhil est animæ magis naturale, quam Deus. Quò magis illum agnoscit & gustat, eò se sentit à Creaturis solutiorem: infinitam quippe inter Creatorem & Creaturam distantiam intuens, ad desiderandam, inquirendam, & consectandam illius unionem excitatur. Ratio suo instinctu, suóque experimento convicta optimè quidem novit quietem, gaudium felicitatémque tùm in præsenti, tùm in futura vita ab ipso solo posse obtineri; sed impedimenta occurrunt ab ea removenda, ut possit in ea cognitione, in eóque sensu crescere. Numquid tanto studio, quantùm illius interest, ad hæc debet incumbere?

Tria præcipua obstacula sunt: vana mentis nugis occupatio, inutilia colloquia; ac interioris sui inspectionis defectus. Hæc obstacula luto pennulam retinenti similia sunt; sed ubi soluta est, minimus illam venti halitus sursum elevat. Sic anima his obstaculis libera, supra Creaturas ad Creatorem se se attollit..

3. Ad hunc nos Deus volatum provocat, Orationis, ad quam nos adstringit, necessitate. Est quasi alarum plausus, quo ad illum evehimur; sed mirâ fortitudine prædita est ad tria hæc obstacula removenda. Cùm se quis ad orandum disponit, nónne tunc se à nugis separat, ut sua ratione utatur, & eam ad suiipsius cognitionem informet? Oratio nos ab inutili colloquio sejungit, ut Dei conversationem inquiramus, quæ ubi degustata est, cæteras facilè contemnimus.

Quomodo placere nobis potest puerorum, rusticorum, aut insanorum colloquium, postquam sapientissimorum hominum usi fuimus conversatione? Quid igitur mirum, si delibatâ Dei conversatione, mentis nostræ palato humana adeò insipida sit? unum ex ejus verbis corda liquefacit; quique in oratione solùm *appropinquant pedibus ejus,* quamvis non loquatur; *accipiunt* tamen *de doctrina illius.* Ad nos tandem Oratione redimus, ut cognoscamus quid Deus sit, & quid nos *Deuteron. 33. v. 3.*

sumus. Vides igitur manifestè simplici ejus praxi tria obstacula removeri.

4. Sed quemadmodum homines melius conversatione, quam quolibet alio modo nobis innotescunt; ita Deus Orationis conversatione meliùs cognoscitur, quam quibusvis aliis viis. Ipsum anima instinctu suo naturali agnoscit, & ad perquirendum illum attrahitur, non secus ac canes venatici subodoratis feræ vestigiis, illi acriter insistunt. Fide illum cognoscit, modo mentis crassitudinem expurgante, ipsam extollente, retinente, occupante, consolante, atque in admirationem conjiciente: sed Orationis conversatione fides & instinctus aluntur, & veritatem perspectam habent; ac in se quod ait Apostolus experiuntur:
Ad Hebr. c. 4. v. 12. nempe quod *vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs.* Idem Deo testamur, quod Sabæa Regina Salomoni; fatemúrque quidquid auditu percepimus, experientiâ superari.

5. Si anima igitur ad divinam, ut par est, conversationum aspiret, se brevi conspiciet humanarum conversationum ineptiis superiorem, ac nihil ei poterit jucundius accidere, quam seipsam colligere, ut cum Deo conversetur. Deus dixit Domum suam, Domum Orationis vocandam esse; cúmque in ea te collocârit; nónne ut vir Orationis sis.

Affectiones.

COnfitere Deo cum Davide animam tuam per corporis tui cœnum pavimento adhæsisse; & exprome coram illo cordis tui desiderium
Psalm. 54. cum eodem psalmista dicens: *Quis mihi*, Domine, *dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam* in te?

Dei bonitatem admirare, qui bona sua omnia Orationi committit, qui nobis concedit ut ipsum liberè & familiariter alloquamur, & qui dignatur conversationem cum hominibus inire tranquillo præsentiæ suæ sensu, qui animam in ipso penitus immersam distineat; ac intimis veritatis, quam illa intuetur, cui credit & quam miratur, impressio-
1. Reg. c. 3. nibus. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

Deo grates & laudes refer quòd eam tibi necessitatem ad ipsum per Orationem confugiendi imponendo indicium fit, se velle plurima tibi conferre. Agnosce omnem tuum statum, atque perseverantiam ab ejus gratia pendere; cúmque sine illa subsistere nequeas, vult ut petas, quia nihil, nisi petieris, ab ipso accepturus es. Tua verba, Domine, istud nobis afferunt.

Luc. c. 11. v. 11. Ibid. v. 13. Ibid. Cogita hæc tibi verba Christum proferre: si filius *patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Verum agnosce hæc tria simul ab eo conjungi : *petite, quærite, pulsate.* Dicque ex cordis intimo te paternitatis ejus arcanum demirari, quæ interpellari amat, quæque nos edocet petendum esse cum humilitate, quærendum cum assiduitate, & tranquillitate, ac pulsandum cum perseveranti fiducia, quæ nunquam repulsam patitur, &c. Ita est, Domine mi ; planè enim dixisti : Petite & dabitur vobis ; quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Hæc tria igitur, ô Redemptor meus, in oratione mea observanda sunt, &c.

In memoriam tuam revoca verba & sensus Cananææ, iisque rectè utere.

PROPOSITA.

PEtere à Deo gratiam in ejus conspectu inter orandum assistendi eo modo, quo præscribit & desiderat.

Hanc gratiam quærere profusis ante illum desideriis.

Pulsare per perseverantiæ fidelitatem.

EXAMEN.

SI Deum purè ac unicè in Oratione quæris nullâ tuiipsius habitâ ratione.

Si te non finis proprio sensu præoccupari quoad ea quæ ad Orationis tuæ statum spectant ; & si data super hac re consilia sequeris.

Si curiosæ variarum lectionum ac earum præcipuè, quæ de hac materia subtiliùs tractant disquisitioni te permittis. Nihil enim est quod animum de seipso magis occupatum detineat, nec quod magis eum disponat ad interiores status sibi attribuendos, quos non habet, ac nequidem, nisi imaginando, cognovit. In hoc solâ praxi docti efficimur.

Si tuam orationem examinas ex fidelitate in praxi, nihil reputans quàm quod te Deo magis fidelem præstabit.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

ORatio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur ; & non discedet, donec Altissimus aspiciat. *Eccli. c. 35.*

Elias erat homo similis nobis passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. *Iacob. 5.*

Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. *1. Ioan. c. 5.*

IV. MEDITATIO.

De suiipsius divino beneplacito dimissione.

1. CUncta creavit Deus ad majorem sui gloriam; cælum & terram implet, & *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Multum adstringimur ad nihil ejus consiliis detrahendum, nihil ejus gloriæ minuendum, ac nullam ejus decretis contrariam rationem proferendam. Quod perfectâ suiipsius abnegatione fieri solummodo potest.

Ad Ephes. c. 1. v. 11.

2. Nihil Deo poterat magis subjici, quàm nihilum ipsum. Numquid ex illo nos eduxit, ut illi minus subderemur, quàm cùm in illo eramus? Ejus Providentia ne momento quidem suam in nos curam effundere cessavit, necessitatibus nostris providit, subvenit nobis in omnibus; at si nos deseruisset, quid fuissemus? Jus igitur habet in nostram submissionem, jure optimo ac possessione. Nihil æquiùs est quàm se totum Deo permittere, nec quicquam in nostra derelictione sine injustitia reservare possumus.

3. Derelictio nostræ spei debitum est, quod illam ubique debet comitari. Videamus porrò quid à Deo per spem expectamus. Si omnia speramus, debemus utique nos omninò derelinquere: si enim nostra derelictio spei nostræ non respondeat, huic impedimentum afferimus.

4. Quid nobis ipsis sumus? quid in nos ipsos possumus? nihil igitur salubrius, utiliúsque accidere potest, quam nihili nostri miseriam derelinquere, ut in eo qui est omnia, auxilium, regimen, protectionémque inveniamus? sed hæc solâ derelictione possunt obtineri. Scriptura Deum orare nos docet, ut nos adjuvet, nec derelinquat. Experientiáque discimus, quanta sit nobis hujus auxilij necessitas. Nihil potest ejus, qui voluit nobis esse omnia, applicationem ad nobis in omnibus succurrendum magis promereri, quam perfecta suiipsius derelictio. Ipsum excitamus ad suam in nos curam extendendam, cùm nos ante illum quasi derelicti sistimus. Si eorum qui derelicti sunt magis, quàm aliorum miseremur; Dei viscera in animas, quæ omninò derelictæ sunt, pariter commoventur.

5. Hæc derelictio unica est pacis obtinendæ via. Quæ enim pax esse potest in propriis curis, desideriis, & propria voluntate? Omnia in his exigua, infirma, laboriosa & inquieta repetiuntur. At si Deus sit nobis omnia in omnibus nostrâ derelictio pacis quæ nunquam ab animæ intimo recedet, consolationem obtinebit. Nihil igitur possumus ali-

quando facere quod nobis magis utile, proficuúmque sit, quàm nos omninò Deo derelinquere.

6. Quid proficiemus, quicquam de nostra derelictione nobis reservando? siquidem cuncta fient *secundum consilium voluntatis Dei*. Jesus Christus perfectum hujus derelictionis nobis dare exemplum in cruce voluit, ubi justitiam, charitatem, & reservationum amotionem strictissimè exercuit. In derelictione mortuus est, inspiciamus, & faciamus secundum exemplar quod nobis in monte monsttatum est. Minúsne quam ille, Dei sumus nos?

Affectiones.

Confitere Deo tua omnia ex justitiâ illi deberi; & desiderium tuum illi expone omnia illi ex Charitate restituendi. Furtum, ô Domine, in gloriam, immensitatem, voluntatémque tuam committo, si quidquam de clientelari derelictionis meæ obsequio mihi reservo.

Hæc Psalmistæ verba coram illo ex corde repete: *in te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ, tu es meus protector.* Et ista: *pater meus & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Vide qua ratione illud erga te præstitit ex quo natus es, &c. Psalm. 21. v. 11.

Cum illo de tua spe colloquere; edissere illi quid ab ipso expetes, & attende quid tibi responsurus sit; ac crede nihil aliud fore, quàm perfectam derelictionem.

Fatere hoc æquissimum esse; illámque à te illi deberi non solum jure ac possessione, sed etiam in peccatorum tuorum luitionem. O Deus meus, se totum Jesus tradidit; se omninò dereliquit, ut justitiæ tuæ satisfaceret; sed quomodo? Quandoquidem nihil est in me quo tibi satisfacere queam, me ipsum saltem trado & ob debitam ejus derelictioni venerationem & ex officio, quo teneor tuæ misericordiæ quidquid possum offerre, sicut tibi quidquid sum debeo, &c.

Attentè considera quæ Deo David olim dicebat: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus,* Hæc verba ex animo profer, has veritates coram illo agnoscens: nempe, Psalm. 26. vers. 9.

1. Ejus voluntatis consilia sapientia & justa semper esse, & potestatem habere quod statuunt, exequendi; tua verò è contra ignara esse ac parùm rationabilia; quippe quæ gravibus erroribus obnoxia sint, ac nihil adversus divina possunt efficere. Quid sunt, ô Domine, tua consilia cum meis comparata? Quæ utilitas, quísve honor tuis se totum dimittere? &c.

2. Cum illo tanquam cum mercenario agi, si propter ejus duntaxat auxilia & non propter illius etiam beneplacitum, nos illi totos permittimus.

Effunde coram illo cor tuum hæc Jobi verba proferens: *Quis restitit* Iob. 9. v. 4.

ei & pacem habuit? ubi extra te pax illa reperienda est? & quomodò haberi potest, contra potestatem tuæ similem rebellando? &c.

Agnosce eum sibi dolores accumulare, qui contradicere, aut aliquid reservare intendit. Nostræ enim voluntatis repugnantia ad aliquid impediendum inutilissima erit, sed ad augendam afflictionem aptissima, magis ac magis iis, quæ illa invita accidunt, repugnando.

PROPOSITUM.

SE perfectè Deo in omnibus, sed præcipuè in statu nostro interiori committere. Davidem ausculta, & cum illo dic: *Nonne Deo subjecta erit anima mea; ab ipso enim salutare meum.*

Psalm. 61. vers. 1.

EXAMEN.

EXamina quo in statu sit tua voluntas, & vide utrum vitæ, sibiipsi, suæ cupiditati, cuilibet creaturæ, &c. adhærere velit.

Si vellet ut Deus aliquo illam tantùm modo attingeret.

Si non sponte consentiat, ut Deus de omnibus quæ ad illam spectant, ut pote eorum Dominus, decernat atque disponat.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Psalm. 10. TIbi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.

Psalm. 138. Quò ibo à spiritu tuo & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades.

Isai. c. 64. Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum; & Fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

V. MEDITATIO.

De Fiducia in Deum.

1. FIducia genuinus amoris fœtus est, quam in amato illicò producit: isque amori se opponit, qui illam ei denegat; amor vult agnosci cujusmodi sit, ac nihil magis optat, quam ut ejus sensibus quis consentiat; quod amorosâ fiducia fieri solum potest, quæ illum sibi copulat, eique eò gratior, jucundiórque est, quò major atque sincerior.

2. Hoc imprimis exigit, ac eo deficiente, nihil illi placere acceptúmque esse potest. Cum enim nobilis sit ac magnanimus, & omnibus benefacere, omnésque sibi unire intendat, non potest ad eorum nutum & arbitrium se accommodare, qui per fiduciam ad eum non accedunt,

ſed per diffidentiam ab exiſtimatione quam meretur ſe removent. Experientia ſatis innoteſcit, amorem ex diffidentiâ abalienari, contriſtari, & offendi; ac fiduciâ allici, & nutriri. Si amor divinus omnium amorum nobiliſſimus, perfectiſſimus ac excelſiſſimus eſt, quantùm, amabo, fiducia noſtra ad illum debet accedere, ut ejus ſe uniat voluntati, deſideriis, conſiliis; & exiſtimationi quam meretur, reſpondeat?

3. Ad hunc præcipuè finem nos creavit, ut fiduciam in illum habeamus: quandoquidem nos ita conſtituit, ut ejus amoris effectibus perpetuò indigeremus. Nihil igitur agere poſſumus quod ejus voluntati magis congruat, quam ei fidere. Vide quantùm ſe delectet in Cananitidis mulieris fiducia, & quantùm amet illam fiduciam irritare, ut magis eluceat; ſatis in hoc oſtendit ſe illam præ cæteris diligere.

4. Iſtud etiam fiduciæ efficaciâ comprobatur; à divino enim amore obtinuit quidquid ille concedere & communicare poteſt. Hic noſtram fiduciam prævenerat atque ſuperaverat; ſed placuit illi ſuis operibus, quæ naturæ ordinem mutarunt, ſuiſque ſermonibus nobis patefacere quantùm in illum poſſit fiducia. Omnia propter illam agit; tantíque eam facit, ut ejus poteſtatis effectus dignetur illi attribuere. Quid ergò poſſumus nobis magis honorificum quærere?

5. Nihil eſt animæ rationali ſuavius, quam in Deum fiducia; cum ejus curas & timores ſola poſſit temperare, & ad quietem reducere, illius clientelæ ipſam committendo, quem ſcit omnia poſſe, velle bonum omne agere; & ejus amorem in ſeipſam aſſiduè propendere. Fiducia potior eſt pars jucunditatis quæ in amore percipitur: illum attrahit, alit, & eamdem ad amorem, quam radius ad ſolem, relationem habet. Ipſa ſuo in centro naturali animam conſtituit ſuâ cùm ſuis inſtinctibus concordiâ, in quibus divinus amor imaginis ſuæ characteres delineando, fiduciæ in ſe ſimilitudines expreſſit, ut pote eorum exiſtens principium, felicitas & ſolus in neceſſitatibus adjutor. Eò tendit fiducia, ut anima in amore conquieſcat; amor expanſis brachiis animam recipiat. Quidquámne igitur ſuavius, utiliúſque in hac vita optari poteſt, quam veræ in Deum fiduciæ praxis?

Affectiones.

ILlas pro tuæ devotionis motu in hæc Jeſu Chriſti & ſacræ Scripturæ verba elice, & exiſtima teipſum his compellari.

Jeſus reſpondit mulieri quæ ſanguinis fluxum patiebatur, quæque intra ſe dicebat: *Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero: confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Matth. 9. v. 22.

In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mundum. Ioan. 16 v. 33.

Nonne quinque paſſeres veneunt diſpondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo? nolite ergò timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos; ſed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Luc 12. v. 6.

Matth. 6. vers. 25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cæli non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester pascit ea. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum.*

Ibid. v. 33. *Nolite solliciti esse, quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergò primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia sua.*

Matth. 8. v. 26. *Quid timidi estis, modicæ fidei? tunc surgens, imperavit ventis & mari & facta est tranquillitas magna.*

Ibid. c. 9. v. 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Ibid. c. 14. v. 31. S. Petrus in aquam demergitur, statim atque ejus fiducia minuitur. Jesus manum illi extendens, dixit: *Modicæ Fidei, quare dubitasti?*

Sap. 3. *Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem.*

Eccli. 32. v. 28. *Qui confidit in illo non minorabitur.*

PROPOSITUM.

TUæ fiduciæ augmentum statues apud Deum persequi desideriis, precibus, ac rejectione eorum quæ fiduciæ opposita sunt.

EXAMEN.

SI difficultates & tentationes repures, tanquam fiduciæ exercendæ occasiones.

Si tuis in defectibus te humilies, nihil inde in tua fiducia minuendo.

Si in Deo solo illam penitùs colloces; ac si hominibus illius solum habitâ ratione confidas.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

Psalm. 124. QUi confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.

Proverb. 3. Habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, & prudentiæ tuæ ne innitaris.

VI. MEDITATIO.

De Desideriorum expoliatione.

1. SI Deus naturale animarum nostrarum centrum est, supremum bonum, rerum omnium causa, nostrum principium & finis; hoc solum

ſolum deſiderare debemus, nempe liberè illius eſſe libertatis noſtræ tempore, ſicut ex reſpectu ad æternitatem illius neceſſariò ſumus. Quorſum alia deſideria intus foventur, cùm unum iſtud omnia complectitur, ac ſicut eſt deſideriorum cauſa, ita & finis exiſtit?

2. Ad quid porrò utilis eſt deſideriorum varietas? nempe ad diſtrahendum intellectum, & animam à ſua tranquillitate avocandam; illam ſiquidem à ſuorum deſideriorum centro removet, quod omnia continet, ſolum ſufficit, & extra quod nulla quies reperitur. Sed & illa varietas dubiam, fluctuantémque eam reddit; nec mirum videri hoc debet, cùm quies omnis extra Deum quæſita nihil habeat quod animam cum gaudio diù poſſit retinere.

Ad nihil valet aliud hæc varietas, quàm ut animam infidelem reddat & negligentem. Illam enim pluribus diſtinendo impedit, quominus *unico neceſſario* adhæreat. Numquid igitur eſt jactura temporis ſuperflua, & vana noxiáque occupatio?

3. Unum tantummodo poteſt perfectè ac totaliter amari. Amor & deſiderium neceſſariam inter ſe habent connexionem. Deus nos condidit, ut ipſum ſolum diligeremus, quandoquidem ex tota anima noſtra, & ex totis viribus noſtris à nobis diligendus eſt. Extra illum amorem, inquieta ſunt omnia. Si deſiderium quamdam cum amore proportionem habere debet, cùm jam ſit neceſſaria inter utrumque relatio; quomodo poterit proportio hæc fieri, ſi quidpiam aliud cum illo cupiamus? Res eſt planè inutilis aliò quærere, quæ in uno collecta reperiuntur. Sed & ille omnia in extremum diſcrimen adducit, qui deſideria ſua extra Deum abire permittit. Quamvis aliud ibi reperiremus, numquid cum D o poteſt comparari?

4. Meritò igitur quævis alia, quam de Deo deſideria, animæ ſupplicia ſunt; dum eam huic implicat quod ab ipſa non dependet; quódque ante illam, quemadmodum ante canem avicula evolat, quam indefeſſo, ſed irrito labore inſequitur. Hæc comparatio, æquè ac Icari, cujus alæ cereæ ad ſolem liquefactæ ſunt, fabula, deſideriorum vanitatem & cruciatus graphicè tibi repræſentant.

5. Deus, omnium Dominus eſt, nec deſideria, niſi illo volente, expleri poſſunt. Quid igitur prodeſt animo hic deſideriorum æſtus, niſi ut privationis miſeriam eò acerbius illa perſentiat, quò ſuum omnem laborem, ſollicitudines, operámque incaſſam, atque inutilem, ad iis perfruendum conſpicit? Sua ſequi deſideria, furorem in rationem inducere eſt, ipſámque in eo nutrire. Verúmque illud eſt quod vulgò dicitur, multa deſideria multos labores, pauca minores, nulla quietem cauſare.

Affectiones.

Psalm. 37. Effunde cor tuum ante Deum cum his Davidis verbis : *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus :* & hæc vanis cordis tui desideriis applica, de quibus vis potius dolere, quàm gaudere. Cor meum, Domine, ante te pono, ut qualibet alia, quam tua desideria ab eo ejicias, &c.

Confitere illum esse debere tuum unicum desiderium & in tempore & in æternitate, ac eodem, quo David, animi sensu dicito : *Quid mihi* Psalm. 72. v. 24. *est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*

Desideriorum tuorum vanitatem, & molestias quas tibi pepererunt, perpende, ac coram Deo agnosce mirandum non esse quòd religiosæ animæ tranquillitati adeò contraria sint; si quidem eum statum sponte amplexa est, quæ ipsam tot desideriorum necessitate liberat, modísque ea adimplendi. Satis supérque experientia nos edocet hujusmodi desideria non posse intùs foveri, quin animam fatigent, ac voluntatem corrumpant, phrenesim sensim producendo huic non absimilem, quâ nonnulli quod esse non potest stolidè desiderant. Fateor igitur, ô Domine, si desideria ista non reprimantur, huic vermiculo similia Ionas c. 4. esse qui gratam illam hederam sub quâ Jonas lætus quiescebat, nocte unâ arefecit.

Prov. 21. v. 25. Confitere à sapiente rectè pronunciatum fuisse, quod *desideria occidunt pigrum.* Eorum enim diversitas, in spiritualibus, in ignaviam facilè animas conjicit. Ignorant quod sequantur, ô Domine; & ab humilitate, & sancta in te fiducia recedunt, in te, inquam, qui præsidium earum unicum es, & in quo desideria omnia debent liquefieri, ut ad solum adimplendæ tuæ voluntatis desiderium redigantur. Nihil igitur mirum est, si animæ istæ infirmæ, inordinatæ, &c. efficiantur.

Toto corde illum deprecare, ne sinat te ex iis esse quibus minatur Ad Rom. c. 1. v. 24. eos se *in desideria cordis eorum* traditurum. Quid de me fieret, ô Domine? Istud ex animo profer, perpendens quo tua te desideria possunt abducere, &c.

Expende coram Deo istud D. Pauli verbum : ut non ambulemus *in* Ad Thess. c. 4. v. 5. *passione desiderij.* Hæc desideria passiones commovent, ad tempestates & naufragia excitanda. Ergò, Domine, nisi perire velimus, nostris desideriis invigilandum est.

PROPOSITA.

Rerum inutilium desideria rescindere ac nihili facere.

Quæ bona nobis videntur, ad indifferentiam redigere, ut uni-

cum nutriamus in nobis sanctissimæ Dei voluntatis desiderium.

EXAMEN.

ILlud facies in eadem proposita, tuísque in desideriis animadvertes, quod ab unico necessario aberrat.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

EXtollentiam oculorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte à me. *Eccli. c. 23. v. 5.*

Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. *Isaiæ c. 26. v. 8*

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. *Psalm. 118.*

VII. MEDITATIO.

De accuratâ Regularum observatione.

1. REcOrdare te Dei totum jam fuisse cùm te pro infinitâ benignitate suâ è sæculo assumpsit, ut ejus te periculis extraheret, auxilium afferret, ac officium tibi daret. Officium hoc est status religiosus; cujus regulæ sunt opus ab ejus gratia tibi injunctum, cùm ad religionem te adduxit. Opus, inquam, tibi indicavit, cui te in sua domo destinabat; cum eo transegisti, te admisit: nónne æquum est ut exequendo operi tuo incumbas cum studio, ac respectu electioni de te factæ respondente; efficiásque ut Domino tuo in ministerio ad quod te vocavit, fideliter servias? Porrò illud fieri non potest, nisi in observandis tuis regulis te studiosum accuratúmque exhibeas. Numquid *spiritui gratiæ contumeliam faceres*, venerationem ac fidelitatem denegando, quæ debentur ei qui suam gratiam eo tantùm fine nobis concedit, ut fidelitate nostrâ nostrum erga illum amorem ostendamus? *Ad Hebr. c. 10.*

Hac denegatione quamtumvis parvâ, si voluntaria sit, magnam Domino servus contumeliam facit.

2. Deus te vocando gratiam suam ex justitia & charitate se tibi daturum esse obstrinxit. Ex charitate quidem, quia ex puro illius erga te amore in servorum suorum numerum assumpsit. Ex justitia verò, quia cùm opus naturæ vires exuperans tibi injunxerit, ad suppetias tibi ferendas se pariter obligavit. Vis quoque te illi professionis tuæ votis adstringere. Promissis ille certò certius stabit; at si tua negligenter persolvas, valdè timendum est ne ipse à te recedat, & quò te longius averteris, auxilia sua submoveat. Ah quid futuri essemus, si nobis ipsis nos dimitteret, cùm *nostriipsius* miseriis non exuimur, nisi

in quantum divinis auxiliis conjuncti permanemus? Oneris quidem pondus remaneret; sed auxilij unctione ob animæ infidelitatem subtractâ, quo in statu tunc illa versaretur? certè ruinæ suæ proxima esset.

3. Jesu Christi jugum gratiâ suave, eóque suavius efficitur, quò magis ejus unctio augetur. Hæc est quæ vires impertit, ac inter voluntatem & statûs religionis munia proportionem statuit; & iis ritè defungendi facilitatem confert. Hac proportione benè servatâ & auctâ accurato observantiæ studio, nihil in ipsam dolores, infirmitates, inimici tentationes negligentiâ animæ parum fidelis ad illam tentandam incitati, lapsus, ac denique tædia prævalent; sed & parandis victoriis inserviunt: cùm è contrà anima minus vigilans & accurata, quæque naturæ suæ motibus obsequitur, omnibus his miseriis subjacet. Numquid igitur magnam erga teipsum charitatem exerces, cùm gratiæ robur conservas, & magis magísque attrahis tuâ ad opus quod tibi injunxit, fortiter perficiendum accuratione?

Affectiones.

Ad Galat. c. 6 v. 7. Pondera coram Deo hæc Apostoli verba: *Nolite errare, Deus non irridetur.* Confitere justum esse ut hoc non patiatur; ac ejus admirare bonitatem, quæ nihilominus tantam negligentiam tamdiù sustinet. Vbi terrarum, ô Domine, quisquam reperiatur Dominus, qui tantâ erga servos, quantâ tu erga nos indulgentiâ uti possit, &c.

Ioan. 15. Hæc etiam Christi verba in memoriam tuam revoca: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Illa tibi applica, & gratias illi age de concessa tibi misericordiâ, quâ suum in te amorem ostendit; voluítque ut illum vicissim diligeres, ad amoris sui exercitia te ex mera charitate convocando.

Illum instanter deprecare ut quandoquidem huc te manu suâ deducere dignatus est, ita te sibi obstringat, ut nunquam *ejus gratiæ contumeliam facere possis*; & hanc ob rem te totum ejus voluntati permitte.

Dic illi cum fiducia, ejus charitatem ad tibi suucurrendum se se obstrinxisse, & hoc intuitu illius in sinum te projice, illíque declara tui curam peculiari modo ab eo igitur esse suscipiendam.

Psal. 26. Dic lætabundus & exultans in hoc cælestis patris sinu hæc Psalmistæ verba: *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Tuæ professionis vota recogitans, dic te ab ejus gratia fidelitatem sperare, &c.

Agnosce quantùm tenearis accuratum esse in exhibendo quod à te expectat obsequio; ac præteritarum negligentiarum veniam pete.

Confitere illi jure meritò miserrimi hujus *tui ipsius* destructioni tibi allaborandum esse, non solum quia totus esse Dei debes; verùm etiam

quia causa est tuorum dolorum omnium, ac multorum, quibus te quotidie exponit periculorum. O Domine, infelix hoc *nos ipsi*, est quasi baculus arundineus, cui si innitamur mox in manibus confringitur, ac nos cruore inficit inæqualibus ejus fragminum aculeis. *Isaia. v. 6.*

Agnosce solum hoc *nos ipsos* asperum reddere jugum Christi suavissimum.

PROPOSITVM.

PRopone te in ejus honorem istud *te ipsum* destructurum, ut statui tuo, & ejus circunstantiis omnibus inserviat: non solum quia id à te exigit; verum etiam quia nihil in his nisi eximium & magnum est, & omnia ad sanctissimam ejus voluntatem attinent.

EXAMEN.

Si quæ tuis in regulis continentur, quasi mandata à Deo tibi data existimes.

Si nullam ex his coram secularibus vel pudore, vel humano respectu omittas.

Si eas semper observes, nisi vel obedientia, vel necessitas, vel charitas te iis eximant.

Si tuis in infirmitatibus illas custodias, quæ sanitatis tuæ restitutioni officere non possunt.

Fasciculus ex Sacra Scriptura.

QVi timet Deum, nihil negligit. *Eccl. c. 7.*

Conserva, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. *Prov. c 6.*

Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege. *Mat. 5. 18.*

INCENTIVA

Vt Dei simus absque ulla exceptione, aut reservatione.

MEDITATIO. I.

Quod Dei esse debemus absque ulla exceptione.

1. QVid Deus per se ipsum à nobis non meretur, cùm sit totus bonus, totus Sanctus, totus magnus, totus sapiens, & omnipo-

tens. Quid habemus, aut facere possumus quod ei non debeamus; cùm sit Deus noster? Nihil excipitur in his, quæ ab eo habemus; totum enim ab eo procedit. Itaque infinitè meretur, ut illius simus absque ulla reservatione, & omnibus ejus voluntatibus consecrati, quæ totum vitæ bonum complectuntur.

2. Consilia ejus super nos æterna sunt, adoranda, paterna, & necessaria, & ex proposito creavit nos ad suam gloriam, útque amori & voluntati suæ faceret satis. Non ergò dedit tibi esse & quælibet alia nisi cum hoc intuitu, ut per amorosum reversum, omnia ad eum referres absque exceptione, totúsque illius esses; alioquin aliquid in te creasse consequeretur propter alium quàm seipsum. Ad hunc tantùm finem & propositum adimplendum amandi facultatem & propensionem ac libertatem tibi concessit. Ejus ergò proposito oppositus esses, si erga illum aliquam reservationem velles admittere.

3. Non potes conqueri quod te pro seipso fecerit, nihílque tibi reservandum dimittat. Enim verò te pro se creando, fecit quidquid poterát tibi utilius & honorificentius esse, cùm sic te pro supremo bono fecerit, & ut cum ejus amore plenam relationem & unionem haberes. Quid unquam melius desiderare potes? Num speras eum totum tibi fore in æternitate, ita ut nihil præter ipsum tunc habeas? Cur ergò renues incipere totum illius esse in tempore?

Num erga te reservatione usus est Christus in salutis tuæ operatione? Nihil omninò sibi reservavit propter tui amorem, nec bona, nec honorem, nec delicias; imò nec vitam. Quam ergò unquam rationem habere potes volendi aliquam reservationem erga eum admittere? nónne sic te gerendo injuriam ejus meritò propositis, & operibus pro te peractis irrogares? Considera an quidquid potes ei dare, æquiparari unquam possit his quæ ab eo recepisti? sed attende ad ea quæ incessanter pro te facit. Aliquídne reservat in concursu continuo, quo indiges, ut vitâ naturali vivas, & in influxu auxiliorum gratiæ, ut in vita morali perseveres? Si aliquid inde exciperet, quid de te fieret. Quare ergò erga eum vis aliquid reservare?

Affectiones.

Coram Deo agnosce ejus meritum incomprehensibile esse, ejúsque infinito meritò tuum redde clientelare debitum de toto quidquid es, aut habes, & fatere te nihil posse inde reservare absque furto, ingratitudine, & voluntatis inordinatione. Ex corde ista Scripturæ verba pronuncia: *Tua sunt Domine omnia, & quæ dedisti nobis, damus tibi.*

Fatere ejus consilia tibi debere esse æquè pretiosa ac amabilia. Quippe quæ tam utiliter circa salutem tuam assumpta sunt; salus enim

tua involuta est in gloria quam de te vult sibi facere, bene tibi in æternum faciendo. Heu, Domine, nónne in meipsum crudelis essem & insensatus, si tuis propositis quicquam obicis ponere vellem, &c.

Agnosce quod aliquid tibi velle reservare quasi tuum esset, non Dei, esset profectò sese consiliis ejus opponere, à Deo pacato exire & ad Deum iratum accedere. Nam, ô Domine, quidquid agamus, intra tua consilia & proposita semper inclusi remanemus.

Magnam committerem injustitiam, ô Domine! Hæc enim reservatio fieri tantummodò potest vel de aliquâ mei parte, vel de aliquâ creaturâ. Si de me agitur, totum me tibi debeo; si de creaturis, tuæ sunt. Quo ergò jure possum illas à te retrahere, ut mihi attribuam.

Applica tibi quidquid Christus egit in vita mortali illúmque ausculta quasi dicentem tibi: vide qualiter ipse me propriis bonis privavi propter te, honoribus, &c. Sic percurre quicquid egit & etiam nunc agit propter te. Responde illi ad singula, & vide si tanta polleres audacia, ut circa aliquam rem respondere, nihilominus hunc vellem mihi reservare honorem, aut voluptatem; aut hanc mei existimationem, vel quid simile, &c.

Compara quæ facere dignatus est, cum his quæ agis, & in nulla re ei coæquari valens, firmiter propone te deinceps ejus futurum esse, nullâ scitè & voluntariè admissâ reservatione.

EXAMEN.

ILlud fac circa creaturas; & considera an aliquid inde velis tibi reservare.

Fasciculus è Sacra Scriptura.

BEnedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Psal. 102.*

Nemo nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur Domino morimur; sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus. *Rom. 14.*

Estote imitatores Dei, sicut Filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. *Ephes. 5.*

MEDITATIO SECUNDA.

Dei esse absque reservatione.

1. TRita amoris experientia satis demonstrat quàm ingrata ei sit reservatio. Inde enim vel dolorem patitur, vel fastidium incurrit,

& quò amor major est & nobilior, eò ampliùs inde offenditur. An amori Dei hoc tædium, hoc fastidium inferre velles? Numquid timeres ne ex fastidio à te illi illato se retraheret, tuæque tepiditati te relinqueret? Unde, si in aliquid reservando perseverares, tepiditas ipsa sic augeretur, ut ad te evomendum incitaretur. In tanti mali periculo velléfne vivere?

Apocalypsis 3.

2. Propriam animam interroga, & vide quoties convicta fuerit de illa obligatione, quâ Dei esse tota tenetur, & de utilitatibus, quæ inde ei eveniunt. Enim verò hi quibus majores & frequentiores gratiæ motus concessit, unde convicti fuerunt id à Deo ab eis requiri, majorem quam alij, ejus amori irrogant injuriam, cùm id sit ejus sollicitationibus & requisitionibus repulsam dare, quâ ad se etiam circa eos reservandum provocetur. Ecquid scis in quanam re ejusmodi reservationem faciet? an non in aliqua re, unde ex privatione alicujus specialis gratiæ auxilij, magnæ spiritus afflictiones & pericula enascentur?

3. Si aliquid tibi reservare velis, id ex solo privato amore facies, qui amor inconstans, miser & nihili tantùm est, non habens unde sibi ipsi possit facere satis. Miser nihilominùs ille amor per unam reservationem opponit se ei quem Deo debes, & impedit quominùs adimpleas magnum illud præceptum de diligendo Deo eo modo, quo in hac vita impleri potest. Quantam ergò incurris jacturam cùm deviando à via quæ ad perfectam hujus præcepti observantiam deducit, teipsum prives hujus amoris augmenti incomparabilibus divitiis, qui solus animæ tuæ consolationem, pacem & libertatem tribuere potest.

Affectiones.

Malach. 3.

PErpende ista Prophetæ verba. *Laborare fecistis Dominum in peccatis vestris*, & dic Deo te facilè capere quantùm infidelitas, aut reservatio onerosa sit amori ardenti & benefico, sicut ejus amor est. Agnosce in voluntate contrita injurias, quas eidem amori per utrasque à te commissas irrogasti.

Psal. 147.

Accipe ista Davidis verba tanquam ad te directa *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit*; Et effunde cor tuum ante conspectum Domini, ei gratias agendo quod erga te non refriguerit, sicut tu erga eum, & orando, ut istius frigoris rigorem à te avertat, &c.

Ad Hebr. c. 12.

Dic ei quod gratiâ ejus adjuvante firmiter proponas vitare reservationem, ex qua voluntatis tepiditas nascitur. O mi Deus, non mirum esse debet si gratiæ tuæ effectibus opponatur, cùm scripturâ docente ignis consumens sis ex quo reservatio materiam retrahere volendo, frigiditatem & imperfectionem sibi accersit, frigiditas animæ instinctum fatigat: imperfectio verò debilem efficit. Justum est ut per ea, quæ reservare nobis voluimus, puniamur.

Expone

Expone Domino quod ipse D. Petro dixit usque ad septuagies septies ignoscendum esse. Confitere te multoties eum fastigasse, toties resumendo quod ei dare gratia ejus tibi inspirabat, & te sollicitabat, sed te optimè nosse illum plus facere quàm docuit, hàncque cogitationem in anima dilatare stude; &c. Agnosce coram illo, teipsum sæpe sæpius tuarum pœnarum causam esse, illúmque tuâ culpâ moveri ad avertendam faciem suam à te, ut cum dolore experiaris quàm dura sit luminis ejus Eclipsis. O Domine, debeóne aliquid de me à te retrahere, cùm tam acriter me punire valeas ex una intuitus tui retractione, & quicquid à te procedit omne pretium superet? &c. *Matth. 18.*

Ad quid tibi valuit tuiipsius amor, coram eo recognosce. Heu, Domine, quid inde lucratus sum? quid ibi reperi? &c. Et firmiter propone te nunquam amplius privatum tui amorem auditurum in ejus præjudicium, quem ei debes, quíque divitias tuas & felicitatem componit. Protestare te illius futurum esse absque ulla exceptione.

EXAMEN.

Illud fac circa tuiipsius amorem, & bonam opinionem; & attentè considera, si in hac re tibi aliquid velles reservare.

Fasciculus è Sacra Scriptura.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Ioannis 3.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. *Matth. 22.*

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Ad Rom. 5.*

MEDITATIO TERTIA.

Dei esse absque reservatione.

1. QUæ & qualis est res ista, quam sive in te, sive in creaturis vis reservare? attentè illam considera & perspicies illam esse modicissimam; imò materiam contradictionis & afflictionis tantummodo esse. Etenim adhæsio voluntaria alicui rei, id aut nunc, aut posteà producet. Ergó-ne pro re tam exigui momenti, quam Domino denegabis, velles eorum felicitatem perdere, qui plenè Dei sunt, tibíque amaritudinum & afflictionum causas accersere? O quantùm se decipit amor nostri, cum sibi indulgere volendo, tantùm sibi infert damni.

2. Quod Deus optet ut ejus simus absque ulla exceptione, non tan-

tum ex fide cognoscitur, sed etiam per aperta testimonia ab eo data quantùm gloriæ & honoris ei exhibeat anima quæ vult plenè & perfectè illius esse. Dixit S. Teresiæ se plus honoris ab una ejusmodi anima, quàm à quingentis aliis recipere, quæ in virtutis mediocritate sunt. Facilè est istà convinci veritate, Deumque id quod ejus similitudini, amori, consiliis & desideriis propinquius est aliis præferre, ex comparatione ab egregio pictore desumpta, quem magis delectat intueri egregie pictam effigiem, quam quingentas mediocres.

3. Quid in hac vita habes pace animæ pretiosius? At cognoscens tùm fide, tùm attractu gratiæ, tùm rationis lumine Deum velle, ut totus ejus sis, & sciens quâ justitiâ & obligatione ad id tenearis; si recusas id velle cum proposito laborandi ad id efficaciter exequendum, nunquam verâ animæ pace potieris. Semper senties intimam increpationem infidelitatis continuæ, sicque ex tua reservatione afflictionem tantummodò recipies, quam hac tuæ infidelitatis punitione semper aspersam invenies. Velléne ergò viam pacis deserere, ut te in unius reservationis gratiam punitionis dolori traderes.

Affectiones.

Reminiscere coram Deo historiæ Esaü, qui primogenita sua vendidit pro lentis edulio; eamque applica animæ, quæ pro vili reservatione deserit honorem, quo fruuntur hi qui plenè Dei sunt.

Quàm carè luit Esaü illud del ctamentum! nec illius lachrymæ à Patre obtinere potuerunt, ut mutaret sententiam, solâque de pinguedine terræ benedictionem inde reportare potuit, plenâ benedictione in Jacob remanente, qui pro suarum lentium parte libenter relictâ, amplam Patris sui benedictionem retulit. Quale exemplum, mi

Gen 26. & 27. Deus! Reservatio his lentibus minor est; sed quid amitto ei inhærendo, quid acquiro eam deserendo? &c.

Fatere eos qui à felicitate ad eum plenè pertinendi se retrahunt, ut rei à se exceptæ inhæreant, illud mereri improperium filiis Israël incussum de gloria sua in Idolum mutata. *Et mutaverunt gloriam suam,* inquid David, *in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

2. Mach. 6. 7. Memineris junioris illius Machabæi, qui in exquisitissimorum suppliciorum medio suos solabatur dolores recogitando & dicendo quod Deus in servis suis consolabitur. Et si non potes eum felicem non existimare quod tanto honore dignos sensus & affectus habuerit, te vecordem & insensibilem esse agnosce, si recuses Deum consolari (ut verbis ejus athletæ utar) miseram reservationem deserendo, ubi de ferendo supplicio non agitur, &c.

Luc. 6. Attende istis Christi verbis: *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.*

Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, & annuntia Regnum Dei. Luc. 9.

Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est. Audi Prophetam hæc verba Deo dicentem: *Expectavimus pacem & non est bonum & tempus curationis & ecce turbatio.* Et statim hujus rei causam subdit: *Cognovimus, Domine, peccata nostra, iniquitates nostras, quia peccavimus tibi.* Idipsum applica reservationi; etenim ei etiam convenit, &c. Matth. 5. Ierem. 14.

Deum mirare quia in anima tua suæ similitudinis characteres posuit; sed amplius mirare quod in teipso posuerit characteres probantes quid tu illi debeas & quid tibi esse debeat, id est totum.

Agnosce, quod quicquid agas, ut te intra exceptionum ambages abscondas, semper, & ubique ei innotesces, bellum inrestinum & pœnæ militabunt in te. Fugitivus, quem propria persequitur conscientia, nullibi requiem invenit. Optimè dixit, ô Domine, servus tuus Augustinus: *Fecisti nos ad te, Domine, & inquietum erit cor nostrum donec requiescat in te.*

Confirma ergo te in proposito, ut perfectè illius sis, & absque ulla reservatione.

EXAMEN.

Illud exerce circa propria commoda, & considera an quædam tibi velis reservare.

Fasciculus è Sacra Scriptura.

Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Psalm. 30.
Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Levit. 11.
Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Corinth. 6.

MEDITATIO QUARTA.

Dei esse absque ulla exceptione.

1. Objicere fortitan posses certamen, quod contra teipsum ineundum est, ad nihil tibi reservandum; at si attendas vitam hominis militiam esse super terram, & necessarium tibi certandum esse, ut te secundum rectam rationem geras, perspicies neminem per reservationem posse à pugna eximi. Numquid inclinationes naturales rationem absque ordine & mensura vellicant? num renitendum & pugnandum, ut eis non consentiatur? In hac ergò pugnandi necessitate, procurandum tibi est quicquid utilius censetur, ut non vincaris. Nihil

autem tibi utilius esse potest, quam cujuslibet exceptionis resecatio. Affert enim quicquid hostibus tuis se potest adjungere, & abundans in te gratiæ attrahit auxilium. Potéstne ergo isti necessitati cautiùs provideri. Quod operosius est, in ipso proposito semel assumpto consistit. Fit enim à Deo quod superest.

2. Nihil hominibus utilius esse potest, quàm spiritualis pugna, ut par est, commissa. Cum enim nihil pretiosius habeant quam seipsos, quicquid superest, nihili est æstimandum, nisi se possideant. Hâc autem pugnâ ea acquiritur possessio; sed pugna quæ contra reservationes fit præ aliis utilis est. Enim verò libertatem animæ omnibus superiorem efficit, expellendo quicquid eam retinere potest, aut inter se, & Deum interponere, &c.

Matth. 9. 3. Si Christus centuplum promittit his qui reliquerint patrem & matrem, parentes & facultates, quid eis non concedet qui seipsos absque ulla exceptione propter eum relinquere parati sunt, quique sibi vim inferunt ad implendum quicquid ab eis vult? Quid in hac vita magis consolatorium desiderare potes, quàm auxilia gratiæ, quæ fidelibus animabus concedit? Inde centuplum illud componere solet. Quæ comparatio inter commodum ex reservatione proveniens, & consolationem spiritus?

4. Quid gloriosius agere potes, quam pro Deo certare & in teipso destruere opprobrium peccati, quod gloriam tuam enormiter læsit, te ad sensus bestiales redigendo. Atqui quicquid tibi reservare velles his sensibus faveret, téque alio modo oppugnaret. Ergo cùm decertare necesse sit, & decertando aliquem ferre laborem, cúmque pugna spiritualis tam utilis & proficua sit ad Dei gloriam & ad tui ipsius honorem reparandum, numquid melius tibi est aliquid pati pugnando & laborando secundum Dei propositum, adjutus ejus auxilio & consolatione, honoratus ejus præsentia & complacentia, quàm pati non audendo reservationem aliquam aggredi, quæ alio modo contra te belligerabit?

Affectiones.

CONsiderando coram Deo necessitatem in qua positus es inclinationes tuas oppugnandi, tibi ipsi hæc Davidis verba applica, & *Psal. 143.* ejus sensus tibi assumere satage: ***Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum: susceptor meus & liberator meus. Protector meus, & in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.***

Verba ista attentè pondera, & ea certamini tuo spirituali applica. O Domine, si ab istorum verborum sensu recedo, nullam debeo sperare victoriam, sed si juxta eorum mentem laboro, omnia perficiam &c.

Fatere Deo, qui in hac pugna totum tibi esse debet, te non meriturum ab eo adjuvari in his quæ tibi ex parte alicujus reservationis obveniunt, si aliquam velles facere.

Ista Christi verba considera *Quid proficit homo si lucretur universum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat*, & fatere nihil verius esse. Expone illi experimenta quæ te hanc veritatem, satis superque docuerunt, & pete ab eo auxilium, ut in ea non reincidas. *Luc. 15. 9.*

Dic ei jam te non amplius mirari, si pro mercede discipulis suis ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Hæc enim possessio rationi suavior est, quam totius mundi dominium. *Luc. c. 21.*

Compara suavitatem consolationum ejus & gratiarum cum cæteris quæ sensus externos afficiunt, & fatere vel minimam micam consolationum ejus centuplò quibuslibet mundi oblectamentis præcellere. Temet ipsum coram Deo, dementiæ & infidelitatis tùm erga eum, tùm erga te reum agnosce, si quem obicem ponas ejus consolationibus per aliquam reservationem, &c.

Ista Sanctæ Scripturæ verba attentè considera de viro probo dicentis: *Certamen fortè dedit illi ut vinceret & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Vide quid Deo responderes, si id ipsum tibi proponeret. *Sap. c. 10.*

Suavitatem consiliorum ejus inde profundè adora, quod ad id tantùm certamen nobis offerat, ut de labore pro ejus gloria suscepto honoremur, ut victorias reportemus; & experimento noscamus quanti pretij & meriti ejus gratiæ auxilium nobis sit.

O Domine, ergóne ero de emasculatis illis qui è prælio fugere quærunt, aut certandi occasiones vitant sub prætextu per aliquam miseram reservationem se compensandi. Promitte illi nunquam id te facturum.

EXAMEN.

ILlud fac circa professionis tuæ officia, & vide si quid ibi sit, quod non totum Dei sit.

Fasciculus ex sacra Scriptura.

TUus sum ego salvum me fac. *Psalm 118.*

Præparate corda vestra Domino & servite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim. *1. Reg. 7.*

Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis. *Isaia 26.*

MEDITATIO QUINTA.

Quod Dei esse debemus absque ulla exceptione.

Ad Rom. 11.

1. S*Ine pœnitentia sunt dona Dei,* ait Divus Paulus, id est nunquam pœnitet eum de donis nobis concessis; at peccata nostra sine pœnitentia remittere non potest; nam ordinem justitiæ, & perfectionum suarum destrueret. Ergò eligendum est, aut pœnitentiam in hac vita agere cum lenitate & facilitate, aut in alia vita per magnas pœnas. Itaque si volumus veram pœnitentiam agere; numquid justum est ut ei adsit propositum actus deinceps peragendi qui dolorem nostrum manifestè testentur, qui destruere tentent si possibile esset ea delicta quæ in Deum commisimus, & qui saltem voluntariis privationibus & pœnalibus exercitiis generosè susceptis ea puniant.

2. Ad quem usque gradum ingratitudo & negligentiæ nostræ atque inordinationes non pervenerunt? In actionibus & officiis quæ Deo debes, aliquáne reperitur species in qua non peccaveris. Cum ergò in omnibus deliqueris, quæ diligentiâ convenienti & possibili reparari debent; numquid justum est, ut in nulla specie quicquam tibi reserves? Tantum abesset, ut reparares præterita, ut in novam culpam incideres, qui reparationis diligentia in omnibus speciebus debitor es. Sed vocationis tuæ gratia novis te titulis ad id præstandum adigit. Cùm enim te feliciter persecuta sit, ut ad suam obedientiam reduceret, ac te subjugando saluti tuæ providerit, te ipsum integrum illi debes, tùm ratione naturalis officij, tùm ratione tributi manui ejus victoriosæ debiti.

Nihil agere potes quod pœnitentiam tuam perfectiùs adimpleat, quàm qualiumcumque reservationum repudium; etenim nihil tibi reservare volendo, animo puniendi quod tibi ultra modum concessisti; te totum reddis ei cui jam mille modis te ipsum debebas. Condemnas sic quidquid pro Deo non fit, nihilque excipiendo mulctam honorariam ei præstas, tibi ipsi plura denegans, ut eum de te vindices. Potésne quicquam pœnitentiæ agendæ convenientius eligere, ac nutriendo, augendóque conversionis tuæ spiritui utilius?

Affectiones.

EFfunde cor tuum ante conspectum Domini recognoscendo quantùm ad pœnitentiam agendam astringaris; omnia ad id te urgere, ejus bonitatem, amorem beneficia, patientiam; ita ut quicquid agere possis & quamdiu, nihil sit, si cum magnitudine tuæ obligationis comparetur.

Æmulare sensum Davidis, cùm Deo dicebat, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, quod mihi ingratitudinem meam incessanter improperat. *Psalm. 50.*

Intuere pœnitentiam quam ipse Christus pro te peregit, & fatere quod si etiam posses à pœnitentia agenda eximi, dura illa quam pro te egit ad pœnitentiam agendam ex amore deberet te compellere. Peccata mea in Dei Filio per crucem punita sunt, & ego quiescam, nec in meipso ea punire curabo quorum autor ipse sum? &c. Hæc Davidis verba cum admiratione & fiducia pronuncia oculos injiciendo in omnium specierum peccata à te commissa: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.* *Psalm. 129.*

Applica tibi omnes circuitus ovis quæ erraverat, & Christo omnes boni Pastoris qualitates, qui dedit animam suam pro te, qui te longè abductum quæsivit, qui te in suum ovile inclusit. Agnosce te obligatum ad ei totaliter esse devotum & proprium: quippe qui ab eo solo potes totum expectare, nutrimentum, defensionem, & ducatum. Ovesne, ô Domine, quid sibi proprium habent? nónne totum Pastoris est? Si me tam care emisti & recuperasti, quantùm & qualiter tuus esse debeo, &c.

Cogita Deum, post improperatam injustam divisionem à te perpetratam, plura tibi & creaturis dando eorum, quæ ipsi soli debes, hæc Prophetæ verba tibi pronunciare. *Coangustatum est stratum & pallium breve utrumque operire non potest.* Inde electionem tuam facito ejus amorem unicè recipiendi, nihil reservando quod non illius, aut propter illum sit? Eum obsecra ut cor tuum dilatet ad eum latiùs excipiendum ac propone pœnitentiam tuam omnium reservationum eliminatione nobilitare. *Isaia 28.*

EXAMEN.

Illud perfice circa quoslibet eventus qui in vita occurrere possunt, & vide si in his totum Dei esse proponas.

Fasciculus è Sacra Scriptura.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Psal 102.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus,

CONCLUSIO

Præcedentium Meditationum per quasdam considerationes super hæc Divi Pauli Apostoli verba.

Ad Ephes. 4. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis.*

NUlla verba fortiora & teneriora ad corda movenda in sua Charitate reperire poterat Apostolus, qui supplicatione sic utitur ad obtinendum eorum quæ magis necessaria nobis sunt, implementum; & catenarum suarum considerationem objicit, ut indeflexibiles efficiamur ad id præstandum quod à nobis desiderat. Rationi renunciandum esset, ut obsecrationi tam sancti viri non cederetur, qui nihil nisi pro Deo & pro utilitatibus nostris postulat, atque etiam omnis sensus ejurandus esset; ut catenis ejus reverentia negaretur, quæ ejus Charitatis insignia sunt.

Postulat à nobis ut dignè ambulemus, quid justius? nónne viatores & unius diei hospites sumus super terram, qui ibi semper ambulamus? Vita nostra diffluit sicut torrens aquæ, qui ex altis rupibus ruit. Status naturalis incessanter mutatur, omnia ante nos fugiunt, & *præterit figura hujus mundi*, quasi ægrotum prospectus qui sensim oculis itinerantis mutatur, dum ambulando incedit. *1 Corinth. cap. 7.*

Velimus, nolimus, semper ambulamus; nec sollicitudinibus, nec industriâ, nec honorum, aut voluptatum & divitiarum abundantia effici potest, ut vel ad momentum incedere cessemus. Ambulandum ergò est.

Si sic nos indispensabiliter urget ambulandi necessitas, possumús-ne consensum nostrum negare petitioni tam rationabili, cujus adimpletio tam necessaria nobis est?

Bene ambulemus, cùm ambulandum sit. Dignè ambulemus cùm dignitas eligentis, & gratia ejus vocationis id mereantur, & ipsa ratio nos doceat quod nisi id, ut par est, peragere studeamus, utriusque favoris indigni evademus.

Quò ibimus nisi benè ambulemus? errabimus, in vanum curremus, & post longos discursus inveniemus nos à Deo longè distantes, & in ora præcipitij damnationis æternæ cóstitutos. Ut ista vitemus pericula, opus tantùm est, ut ambulemus eo modo, qui vocatione nostrâ dignus sit, sed ut ad id juvemur, tria ista puncta ad memoriam nobis sæpe revocemus,

1. In

1. In cujus conspectu ambulamus.
2. Cum quo ambulamus.
3. Et quò tendimus.

I. Ambulamus coram Deo.

SUfficit hominibus, ut in verbis, gestibus & vestibus compositi sint, & modestè incedant, ut noscant se ab illustribus viris aspici; & si vel modicum honoris habent, in aliquibus nugis deprehendi erubescunt, aut in aliquo actu quem occultum esse suadet honestas. Si ad sic ambulandum & agendum miserorum homuncionum intuitus nos impellit, quid pro oculorum Dei reverentia facere non debemus, qui incessanter in nos intenti sunt, quíque ea attentione nos insequuntur, ac si nihil aliud intuendum haberent?

Ergò-ne Dei intuitus minùs merentur, quam oculi hominum, & minus efficaciæ in nos habebunt? *Oculi Domini*, inquit Scriptura, *multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Puri sunt tanta puritate, ut *cœli non sint mundi in conspectu eorum*, & maculas detegant in his etiam quæ purissima videntur. *Iustitias judicant.* *Eccli. 23.* *Iob. c. 15.* *Psalm. 9.*

Oculi sunt Patris omninò cœlestis, qui nihil minus à nobis expectat, quàm nos *esse perfectos sicut & Pater noster cælestis perfectus est.* *Matt. c. 5.*

Porrò oculi sunt justi judicis *qui stat ad januam* paratus ad nos judicandum, & ad reddendum unicuique nostrûm fructum viarum nostrarum quem per totam æternitatem vel cum dulcedine beatitudinis, vel cum amaritudine damnationis comedemus. *S. Iacobi 5.*

Si Paterni ejus intuitus animabus, quæ coram eo reverenter ambulant dulces sunt, & benefici, terribilis est ejus judiciaria facies his qui indignè coram eo ambulant. *Oculi Domini*, inquid David, *super justos & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Id probat exemplum Pharaonis, cum istius vultûs unicus intuitus ad eum submergendum suffecerit. Et *Respexit, Dominus*, inquit Scriptura, *super castra Ægyptiorum & subvertebantur rotæ curruum, ferebantúrque in profundum.* *Psalm. 33.*

Ecce coram quo ambulamus, sed si consideremus quod etiam in illo ambulemus, fateri nos necesse est

1. Quod sanæ menti renunciatum est: si negligatur ambulare modo qui dignus sit eo, cujus aspectus omnium auxiliorum, quibus indigemus, fontes sunt.

2. Quod sensui naturali vale dixisse est, studium non adhibere ad sic ambulandum, ut oculos ejus non offendamus, qui uno intuitu potest nos ad nihilum reducere.

3. Quod tandem omni amoris gratitudinis & honoris sensui renun-

ciasse est, nisi studeamus ambulare eo modo qui dignus sit Patre, cujus paternitas totius boni & gloriæ nostræ materia est.

Si bene cogitemus nos Deum habere Patrem, nósque coram eo imò intra eum ambulare, id sufficiet ad dignè ambulandum & perfectos Gen. 33. evadendum. *Ambula coram me & esto perfectus.* Deus ipse Abrahæ plura non dixit.

Separatio à mundo & hominibus magnum medium est ad Lectionem istam addiscendam, de qua re egregium in S. Institutore tuo habes exemplum, qui se ab hominum conspectu subtraxit, ut à Deo solo videretur, ejúsque sacram præsentiam familiarem sibi redderet. Elongavit se ab his omnibus quæ poterant ei oblivionem ingerere, quod coram Deo ambularet. Sciebat enim mentem humanam in hanc oblivionem inter creaturarum strepitum, qui attentionem divertit, facilè incidere; inter objectorum varietatem, quæ animum dissipant; & inter mundi negotiorum tumultum, qui animum occupando, hujus sanctæ præsentiæ recordationem sæpe auferunt, nisi magna attentio & diligentia adhibeantur.

Solitudinem elegit, quia medium optimum est ad animum integrè recolligendum, ut Deo attentior sit, dissipationem ex objectis enascentem vitet, & sollicitudines mundi negotiis annexas effugiat. Nihil convenientius est ad dignè coram Deo ambulandum.

Cum quo ambulamus?

CUm Dei Filio qui de cælis descendit, ut coram nobis ambulet & currat. Nihil omisit, nec in verbis, nec in actibus ad docendum nos dignè ambulare. Ad exercitium Gallinæ erga nos ge-Matth. 23. rendum se demisit *quæ congregat pullos suos sub alas*, ut doceret nos qualiter ad ejus protectionem recurrere debeamus. *Sicut aquila volitans super pullos suos*, ita & super nos volitavit, ut nos volare doceret. Alas Charitatis suæ expandit, in quibus nos assumpsit ut supra terram elevaret, & in humeros suos nos imposuit, sicut bonus Pastor, qui ovem suam perditam invenit.

Eos sibi status elegit, qui præ cæteris vitæ dolorosi sunt, ut nos doceret ad ubique benè ambulandum, & proposito sibi gaudio crucem sustinuit in qua mori elegit, ut ad secum ambulandum attraheret & vana oblectaméta relinquendo sequeremur eum, ac dignè Deo ambularemus.

Tam excellentis ducis dignitas & Charitas impellere nos debent 1. Petr. 2. ad eum sequendum, cum *pro nobis passus sit, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus.* At ea, quâ nos honoravit electio, ut sequaces ejus simus, ad id nos cogere debet. *Non vos*, inquit, *me elegistis, sed* S. Ioan. *ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Si ergo ipse est qui nos in statu in quo sumus collocat, ut post eum eamus, & ut in viis ejus progrediamur, si proficere non valemus, nisi ambu-

lemus sicut ipse ambulavit; vellemúsne injuriam ei irrogare, consiliáque ejus & electionem cassa reddere negligendo ambulare modo qui eo dignus sit?

Contra rationem peccamus, nisi prope Christum & cum eo ambulemus ejus vestigia insequendo; cùm experimento discamus itinera hujus vitæ repleta esse laqueis & periculis à quibus non nisi potenti ejus auxilio liberari possumus. Et si eo currente gradum figamus, non ad eum appropinquamus, sed elongamus.

Peccamus contra amorem & gratitudinem, quam Deo debemus, qui se ducem nostrum & viam fecit, si cum eo ambulare desistamus, vel dignè eo non ambulemus.

Et tandem contra amorem, quem nobis ipsis debemus peccamus, si gratiis, virtutum divitiis, & *consolationibus, quæ in dextera ejus sunt usque in finem*, vel in spe, vel in fruitione nos privemus, quæ obtineri non possunt, nisi cum eo ambulemus. *Psam.* 16.

Quò vult nos ducere Divinus ille dux noster.

AD veram pacem, ad veram Charitatem, ad æternam beatitudinem.

Si ratio, amor, & sensus humanus nos impellunt ad dignè ad Deum ambulandum quia coram eo & cum eo ambulamus, propria utilitas urgere nos debet ad eum sequendum, quò vult nos ducere; quippe qui ibi reperimus quicquid desiderabile nobis est.

Quid esset vita nostra sine pace? Nihil aliud quàm tormentum continuum, quod eò sensibilius esset quò spiritualius, & anima à conscientiæ quiete longius abscederet.

Quid esset ejus vita sine amore? Omni consolatione destituta remaneret; cùm etiam humano modo loquendo, ubi deest affectus, deest etiam lætitia. Amandi facultas & propensio, inclinationum naturalium nobilissima est, & prima ; & ubi non reperitur; cæteræ pro nihilo reputantur.

Quid esset vita nostra, nisi eam beata æternitas sequeretur? morte peior esset, & melius nobis fuisset, si nati non essemus. Istæ veritates nulla alia probatione indigent, quàm experientiâ omnes de his veritatibus convincente. Nónne ergò jure & merito proprios hostes esse declarari merebimur, nisi libenter Magistrum sequamur, qui ad ista bona nos ducit, sine quibus vita nostra nec vitæ nomine digna esset?

Ut ad pacem bene ambulemus ejus *sacra Infantia* intuenda est. Ibi Angeli pacem annunciant hominibus bonæ voluntatis, & quidem merito, cum humilitas ibidem à Christo Salvatore nostro exercita, ea sit quæ viam ad pacem aperit, quæ pacis inter Deum & nos mediatrix est, & modum edocet habendi pacem in nobis.

Theologi sic pacem definiunt, *Quietatio appetituum secundum tran-*

quillitatem ordinis. Appetitus bifariam distinguamus, quorum alij corporales sunt, alij spirituales. Corporales tendunt ad fugiendum laborem & appetendum voluptatem; sed nulla pax expectanda est ex his quæ appetunt, quia peccatum inordinationem in eis posuit, sicque ordine privati existentes, nec quietari, nec uniri possunt secundum tranquillitatem ordinis. Ordo ibi esse non potest, nisi à ratione ponatur resecando & mortificando quicquid ordini opponitur.

At si ad rationem pertinet appetitus corporales ordinare ut pacem habeant; debet ideò seipsam ordinatiùs gerere: nec pacem habebit si naturales animi appetitus sequatur; à tranquilitate enim ordinis longiùs distant quàm corporales, illorúmque inordinationes extensiores sunt.

Animus enim appetit quod non potest assequi, se æstimat quod non est, judicium fert de his quæ non cognoscit; nec se subdere vult his qui supra se sunt. Hæc quasi tot accidentia sunt, qui à superbia tanquam à substantia sustentantur. Nulla autem pax speranda est, nisi ea exstirpetur, quæ inordinationes tranquillitati Ordinis oppositas sustentat.

Humilitas unica est quæ possit superbiam exstirpare in actu, & ideò pacem invenire non possumus nisi per humilitatem, quæ ad rationem adductis appetituum spiritualium inordinationibus, & ad tranquillitatem Ordinis revocatis, rationem ipsam disponit ad corporales appetitus sibi subdendos per suæ dominationis exercitium.

His consideratis non amplius mirabimur si Scriptura dicat *non est*
Isaia. 57. *pax impiis*: & alibi: *viam pacis non cognoverunt.* Sed fatebimur sacram
Psalm. 13. cælestis Magistri nostri Infantiam unicam esse pacis viam, & quod in ea exercet, nos docere destructionem eorum quæ pacis impedimenta sunt. Ibi modum nobis ostendit appetitus nostros spirituales reformandi secundum tranquillitatem boni ordinis. Ejus enim sapientia pro infantia vult haberi, ut ad ordinem redeamus agnoscendo quid sumus. Creaturis se subdit, ut Deo nos subdere discamus; in eum se statum demittit in quo nec quicquam desiderare, imò nec petere potest; ut nos doceat tot desideria temperare, quæ cor agitarum tenent
Isaia. 57. *sicut mare quod quiescere non potest*, quæque semper pacem perturbant nisi eò reducantur ut Deum solum absolutè, cætera verò sub ejus tantùm beneplaciti conditione desiderent. Ambulando sub illius sacræ Infantiæ intuitu & æmulatione, pacis thesaurum reperiemus.

Si velimus ad charitatem benè progredi, & ambulare, *vitam Christi* consideremus, & in ea doctrinam & exempla veræ atque perfectæ charitatis reperiemus.

Ibi nos docet amandi modum, quem novum appellat, quia veteris hominis dilectio tota deformata & corrupta erat. Seipsum tantummodo amare noverat; Deum enim non nisi perfunctoriè, & proxi-

mum in quantùm ei commodus erat, diligebat. Ejusmodi amor fundamento carebat, quia à suo principio quod Deus est separatus erat, nec ideò mirandum, si mille malorum & dolorum causa erat. Sed amoris nomen jam ampliùs non merebatur; cùm amare nihil aliud sit quàm extra se egredi ad volendum, & faciendum bonum rei amatæ; vetus verò ille amor extra se tantùm exiret ad omnia suis oblectamentis & commodis attrahenda.

Seipsum tantùm diligere dilectionem dehonestare est, cum per id minimæ parti adhæreatur & nobilior, potiórque pars relinquatur. Deus amoris fons, & unus est in omnibus; aut ergò utilitatibus amoris renunciandum, aut diligendum ex principio veri amoris quidquid verè amabile est; at solo illo amore, quem Christus nos docuit, possumus sic amare. Veterem animalis hominis amorem abolet, ejúsque miserias & vincula nobis demonstrando agnoscere & degustare facit, nihil dulcius esse, nihil ditius, nihílque amore charitatis liberius. Ambulando ergò post magistrum, vitam ejus quasi exemplar intuentes, thesaurum charitatis inveniemus.

Si versus beatam æternitatem benè ambulare velimus, *mors ejus* attendenda est; quippe quæ ingressum ad beatam æternitatem nobis aperit. Hæc mors docebit nos modum nobis ipsis moriendi, & si benè intueamur quâ mansuetudine, quantâ peccatorum compassione, quam ardenti charitate, Magister & Dominus noster ibi moritur libenter *Ioan. 11.* dicemus cum beato Thoma Apostolo; *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Sed ut vitalem hanc mortem, ut par est, honoremus, quæ beatæ æternitatis aditum nobis reserat, meminerimus nos vitæ genus amplexos esse, quod statum mortis meritò nominare possumus cùm *Ad Coloss. cap. 3.* *vitam nostram abscondat cum Christo in Deo.* Vitam integram ibi relinquamus, quia si inde exeat jam non esset secura. Meminerimus etiam Christum voluisse mori in aëre, ut discamus in separatione rerum terrestrium emori. Contemnamus quidquid temporale tantùm est. Præterit enim, & sola permanet æternitas ad quam pergimus.

Ecce quid cogito de via & mediis ad dignè Deo ambulandum vocatione, quâ vocati sumus, sed adhuc cogitemus eumdem sanctum Apostolum, qui tam tenero charitatis affectu nos obsecravit, hæc verba subjungere: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus* *Ad Galat. c. 4.* *in vobis*; si mea desideria complere velitis ambulando dignè Deo vocatione quâ vocati estis, mementote vitam vestram semper defluere, vósque eadem velocitate transire quâ tempus ipsum, cujus cursum nullâ ratione sistere valetis. Attendite quod non tantùm coram oculis Dei, sed etiam in eo ambuletis; mementote vos in Jesu Christi societate ambulare, qui se ducem vestrum fecit, & videte quam gratitudinem, quem amorem mereatur tanta optimi magistri bonitas, qui ad vestras se demisit miserias, ut in iis vos regeret ac consolaretur. Re-

cogitate se hac tantùm ratione ad ambulandum redegisse, ut vos deduceret & regeret, totámque vestram felicitatem in eum sequendo consistere, cùm vos ducat ad *pacem* sine qua vita vestra miserrima erit; ad *charitatem* sine qua vita vestra consolatione destituta manebit; & ad beatam *aeternitatem*, sine qua infelicissima erit mortalitas vestra.

Dixit vobis: *Ego sum via, veritas, & vita.* Considerate eum ut *viam* in sacra *infantia*; ut *veritatem* in *vita* & ut *vitam* in *morte*. *Ioan.* 14.

Ambulate in spiritu humilitatis ad honorandam ejus *infantiam*; in dilectione ad *vitam* ejus honorandam; & in solutione à te ipso, & à creaturis ad *mortem* ejus honorandam.

Sic ambulando dignè Deo ambulabitis, vósque, etiam modo se digno, remunerabit.

His verbis mille bonas apprecationes adjungo ut tuo profectui inserviant, me vero tuis precibus commendatum habeto. Benè vale.

QUÆDAM MONITA

Circa sacram Communionem.

PRIMUM PUNCTUM.

HÆc Christi verba attentè considera; & ea sic pro te dicta esse crede, ac si pro te solo essent prolata.

Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.*

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.

Sicut misit me vivens pater, ita & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, vivet propter me, id est, per me & mei causa.

In hæc verba quæ loquentis ipsissimæ veritatis sunt, ista meditate, &

Recognosce

1. NEcessitatem tibi instantem participandi vitæ Jesu Christi, & ut vitam suam tibi communicet, cum sine ejus vita, tua esset tantùm ac si non esset.

2. Desiderium quo flagrat ut propriâ vitâ vivere te faciat, cùm eam tibi offerat in alimentum animæ tuæ, sicut panis alimentum est corporis tui.

Inde istos sensus concipere debes in ratione tua, & propositis tuis.

1. VErum desiderium ejus vitâ vivendi; vitam tuam ejus vitæ uniendi, suámque recipiendo, sacrificium de tua faciendi;

nihil amplius præter ejus vitam æstimandi, totum ab ea expectandi, tuámque non ad aliud amplius considerandi, quàm ad motus & praxes ejus vitæ sequendum, & te ei in sacrificium exhibendum.

2. Firmam fidem, quod panis iste cælestis unicum est animæ tuæ alimentum, quo ejus vita sustentatur, & sine quo in mortem recideret; desideriúmque ad eum accedendi cum majori fiducia, ac reperiendi in eo vitæ tuæ spiritualis sustentaculum, quàm vitæ corporalis subsidium in pane & escis invenis.

3. Firmam fiduciam in hujus panis fortitudine, qui potens est te contra quælibet pericula, certamina, & quoscumque vitæ hujus labores erigere & roborare; quippe qui Dominum omnium continet.

Dico te istos sensus concepturum, *in ratione & propositis*; nam sæpè sensibiles cordis affectus, & pars animæ inferior in his partem non habent, nec in nostra potestate est, ut eis id procuremus, aut concedamus.

Hæc pars inferior considerari debet, quasi ad vitam naturalem pertinens, cujus sensus hîc debent per actum generosæ libertatis, Christi vitæ, & Charitati immolari, qui vitæ nostræ suam vult subrogare, ut nos occupet, & possideat. Velle adhuc frui sensûs naturalis oblectamento, est adhuc aliquid de propria vita velle servare. Quandoquidem dat nobis Christus totam vitam suam, numquid justum est, ut nostram integrè ei derelinquamus, nihilque ex ea nobis reservare velimus?

Secundum punctum.

CONsilium Christi, vitam suam nobis communicando in hoc mysterio, non ad servandum nos tantùm à morte terminatur; sed tendit ad nos elevandum supra nos, donec quod humanum, materiale & sensibile in nobis est, ab oculis evanescat, ut spiritu ei uniamur, sicut unit se nobis corpore. Omnia in S. Eucharistia ad id nos disponunt. Supremum opus Charitatis practicæ continet quod fit in mysterio, mysterium fidei singulariter vocato. Magnum illud fidei mysterium à sensibili nos retrahit.

Enim verò in Fide nihil sensibile reperitur, supremúmque illud Charitatis opus ad superhumanum nos trahit; in Charitate etiam nihil humanum; totum enim transformat in divinum. Fides elevat nos supra proprium intelligendi modum, quem ad Dei honorem destruere nos docet, nósque à nobis quodammodo exire, ac deserere compellens ad pergendum ad Deum, ac nos ei uniendum disponit. Charitas quæ quasi novum exinanitionis miraculum operatur in Christo, ut nos sibi conjungat, expectat etiam à nobis exinanitionem quam Fides & Charitas in nobis operentur, quæ exinanitioni Christi respondeat, ex voluntate nos ei uniendi, quæ pura sit & omnibus spoliata.

Hæc Fides & pura voluntas relationem illam ad ejus Charitatem efficiunt. Intentiones ergò nostras & proposita formemus secundum consilia & statum Christi in hoc mysterio. Hîc afferamus Fidem vivam, quæ non desideret sensibili esse innixam ; & voluntatem puram, quæ proprium commodum non requirat, sed fidem tantùm suam & amorem adimplere desideret, se totam & quasi cæco oculo derelinquentem ei, cui conjungitur.

Fidei exercitium præ cæteris placet amori ejus, qui in hoc mysterio singulariter demonstrat se velle per fidem nostram honorari. Quò magis fides nostra sensibili fuerit spoliata, eò ampliùs exercita erit, & ideò concludendum est piæ animæ siccitatem non eam removere debere ab accessu ad Christum, cum inde in fidei exercitio magis constituta sit, quod præ cæteris intentiones ejus purificat, ab affectibus eam solvit, ejúsque voluntatem disponit ad proprium oblectamentum non quærendum. Inde etiam fit conformior proposito, & statui Christi in hoc mysterio, ubi totum supernaturale est, & ubi sensibile in sola apparentia existit, cùm accidentia ibi miraculosè remaneant absque subjecto.

Eliæ, panis & aqua tantùm dantur, quorum alter siccus est, altera in-
3. Reg 19. sipida: & *ambulat in fortitudine cibi illius*, qui S. Eucharistiæ figura erat, *quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque dum perveniret ad montem Dei Oreb.* Plus indigemus generosè incedere, quàm consolationem gustare. Hic panis fortium est, & fidelium amicorum, qui nihil aliud intendunt, quàm sui Magistri voluntatem adimplere. Sacer ille panis effectum suum operatur, nec ad id opus est, ut sentiatur. Libenter ergò sensibile deseramus, ut ejus voluntati immoletur, qui vult nos, per vitam suam vivere, non per nostram. Sufficere nobis debet, si post eum, crucem nostram ferendo, benè ambulemus.

Ad mensam ejus feramus fidem practicam & effectivam, voluntatem puram, & firmam fiduciam quod panis ille cælestis effectus in nobis operabitur, quos desiderare debemus. Hæc sunt, ô Theotime, meliores dispositiones cum quibus ad eam accedere debemus ; conformiores enim sunt consiliis & statui Jesu Christi in hoc mysterio, in quo volens miraculosam unionem nobiscum facere, proprium corpus nobis præbendo, nos simul adigere voluit ad eum per fidem honorandum; ad quod, exercitium fidei nos conducit, quæ omnes in hoc manna sapores reperit, cum Deo placuerit ei sensibiles reddere.

In his veritatibus reperies unde formes præparationem ad Sacram Communionem, & unde te exerceas in ipso sacræ Communionis actu. At post S. Communionem assumes ex sequenti puncto, unde te occupes.

Tertium.

Tertium punctum.

1. CUm Christo colloquium institue circa statum exinanitionis & sacrificij, in quo iterùm se constituit in hoc mysterio, ut te sibi uniat; & agnosce quantùm astrictus sis ad reddendum te ejus imagini conformem, & ad ejus Charitati correspondendum in illo exinanitionis & sacrificij statu quem sibi assumpsit nascendo, vivendo, & moriendo; illum iterum resumit ut conservet tibi, quod tibi acquisivit, nec ad momentum te deserat, & tibi ostendat iisdem semper mediis se uti ad te in perfectione promovendum. Sacrificio & exinanitioni jungit vitam & Charitatem, quas tibi in hoc amoris miraculo communicat, ut te effectibus instruat per viam exinanitionis & sacrificij vitam & Charitatem inveniri.

2. Memento, sapientiam incarnatam quam in hoc mysterio recipis à sacra Scriptura vocari *Speculum sine macula & imaginem bonitatis Dei.* Sap. 7. Hoc divino speculo utere ad detegendas interioris hominis tui maculas, easque ad illius exemplum reformandas; & ibi Charitatem Christi aspiciendo totam ardentem, huic speculo ardorem mente conjunge; eique omnes defectus tuos expone quos consumat, sicut ardens speculum ignem accendit in rebus sibi expositis. Considera Christum in hoc mysterio velut veram imaginem bonitatis Dei. Illam enim in supremo gradu repræsentat, cùm se ibi nobis absque ulla reservatione communicet, & sinat ad se accedere tùm bonos, tùm malos, sicut Pater noster cælestis super utrosque solem suum oriri facit. In hac imagine omnia patientiæ ejus lineamenta reperies, ejus perseverantiæ in benefaciendo, & quousque ejus bonitas se se communicet, &c. Hanc vivam imaginem honora per adorationem, per fiduciam, &c.

3. Ad mentem hæc Apostoli verba tibi revoca, *Vivo ego jam non ego; vivit vero in me Christus.* Ad Galat. cap. 2. Et cogita hîc esse ubi adimplentur, cùm vita Christi ibi recipiatur quæ te vivere facit, & sine qua vitam in te non haberes. Considera ibi vitam ejus quasi tuam effectam, & vide an non justum sit, ut secundum ejus vitam vivas, cùm tantùm per ejus vitam, vitam habeas. Totum vitæ nostræ exercitium versari debet circa vitam Christi in nobis honorandam, & nostrâ vitâ in ejus vitæ præjudicium non utendum. Si dubitare nequimus vitam ejus nostræ infinitè præcellere, nostram libenter deseramus, & ei derelinquamus, & omnimodis studeamus sic nos gerere, ut nosipsos esse dediscamus, donec integrè esse cessemus.

4. Porrò, persuade tibi hæc verba semper ab eo proferri. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. Et ex his verbis fiduciam tuam erga eum exerce, necessitates tuas ei expone, & crede, quod si voluntas tua verè ei derelicta sit absque reservatione,

auxilia tibi concedet in animæ intimo, quæ realia & effectiva erunt; quamvis ea non sentias, sicut in hoc S. Mysterio præsens est, quamvis eum non videas.

CAPUT DUODECIMUM.

Monita circa Professionem Religiosam, & annuos secessus.

SECTIO PRIMA.

De Professione Religiosa piæ cuidam Novitiæ professionem emissuræ.

DEus per suam gratiam, soror in Christo charissima, cor tuum desideriis & affectibus terrenis amplius evacuet, ut te de se repleat, sitque tibi omnia in omnibus. Propositum ejus erga te id esse perspicuum est; quandoquidem ejus gratia impellit te ad omnia relinquenda, & ad renunciandum commodis quæ ex prosapia tibi astant, ut tota Dei sis; at nuncium quem mihi mittis de tua receptione ad professionem Religiosam, & quod statueris eam emittere, mihi indicant voluntatem tuam cum Dei proposito concordare. Vox ejus vocavit te ut egredereris de terra & de cognatione tua. Gratiæ ejus illicia sic voluntatem tuam sibi subdiderunt, ut statim te alligatura sis loco quem monstravit tibi. Quid ultra desiderari potest ad sanctam inter te & illum unionem perficiendam, quâ totus tibi sit, sicut tota ejus esse vis?

Melior & liberalior est ut minus det, quàm ei datur. Dat se ei qui se donat, séque donando animam implet: ipse enim est qui cælum & terram implet, & extra eum nihilum tantùm & vacuum reperitur.

Desiderium quo flagras actum illum benè perficiendi spem mihi dat de reportandis à te emolumentis quæ inde sperari possunt, méque suaviter urget ad præbenda tibi quæ à me postulas monita, ut perfectiùs rem tanti momenti perficias, & officia ejus adimpleas.

Nomen Religionis & Religiosi si benè attendatur solus sufficit ad insinuandum his qui illud assumunt, quid obligationis inde contrahant. Quilibet Christiani debent esse Religiosi. Religio enim prima est virtutum moralium quæ indispensabilis necessitatis est; cùm ea sit per quam cultus Deo debitus redditur. Inde est quod diversitas cultuum, qui de præterito & etiam de præsenti Divinitati redduntur, Religionis

nomine indigitantur, ac dicitur talis de illa Religione est, ille de alia sive bona, sive mala. Cur ergò nomen illud Religiosi iis applicatur qui in Monasterium se recipiunt? Quia ultra obligationem generalem quæ eis cum cæteris Christianis communis est exercitio virtutis Religionis vacandi, per statum & professionem se se obligant ad vitam & actus suos cultui divino addicendos & consecrandos, ut quicquid agant ad ejus gloriam referatur, sitque actus Religionis. Qualitas ergò Religiosi satis denotat quid eam assumendo, suscipiatur, & circa quæ studium Religiosi versari debeat.

Nulla est Religio quæ sacrificium annexum non habeat; imò sacrificium est, quo Religionis fit quasi consummatio. Status quem amplecteris suum etiam habet sacrificium, quod eò pretiosius est, quò in eo non de bestiarum immolatione agitur, sed de seipso immolando, ut coram Deo in statu hostiæ vivæ Religiosus semper appareat. Cujus immolatio ea est, quæ oculis Dei gratior existit, sicut docet nos D. Paulus Apostolus. Ipsa enim est quæ imitatur Sacrificium Filij Dei, qui totâ vitâ nostræ Redemptionis victima exstitit, qui in salutis nostræ sacrificio mortuus est, quíque post mortem ex amoris miraculo se iterùm hostiam vivam effecit, ut semper dux nobis esset, exemplúmque præberet ad sacrificia de nobis ipsis Deo offerenda, quamdiu vita nostra mortalis duraret. *Ad Rom. cap. 12.*

Anima Religiosa ad hanc mortem voluntariam se etiam astringit, quam Deus recipit in oblationem & victimam suavissimi odoris, sed justum esse videtur ut sacrificium illud sacrificio Filij sui uniat, cùm ejus Charitas eam sibi unire dignatur, ut sponsam. Hoc honore per professionem tuam afficieris; & dici potest quod jam te per procuratores desponsavit, te, mediante aliarum sponsarum in Monasterio jam collectarum consensu acceptando. De ejus voluntate dubitare nefas est, cum sponsum ipsum consuluerint antequam suffragium dederint in re tanti momenti, ubi de re Christi agitur, quæ læderetur si inter ejus sponsas ea admitteretur virgo, quæ ad relinquenda omnia plus corde, quàm corpore non esset disposita ad eum quocumque sequendum. De re etiam Religionis agitur quæ gravi damno afficeretur, si aliquâ personâ, verâ vocatione aut perfectionis desiderio destitutâ oneraretur. Et tandem de salute agitur ejus quæ ad illum statum aspirat. Enim verò variis etiam periculis exposita esset in Claustro, si firmam & necessariam voluntatem non haberet ibi secundum Regulas sanctæ Religionis conversandi. Te ex parte Filij Dei acceptarunt, & parata es ad te in ejus Charitatis vincula conjiciendam, ut in æternum illius sis. Hìc ergò etiam de sancto connubio agitur, qui ex utraque parte concludetur.

De fidelibus animabus Paulus dicit, *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Deus ipse dicit, *sponsabo te mihi in æternum,* *2. Ad Corinth. c. 11.*

At Fidei Regulæ tantummodò consulendæ sunt ad hujus connubij inter Deum & animam veritatem probandam.

Matrimonium eâ tantùm ratione Sacramentum est, quia unionem repræsentat inter Christum & Ecclesiam; id est animas Christianas, quæ Ecclesiam componunt; at fateberis rem repræsentatam præferri debere ei per quam tantummodò repræsentatur, & ideò matrimonium adhuc verius est inter Christum & animas, quàm inter personas corporali matrimonio conjunctas.

Vincula & uniones corporalium conjugiorum hujus tantummodò imperfectæ umbræ sunt. Christus enim naturæ nostræ per Incarnationem, animabus per Baptismum & corporibus per Sacram Eucharistiam se se univit, ejúsque unio ad æternitatem tendit. Nihil simile in materialibus matrimoniis reperitur, omnia ibi pertranseunt, omnia mutantur & tandem cum vita pereunt.

Matrimonium illud semper verum est ex parte Christi; sponsus est: at plures animæ hujus qualitatis dignitati non respondent, sponsarúmque officia non ei reddunt; aliæ injuriâ eum afficiunt per sua probra & delicta; aliæ verò quærunt affectum suum inter eum & creaturas dividere, sed quæ statum Religiosum amplectuntur, solemniter & generosè profitentur se velle esse sponsas ei fidelissimas. Occasiones se inordinandi fugiunt, & divisioni sui affectûs cum creatura renunciando, coram Angelis & hominibus protestantur se eligere ad cælestem sponsum unicè pertinere, eíque omnia debita quæ à sponsis desiderat, velle reddere.

Jam hujus matrimonij sponsalia peregisti sanctæ Religionis habitum assumendo. Per annum Noviciatûs satis agnovisti quid cælestis ille sponsus à sponsis Religiosis requirat; experimento nosti qualiter eas post se trahat in odorem unguentorum suorum & quàm veraciter dicat ei sponsa Cantici, *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* *Cant. 4.*

Cætera aromata, quæ offert mundus, possunt tantùm comparari his quæ linguam adurunt & ex quibus periculosi morbi oriuntur; at odor unguentorum sponsi cælestis venenosum peccati aërem propellit, animam in medio quarumcumque tribulationum roborat, támque suaviter ad se trahit, ut ad Deum, & ad ejus æternitatem currat, nec tot pungentes spinæ, quæ in hac morientium vita occurrunt, sistere, aut eam retardare valeant.

Hæc omnia nosti, nec ignoras eum unguentorum istorum odore uti, ut sponsas ad gloriam Dei Patris fortiùs & suavius quærendam & accersendam ampliùs accendat. At fideles sponsæ ea quidem unguenta, magni æstimant, sed eis non adhærent, soli sponso adhærere volentes nec ab eo aliud desiderantes præter honorem eum unicè amandi. Ut ergò matrimonium animæ tuæ ineas cum ea perfectione quam opto, & ipsa desideras, superest tibi attentè considerare

Quis est finis votorum quæ profitendo Religionem emittes.

VOtum *castitatis* eò tendit, ut animam à curis & sollicitudinibus familiæ eximat, cor & ejus affectus à tempestatibus & turbationibus protegat, quæ procedunt à divisione quam ibi sensus naturalis perficere aggreditur, magnámque libertatem ei tribuat, ut Deo & saluti suæ plenè & integrè attenta sit, & ut tandem virtutis praxim ei facilem præstet, eam supra sensibile erigendo, occasionésque ei amovendo plurium vinculorum quæ sibi componit infirmitas humana, ut miseriis naturalibus novas adhuc addat miserias.

Votum *paupertatis* eo fine fit, ut anima à bonorum temporalium possessione solvatur, & pungentibus spinis eis annexis liberetur, quæ sunt veluti spinarum acumina, quibus Christus divitias comparat, quæ animam lædunt, ejúsque quietem perturbant, abscindit quicquid mentis inquietudinem nutrire potest, quæ ad necessitates præveniendas se se exagitat, ac si in terra semper vivendum esset, ac auferendo voluntatem evadendi divitem, eam servat, ne incidat *in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria inutilia & nociva quæ mergunt hominem in interitum.* *Luc. 8.* *1. Ad Timoth. c. 9.*

Votum *obedientiæ* eximit animam à suiipsius cura & eam à propriæ voluntatis periculis protegit, atque ab ejus incertitudine & inconstantia.

An quicquam convenientius desiderari potest ad eliminandum ab anima quicquid eam inutiliter occupare potest, ad eam Deo unicè alligandam, ad ejus amoris exercitio vacandum, & ad efficiendum, ut unus spiritus sit cum eo. Cùm enim curâ familiæ exempta sit, bonorum temporalium sollicitudine & suiipsius regimine soluta, nihil potest nec eam retrahere, nec interrumpere, nec retinere, nisi ipsa velit se liberè superfluis sollicitudinibus tradere & involuere. *1 Ad Corinth. c. 6.*

Si hæc vota verum medium complectuntur quo tota Dei sis, in illis etiam quidquid ad felix conjugium cum Christo contrahendum necessarium est, reperitur. Ibi enim omnia cum hujus sponsi desideriis consentanea sunt; de fideliter insequendo eorum votorum fine tantummodò agitur, ut ejus consilia absque ulla interruptione, aut turbatione adimpleantur.

Per *Castitatem* anima corpus suum tradit ut membra ejus separata ab his quæ cum peccato, ejúsque servitute valdè sympatica sunt, bonum odorem puritatis coram Deo exhalent ad expiandum quidquid corpus in eam usurpavit. Corpus illud tradit, ut honori filij Dei ejúsque castissimæ Matris tantùm inserviat, & januam occludendo sensuum illiciis, quæ rationem per illusiones deceptorias, quas in mente producit, facilè seducunt, abigit à se servitutem & vincula

quæ interrumpere possent ejus applicationem amori Divini Sponsi, cujus obsequio corpus ejus integrè addictum est per castitatis votum.

Per *Obedientiam* anima non tantùm patrem & matrem deserit, ut Sponso juxta matrimonij leges adhæreat; sed etiam seipsam, ut se tradit sicut & corpus, voluntatémque propriam in Sponsi voluntatem submergat. Ac sic nihil desit perfectæ submissioni quam ei debet, quámque ei reddere se obligat.

Et tandem per *Paupertatem*, sui Sponsi statum amplectitur, qui paupertatem spiritus sanctificavit, & omnium mundi rerum pretiosissimam effecit. Quippe qui de cœlis ad terram descendens sibi eam inter omnia selegit, in paupertate nascendo, & in absoluta paupertate moriendo, quæ ex corporis nuditate probabat perfectam ejus spiritûs paupertatem, quæ se prius bonis omnibus externis spoliaverat, ut ea in manus Patris sui reponeret.

At quod omnibus præponderat illud est. Cælestis ille Sponsus in gloria sua existens, paupertatem adhuc elegit in Eucharistiæ mysterio quod unionis ejus mysterium est, ut ejus Sponsæ se ei uniendo ad amplexandam ejus paupertatem adigerentur, & agnoscerent nullam afferri posse meliorem dispositionem ad attrahendam ejus complacentiam, quam veram spiritûs paupertatem.

Nónne ergo verum est ista vota continere quidquid desiderari potest ad felix & pacificum animæ matrimonium? Ea etiam continent, Soror charissima, quidquid à te ad ejus nuptias afferri cælestis sponsus desiderat. Offer ergò ei hæc tua vota cum generosa libertate quæ ex pura intentione ad eum plenè & integrè pertinendi ea emittat & cum voluntate, quæ in proposito ea adimplendi locuples sit. Illud enim est quod à te expectat, ut ad suas nuptias te recipiat, tibíque provideat de omnibus, ac dotet te dote, cujus proventus in eo & in thesauris Beatitudinis ejus collocabuntur.

Hoc autem matrimonium sacrificio sociari debet.

Sponsus enim tuus Deus & homo est, & si cum sacra ejus humanitate matrimonium inis, cujus honori corpus tuum & libertatem tradis & dicas, ejus Divinitati sacrificium offerre debes; cúmque matrimonia corporalia quæ in facie Ecclesiæ celebrantur Sacramenti dignitate polleant, justum est etiam ut ea quæ inter Deum & animam fiunt, magnum quid annexum habeant. At ipse incapax existens participandi sacramentis quia Deus est, convenit utique ut ibi reperiatur sacrificium quod ad Divinitatem relationem habeat. Amplam ejus materiam professionis tuæ vota tibi ministrant, eíque grati odoris sacrificium erunt, si hac intentione, eóque intuitu ea facias.

1. Teipsam abnegandi, ut Deo offeras quidquid puræ charitatis

motus ad tibi dandum impulit, & contendendi ut gratitudinem tuam ei exhibeas protestando te illud ab eo habere, illúdque voluntatis ejus beneplacito & executioni devovendo.

2. Adjungendi semper sacrificium tuæ cum eo unioni, destruendo in te, sacrificij animo, quidquid ibi apparebit puro Dei amori oppositum, sacrificiúmque considerando velut unionis tuæ exercitium, quod iterari debet, totâque vita durare, sicut Sponsus tuus tota vita redemptionis tuæ sacrificium continuavit, & in eo mortuus est.

3. Imitandi sponsum tuum ut sis bona sponsa & bona victima. Oculi tantùm in ejus exempla conjiciendi sunt, ut id bene discatur; nunquam enim vel ad momentum ab utriusque exercitio destitit. Ibi etiam votorum tuorum praxim tibi intueri licebit.

E matris utero egrediens tanquam sponsus è thalamo suo jam erat victima, & in ipsa sua nativitate Professionis religiosæ formam instituit, nascendo in castitate, in obedientia & in paupertate. Primus fecit quod sponsæ ejus Religiosæ ei debent reddere, & dici potest stabulum Bethléem primum esse Monasterium in quo votorum tuæ professionis institutio fuit facta. Vitam in labore transegit, à qua obedientia, paupertas & castitas nunquam separatæ fuerunt, & exemplum ibi habes, quo illas bene adimpleas.

Omnium virtutum perfectionem in morte consummavit, quæ tibi documentum & attractus esse debet, ut ad ejus imitationem in continuo sacrificio moriaris.

Eia ergò *Sponsa Christi*, præpara te, ad ingrediendum in sponsi domum cum sanctis propositis, ex his, quæ suprà diximus de fine votorum, & professionis tuæ officiis, efformatis. Illùc intra cum voluntate omnibus mundi affectibus spoliata, ut nihil inter Deum & te reperiatur, quo possit unio impediri, cum perfecta ejus voluntatibus demissione, & cum firmo proposito bona opera in labore ei pariendi, non attentis naturæ aversionibus, contradictionibus & doloribus, fructúsque puritatis, & virtutis producendi, qui in æternum maneant.

Victima Dei rogum ingredere ubi Sacrificium tuum debet compleri, & si velis eum bene ardere, bonúmque odorem ubique spargere, defer illùc tecum

1. *Unguentum pœnitentiæ*, quo S. Magdalena in domo Simonis Leprosi usa est; enim verò unguentum illud in ignem Charitatis injectum in magnam flammam exurgit, illúdque pro tuis quidem peccatis, sed etiam pro meis effunde, ut tui sim particeps Sacrificij.

2. *Balsamum fiduciæ* in tuum sponsum qui ubique se tuum comitem & auxilium præbebit, nec unquam vel ad momentum deseret te, nec in vita, nec in morte, nec in æternitate. Non enim sponsas sibi ubique terrarum quæsivit, ut eas posteà desereret.

3. Porrò defer illùc tecum *Thus devotionis* ex voluntate disposita ad

omne opus bonum procedentis, & quæ gratitudinem exhibeat pro gratia tibi concessa eligendo te, ut illius sis, & suo amori te per vota tuæ professionis alligando. Jam jure creationis & redemptionis, illius es; & gratia illa admodùm singularis est, quâ te attrahit, ut illius sis per voluntariam & liberam tuæ libertatis alligationem; inde enim ex
Isaiæ 43. numero illorum eris, quibus dicit, *meus es tu.*

Nónne Dominus omnium est? Cur ergò quibusdam singulariter dicit, meus es tu? Quia ejus Charitas quæ animæ libertatem contulit, eas solas pro suis reputat, quæ ex libera electione astringunt se, ut illius sint. Animæ, quæ ratione Creationis tantùm & Redemptionis sunt ejus, non numerantur, nisi earum libertas gratitudinem amori ejus debitam exhibeant per veram electionem, ut ejus sint, & in omnibus fideles. Locum integrum referamus, ut evidentiùs agnoscamus animarum lucra, quæ sic Dei sunt, quid pro eis agat, & quid etiam ab eis requirat.

Ne timeas, inquit, *quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cum transieris per ignem non combureris, & flamma non ardebit in te; quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël Salvator tuus.*

Hunc S. Scripturæ locum tibi meditandum relinquo. Inde enim plus te cogitaturam spero, quam possem dicere. Per aquam & ignem intellige quaslibet vitæ tribulationes & concupiscentiæ insultus. Considera quid Deus pro te paratus sit facere, & fidelem curam, quam de suis habet; quippe qui eos ubique comitatur, & adjuvat. Petit ab eis ne timeant, & inde significatur quantùm velit te in eum perfectam habere fiduciam. Si eam fiduciam tecum feras in tuo sacrificio cum aromatibus, de quibus supra; & si illa tecum semper habeas, nunquam ignis Charitatis in anima tua ardere cessabit; & identidem illam ardoris dulcedinem in te producet, quo ardentia erant corda Discipulorum Emmaüs in eis. Faxit Deus ut loquentem Jesum in via semper audiamus, donec in patria eum videamus, qui est benedictus in secula, Amen.

SECTIO SECUNDA.

Monita & exercitia pro secessu annuo ad pedes Christi devotæ cuidam Moniali.

Sit Deus benedictus, venerabilis in Christo Soror, unicúmque ipse sit vinculum animarum nostrarum, quo teneantur, Charitate uniantur, & gubernentur. Non modicam consolationem ex tua Epistola accepi, quia spes à me jam concepta augetur, videndo te dispositam & à Deo

à Deo tractam ad placendum ei, qui te in Sponsam elegit; sensum verò meum tibi libenter aperiam & communicabo circa ea quæ cælestis Sponsi desideriis consentanea sunt. Propensio ad communicandum & loquendum de bonis, ut lineamentum similitudinis Patris cælestis reputanda est, illúdque conspicere eum delectat, sicut Patres Filios, qui eos vultûs similitudine referunt. Hinc non mirandum, si colloquia, quæ de eo, & pro eo fiunt, animabus grata sint. Quid enim eis nativum est, quæ ad imaginem bonitatis ejus creatæ sunt.

Sed ut semel à me monita sis circa stylum, quo uti soleo; eum, quo utitur ipse S. Franciscus Salesius, qui tam amicus & cordialis est, imitari selegi. Loquela enim, quæ affectum Charitatis redolet, mihi videtur esse materna eorum qui ad simplicem dilectorum Filiorum Dei dignitatem aspirant, stylúmque simplicem Charitatis, quasi eorum patriæ linguam atque idioma esse arbitror.

Quandoquidem de ipsa Charitate sermonem facere cœpimus, inde non discedamus; etenim ibi repetiemus quicquid nobis necessarium est, ut materiam & modum habeas quibus secessûs tui exercitia, quæ suscipere parata es, compleantur, nec quicquam alibi quærere nobis opus erit.

Quo animo secessus ille suscipiendus est.

ID imprimis à me quæris; ad quod respondeo modestarum fœminarum consuetudinem esse, ut cubiculum secretum intrent, dum se vestire volunt, ancillæ auxilium sumant, & speculum coram se ponant ad vestes ita componendas, ut totum benè ordinatum sit, nihil desit, nihil oculos intuentium lædat, nihílque ibi appareat gratæ decentiæ oppositum. Præcipua illarum cura ac studium circa faciem versatur, ut omni macula careat, & in hac re speculum præ omnibus utile est. Ostendit enim mulieri locum maculæ, & cujus naturæ sit; ostendit illi ubi debeat manum apponere ad eam auferendam, & si apposita semel manu aliquid adhuc maculæ supersit, id reprehendit & mediante speculo agnoscit, quod aliunde nosse non posset; porrò videt quod non videret. Posset quidem moneri maculam inesse oculo sed diffidere posset, ne à monentibus id fingatur, ut ad se fricandum inutiliter moveatur; at assumpto speculo, per seipsam, maculam illam tollere statuit. Sic, Soror in Christo dilecta, anima quæ vult secessum illum peragere, debet se considerare tanquam dominam quæ indiget vestire se & ornare, ut Sponsi sui oculis grata sit; & hac de causa debet se separare ab hominum consortio, ut ad libitum & liberè se exuat, atque lintea & vestes mutet, id est ut tùm interioribus, tùm exterioribus veteris hominis dispositionibus se exuat, ad quod benè peragendum directoris spiritualis auxilium debet con-

siderare, quasi Sponsi sui ministium. Pro speculo verò illi esse debet absconditum faciei Domini, quam quærat ut illùc ingrediatur, séque ibi aspiciat modo infra tibi notando, & videat per speculum quod per seipsam nunquam posset agnoscere; secretiores enim interioris ejus maculas ei ostendet.

Secessus ille cum hisce desideriis & propositis arripiendus est,

1. Recognoscendi excellentiam honoris quo nos afficit Deus per ejus in nos amorem, per voluntatem quâ vult se à nobis amari, & per electionem ad eum amandum ex statu & professione.

2. Detegendi defectus amoris nostri erga Deum & proximum.

3. Animandi nos ad perficiendum amoris nostri exercitium erga utrumque, mittendo manum ad nos ipsos, & in quælibet alia, quoties de illo adimplendo agetur.

Hæc tria sunt quæ exactè in nobis componere debemus ad statum & ornatum spiritualem benè in nobis componendum; ita ut si desit aliquid, statim illud reponamus; si quid detortum est, rectificetur; & si quæ maculæ ibi sint, aquâ pœnitentiæ detergantur. Vt anima ex isto secessu sic composita egrediens, & replera desideriis, ac proposito in isto statu se conservandi quamdiu poterit absque ulla macula, oculis Sponsi grata sit, & amplius ab eo diligi mereatur, majorésque suæ dilectionis effectus experiri.

Exercitia in tuo secessu observanda pro prima, & quarta die.

VLtra exercitia quæ tibi pro ejusmodi solitis secessibus annuis præscripta sunt, ad præfatos insuper tres fines ea dirigere studebis; ad quod his considerationibus & exercitiis uteris.

Manè surgendo ad Deum devotas quasdam aspirationes emittes, petens ab eo lumen & auxilium, ut penitiùs intres in agnitionem & sensum primi articuli, cujus obtinendi desiderium tuum ei exprimes, quasi per cordis tui in ejus sinum effusionem, hæc Davidis verba dicendo: *Domine ante te omne desiderium meum & gemitus meus à te*

Psal 37. *non est absconditus.*

Isai. 26. *Anima mea desideravit te*, sed *in nocte* versor.

Modicum luminis tui mihi concede & videbimus lucem. Has cogitationes in mente tua stillabis, & nebis, ut loquitur D. Franciscus Salesius, id est ista cogitabis absque commotione, & quasi ad desiderium tuum nutriendum in mentis tranquillitate, in fiducia, in humilitate, & in submissione. Enim verò in his virtutibus, quasi in spirituali saccharo desideria nostra semper condire debemus, ut ab eis impatientiæ, præsumptionis, & obstinationis acorem auferamus, & asservari possint.

Datâ Orationis horâ animam tuam totam colliges ad se præsentandam coram illo pulcherrimo speculo, quo tantoperè indiges ad te clarè videndum, & ad cognoscendum quid tibi sit Deus, & quid ei sis. Cùm verò persuasum habeas illud speculum in abscondito faciei Domini tantummodò reperiri, illum rogabis ut te ibi admittat cùm intima cordis effusione v. g. ei dicendo:

O Sol unice animæ meæ, unico tantum tui luminis radio opus mihi est, & in lumine tuo videbo lumen.

Ad mentem tibi hæc Davidis verba revocabis, dicentis: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Et Deo dices, ô lucis lumen, hac de causa ad te accedo, & ut à facie animæ meæ auferam quidquid Majestatis tuæ oculis displicere posset.

Auscultabis adhuc eumdem Prophetam dicentem: *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper*, ac de cordis profun- *Psal.* 104.
do dices; illud est quod adimplere volo, nec te quærere desinam, donec Divinum tuum aspectum in me conjeceris. Scis quæ & quales sint tenebræ in faciem animæ meæ respersæ, nihil ibi discernere valeo, nisi quod tu, qui lumen oculorum meorum es, agnoscere me facies.

Verbis etiam & sensu cæci Evangelici uti poteris, & quasi si audisses Jesum tibi dicentem: *Quid tibi vis faciam*, ex cordis intimo *Luca* 18.
respondebis, *Domine ut videam*, & agnoscam quod vis à me fieri & peragi.

Semper & ubique agnoscere debemus, Soror charissima, quantùm lumen cæli necessarium nobis sit: hæc enim necessitas superat quidquid verbis exprimere valemus; cùm absque eo incapaces simus inter tot tenebras quibus, circumcingimur, progressum faciendi; & in periculo versabimur labendi, nósque lædendi, nisi Deus manum nostram teneat, nósque deducat. At etiam pro certo habere debemus, quod si suâ manu nos teneat, æquè securè in tenebris ambulabimus ac in lumine.

In cordis ergò intimis agnoscamus quantùm isto lumine indigeamus, & contendamus eam reperire; id enim à nobis requirit Deus. At cum fecerimus quod in nobis est, in eo requiescamus, illúmque secundum suum beneplacitum agere sinamus. Sufficit enim nobis si nos teneat. Id tibi hic obiter annoto, quia maximi momenti est.

Desiderium tuum progrediendi in illud faciei Dei absconditum adhuc per illa Davidis verba exprimere poteris, qui de animabus totis Deo devotis, ita loquitur: *Abscondes eos in abscondito faciei* *Psal.* 30.
tuæ, à perturbatione hominum; ejúsque bonitatem obnixe precaberis, ut illa in te adimpleat, ad quod per hæc tria te dispones.

1. Per humilitatem, quâ agnosces te absolutè indigere, ut ibi abscondaris & tegaris; vitam morte pejorem esse si ei desit divinæ

illius faciei aspectus, & te indignam esse, quæ ibi admittaris; at te eam adjurare per teipsam, ut ibi te recipiat, cùm id tantùm desideres, ut ei gratior efficiaris.

2. Per tuiipsius spoliationem, cujus actus produces protestando te nihil velle in cælo & super terram, nisi ipsum solum Deum cordis tui, & partem tuam in æternum, unicúmque objectum, cui adhærere velis, cætera non attendendo nisi in eo, & propter illum, atque hæc Davi-
Psam. 72. dis verba toto corde cantando, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

3. Et tandem per altissimam existimationem potentiæ Dei, quæ firmissimæ fiduciæ conjuncta sit, & optimam illam ægram imitetur, quæ
Matth. 9. in corde suo dicebat. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus salva ero.* Aperi etiam cor tuum affectibus, exempli gratia dicendo.

Sapien. 7. O Divina Domini mei facies! O Salvator animæ meæ, qui es *Speculum sine macula & imago bonitatis Dei*! O radians splendor æterni luminis, unico tantùm intuitu tuo opus est, ut pauperculum cor meum sensibus amoris tui penetretur, atque anima mea splendoribus veritatis tuæ repleatur & sit fidelis. Cum fiducia sperare volo, quod tandem aliquando tua integrè futura sim, possímque dicere cum Sponsa Can-
Cant. c. 6. tici, *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Omne studium adhibe, ut hanc existimationem, háncque fiduciam in cordis tui penetralia introducas; & memento, quòd sicut Beati, uno intuitu, in Deo vident quicquid cognoscere possunt, ita Deus rationem nostram uno intuitu sæpius penetrat, veritatem nobis manifestando; voluntatémque determinat, nobis demonstrando in pacis silentio, etiam in momento, quod unicum bonum animæ sit, ejus salus, & totum ei sit.

Cum sic te ad intrandum in absconditum faciei Domini disposueris, & ad te præsentandum coram illo speculo paraveris, ubi omnia præsentia sunt, nec quicquam deest ex præteritis, præsentibus & futuris, has considerationes facies.

ARTICULUS PRIMUS.

De excellentia honoris, quo honorat nos Deus nos amando, volendo à nobis amari, & eligendo nos ut eum ex statu & professione diligamus.

Prima consideratio.

Considera primò Dei in nos amorem nostræ creationis esse principium; cùm nihil fecerit quod non voluerit; & ideò dilexerit.

Illum ex mero amore nos creasse, ut in nos amorem suum exerceret.

Nobilitatem animarum nostrarum magnam esse; quippe quæ ex Dei amore natæ sunt.

Et ideò non mirandum, si amor Dei eis nativus sit, si proprio instinctu ferantur ad eum quærendum, nec possint in alia re quiescere, & si tandem gaudium in illo tantùm amore inveniant; cùm ex eo creatæ sint, & quidem nobilissimo supra omnes amore: quippe qui nec utilitatibus inde à se reportandis innixus est, (nulla enim utilitas ex creaturis Deo evenire potest,) nec gratitudine hominum sustentatus; illorum enim ingratitudo semper ei præsens fuit & cognita; nec complacentiâ attractus: amor enim hominum, amori Dei longè impar est. Hic ergò purus amor sibi ipsi incentivum est.

Potest-ne amor quisquam reperiri amore Dei melior? Cujus magnitudo & Majestas omnem cogitatum superant; qui ad te quærendum processit, quamvis pulchritudine, bonitate & divitiis destituta esses, aut alia quacumque re, quæ eum attrahere valeret; qui te in nihilo reperit, & inde suscitavit, ut suo præveniret amore, & ex nihilo aliquid faceret quod diligeret, eúmque vicissim redamandi capax efficeretur. Nihil aliud in ea re dicendum nobis occurrit, aut agendum, venerabilis in Christo Soror, quam nos demergere in primum nihilum nostrum, agnoscendo & cogitationes & verba nobis deesse quibus exprimere valeamus qualiter, & in quo supremo gradu nobis Deus totum est.

Ex nihilo naturali, ad nihilum peccati transeamus, in quod infidelitas & ingratitudo nos præcipitârunt, & attendamus Deum, qui sui-ipsius & Majestatis suæ quodammodo oblitus, se se per varias amoris adinventiones & industrias transformat, séque in victimam convertit, ad nihilum illud redimendum, & è præcipitio miris mediis retrahendum, ut suo amori jam pacato restituat. Si anima David deficiebat in atria Domini; istæ profectò veritates agnitæ, nostras saltem stupore afficere deberent ex intuitu excellentiæ amoris ejus in nos, & honoris, quo nos diligendo cohonestat. Sed saltem in impotentia nostra imitemur adhuc cæcum illum Evangelicum, Christo dicendo sicut & ille: *Domine ut videam.* O Domine si cognoscerem; si res proùt sunt, amorísque tui in me mirabilia viderem, quid fieret de me? Quid non facerem? Venisti me in nihilo quærere, ut me faceres quod sum, méque diligeres. Quid proferre valeò de ejusmodi Charitatis miraculo, & c. Amoris tui in me excellentia & honor me longè superant. Quod dicere valeo, in hoc verbo instauratur. Per te solùm existens tu es qui es; ex me verò semper nihil sum. O Domine lauda ergò teipsum pro me, téque mirare. O totum! meo supple nihilo, tibíque honorem quem mereris, exhibe, quòd miseram creaturam, qualis sum, tuo amore prævenire & honorare dignatus sis.

Secunda consideratio.

Considera Deum velle à te amari, & hac tantùm de causa tibi liberum concessisse arbitrium, ut haberes unde posses eum redamare ex libera electione, non ex necessitate, aut coactione. Non destitit abundantiam beneficiorum suorum in te effundere, nonobstante ingratitudine tua, ut tibi ostenderet, quod te semper operibus diligeret téque à se longiùs recedentem retraheret, & ut certiorem redderet ad eum iterùm amandum aditum tibi semper esse relictum. At Christus tùm in vita, tùm in morte manifestavit quantùm desideret à te amari, cùm amor eum impulerit ad sacrificium de vita sua componendum, ut facultatem eum amandi tibi restitueret. Ex amore mortuus est, ut amoris jacturam in te repararet, ísque amor ad extrema quæque se contulit, ut tuum excitaret ad gratitudinem ei exhibendam per amorem, qui suum in te æmulari contenderet.

Tertia Consideratio.

Considera illum velle à te amari perseveranter, & ideò ad statum illum attraxisse, ubi plura Charitatis vincula reperiuntur, quibus libertas tua suo supremo bono alligetur, sicque voluisse varias præcautiones adhibere, quibus à deserenda ejus Charitate impedireris. Timere videtur, ne te perdat, cùm salutem tuam tot novis mediis assecurare satagat.

At volendo te à perditione liberare, simul te disponit ad amoris ejus perfectionem assequendam vocatione suâ sanctâ, quâ in eo statu constituta es, ubi à pravis exemplis, à vanitatis objectis, à conversationibus dissolutis, ab occasionibus proximis; & pluribus aliis noxiis separatis, quæ in mundo passim obvia sunt, unde pericula illa sanctum amorem perdendi nascuntur; in quæ, quasi navis in scopulos salus tua fortè impegisset, & ubi media præparata habes, ad ea deserenda quæ obstaculo fuissent, ne illo sancto amore, velut vestimento indueretis & replereris.

Hìc contende in profundum gratitudinis te submergere, & si sensu & verbis careas, qualia optares, ipsum Dei amorem interpella: atque his aut similibus affectibus aggredere. O Sacer Dei amor semper idem es! Quæsisti me in nihilo mihi nativo, ut creaturam tuam efficeres, venisti ad me in nihilo peccati constitutam, ut opus desiderij amoris tui ex me componeres; & tandem me prosecutus es, ut à seculi corruptione eriperes, & amoris tui teneritudinem in me exhiberes, &c. O sacer amor, perfunde me sensu gratitudinis ergà te de his quæ tibi debeo. Me semper ante te in nihilo meo constituam, ut sis mihi omnia in omnibus, &c.

Ad S. Virginem te converte, eámque per magnitudinem amoris filij sui in eam, & sui in filium adjura, ut tibi sit auxiliatrix, & anima tua supradictis veritatibus repleatur, bonáque proposita adimpleas. Ora eam ut proferat tibi verbum sicut in die Visitationis protulit Elisabeth, &c.

Ad S. Institutorem Visitationis accede, & venerando eum sicut Patrem, quippe qui educationi tuæ spirituali & temporali providit ut Pater. Expone ei quid insuper ab ejus paternitate expectes, & pete ut à Deo cordi tuo obtineat magnum Charitatis vulnus unde dimanent gratitudo & fidelitas in adimplendis bonis propositis circa istas veritates agnitas emissis.

Adjura etiam filias cælestis Hierusalem, eísque congratulare quod dilectum jam invenerint, eóque perfruantur, ut annuncient ei, quia etsi amore ejus non langueas, eo tamen emori peroptas.

Proposita tua erunt 1. Animam tuam nobilem æstimare, ut quicquid materiale, aut amissibile est, aut ad Dei amorem non refertur, ea indignum reputes.

2. Amorem tuum valde pretiosum reputare, cùm ex eo Deus ipse complacentiam haurire velit; & ideò amorem istum non inutiliter in affectiones superfluas insumere.

3. Statum tuum quasi prædestinationis notam considerare & quasi felix domicilium in quo te conclusit, ut servet securiùs, & à periculo deserendi ejus amorem, ac tuum perdendi servet.

4. Infidelissimam voluntatem illam æstimare, quæ tantâ erga se Dei benevolentiâ abutitur; id enim est velle quasi invito Deo se perdere; quando tot media contulit ad salutem, & eis uti recusamus.

Pro secunda & quinta die.

MAne surgendo mentem ad Deum levabis per aliquam devotam aspirationem sicut pristinâ die, luménque, ac auxilium petes, ut quod in secundo articulo continetur assequaris, nempè, *defectus amoris tui erga Deum & proximum detegere.*

Datâ Orationis horâ dispones te ad intrandum in absconditum faciei Domini, sicut hesternâ die, ibique coram divino speculo cùm omni reverentia te collocabis; ut amoris tui in Deum nævos agnoscas.

In ejus conspectu his duabus veritatibus acquiesces.

1. SI Deus voluit ut in hac mortali vita nescíremus certitudine fidei, utrum amore ejus digni simus, an non; id fit ex arcano ejusdem amoris consilio, qui sic vult se communicare conservare & augere in nostro libero arbitrio, ac periculo ejus gratiis abutendi nos non exponere, atque ad incrementum reverentiæ & humilitatis erga Patrem

cælestem promovere. Si sic nobiscum cum ejusmodi familiaritatis temperamento agit, ne bonitate ejus abutamur; id etiam fit, ut ad exercendum nos in spe, & fiduciâ adigamur, & delectet eum videre nos ad eum semper recurrere, in eum sperare, & in eo quiescere. Si verò quandoque suavissimum amoris illius sensum degustare animæ concedat, id fit ut excellentiæ ejus sensu ad strenuè operandum & laborandum eam alliciat. Si autem timorem eo amore carendi relinquat; id fit quia desiderium illum habendi, timori eo carendi conjunctum, optimum medium est ad animam in exercitio illum semper prosequendi, & quærendi ponendam.

2. Ad agnoscendos amoris nostri defectus sufficere nobis debet, si voluntatem nostram examinemus & adinstar medicorum circa ægrotos, eorum pulsum tangentes, ejus etiam erga Deum motum exploremus.

Hîc cor aperi ad adoranda Dei consilia; & fatere omnia ab eo in sapientia fieri.

O Deus meus! nihil scire desidero, nisi quod à me sciri vis. Et me multùm superat honor ille sciendi quod ad te pertineam. Vellem scire, & sentire meo modo; at nec scire, nec agnoscere, nec gustare velle debeo, nisi proüt vis.

Post modum examen voluntatis tuæ sic institue.

1. Si perfusa sit desiderio, ut tota Dei sit, & in adimpletione voluntatis ejus proficiat, non tantum, ejus quæ vocatur bona, sed quæ etiam beneplacens & perfecta dicitur. Hujus propositi rationes, venerabilis Soror, ita in ejus in nos amore & nostra in eum obligatione benè fundatæ sunt, ut rationi & sensui renunciare opus sit, aut eas æquissimas agnoscere.

Intuere ergò in quo statu illud propositum versetur in tua voluntate; & aperi cor tuum Deo, ad affectuosè recognoscendum quàm justè id à te debeatur.

Ingratitudines & negligentias tuas fatere, & semper pro coronide adjice amorosam humilitatem qua Deo hæc verba Job proferas: *Quid faciam tibi, ô custos hominum?* tuámque emendationem proponas cum illius supremi custodis auxilio. (*Iob cap. 7.*)

2. An aliquâ creaturâ distinearis, & si concessis in hac vita utaris cum pia indifferentia voluntatis divino beneplacito plenè subditæ.

Hujus indifferentiæ rationes evidentes sunt. Voluntas enim quæ illâ caret submissione furatur quod soli æterno amori Dei debitum est, qui perpetuus est, & cujus sunt omnia; sibi vero injustitiam facit accersendo quod pacem ab ea expellit, & causas dolorum, quos in privationibus patiatur.

Considera in quo statu voluntas tua sit circa illud. Confitere Domino; humilia te, & emendationem propone.

3. An

3. An verum habeat desiderium nullum nutriendi peccatum voluntarium, quantumlibet parvum, nec quicquid perfectioni statûs sui oppositum est. Velle aliter se gerere, est velle semper cum Deo cunctari, & ut amorem suum nobis in omnibus exhibeat, dum meliorem nostri partem volumus reservare. Melior enim pars, exceptio illa est, quam ex re quæ integra esse debet, retinere nobis volumus. Considera in quo statu anima tua in hac re versetur. Agnosce, confitere, humilia te, &c. Emendationem, ac restaurationem eorum, quæ tibi desunt, propone.

Vt autem coram divino illo speculo amoris tui in proximum defectus recognoscas, attentè sequentes considerationes facito.

Prima Consideratio.

AMor Dei & amor proximi ex eadem scaturigine procedunt. Amor ille, quippe qui in Deo unicus est, nec seipsum, nec proximum diligere potest, nisi per eamdem dilectionem. Christus amorem proximi amori Dei conjungit, respondendo ei à quo interrogabatur, & inde ei significat eum, qui prætenderet ab amore Dei separare amorem proximi, velle ipsum Dei amorem dividere. Et ideò non est mirandum si B. Joannes Evangelista ponat amorem proximi quasi amoris nostri in Deum probationem. *Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo diligit Deum, quem non videt.* *Epistol. S. Ioan. cap. 4.*

Secunda consideratio.

MAgna fit jactura erga Deum, erga seipsum, & erga proximum per defectum, aut diminutionem fraternæ Charitatis; cùm Charitas sit intima animæ consolatio, ei nativa, & eadem sit, quæ illam unit cum Deo, quâ uniri debet cum proximo; & si se proximo non uniat, à Dei unione se disjungit, qui consolationis ejus & quietis centrum est.

Charitas roborat; quia plura ad unum finem adunat. Id facilè probatur ex inconstantia, & debilitate quæ in disjunctione reperiuntur; at in Charitatis unione quid possibile non est?

Boni executionem facilem efficit, & ad illud peragendum inflammat, per bonum exemplum, per bonorum colloquiorum permixtionem & per mutuum auxilium. Extra illam nihil nisi pericula, casus, & desolationes. Numquid ergò magna jactura est, speciale Dei auxilium, consolationem, fortitudinem, & boni operationem à se removere.

Tertia consideratio.

EJusmodi jacturæ à S. Religione debent removeri, alioquin injuria Deo, & magnum proximo damnum inferrentur. Ibi in unum congregantur, qui verum amorem profitentur. Modus bene diligendi, & occasio dulcedinem adimpletæ Charitatis sentiendi ibidem reperiuntur, & animæ ibi congregatæ ad dæmoni terribiles deveniendas, sicut castrorum acies ordinata, disponuntur. Quid autem est acies, venerabilis Soror, nisi unio bene ordinata & regulariter constituta? Id in Religione reperitur. Unio ibi constituta & ordinata est per Charitatem, & ex ista ordinata unione exercitûs species componitur. Nónne ergò qui istam perturbat unionem ex defectu Charitatis, magnum damnum infert proximo, quem ibi Charitas Dei ad debellandos & vincendos hostes suos collocavit? Tantum abest ut ab invicem dividamur, ut certare ad unionem Charitatis deffendendam debeamus, sicuti milites pugnant, ne illorum acies frangatur & subvertatur. Si enim rumpitur, actum est de ipsis. Similiter, si unio Charitatis in Religione dividatur, jam cessat Religio inter sic divisos.

Aperi cor tuum his, aut similibus affectibus.

O fons Charitatis, quid ferre, aut agere non debeo, ut per me non stet, quin ubique diffluas, ubique regnes, & omnia absorbeas? Quid amabilissimæ Charitati comparari potest? O Domine, si miles vitam exponit ut victoriæ à suis commilitonibus reportandæ contribuat, me vecordem, & indignam, quæ in sancta Religione conscripta sum, fateor, si quicquid mihi commodum est & arridet non exponam ad servandam Charitatis unionem, ad eam augendam, & à violatione, aut imminutione tuendam.

Statum animæ tuæ circa Charitatem proximi examina.

1. Si firmum propositum habeas omnes sorores æqualiter diligendi propter Deum, nec velis plus in illa, quàm in alia tibi complacere, nisi ratione majoris similitudinis Dei in ea apparentis, id est majoris virtutis. Nam si deesset hæc ratio, nec justè, nec purè pro Deo proximum diligeres.

2. Si nec minimam velis adversus quemquam nutrire aversionem: etenim nutrire aversionem, famem Charitati inferre est.

3. Si statuas illum patienter supportare; & si studeas lenitati, quæ est quasi balsamum Charitatis, quo recreatur cor, malum temperatur, & vulnera sanantur. Si absit istud propositum, Charitas tua similis tantùm erit Soli in aqua fontis effigiato, qui disparet statim atque aqua movetur, aut turbatur.

Profectus & proposita tua hìc versabuntur circa rescissionem omnium quæ istis veritatibus adversantur.

Ad Sanctam Virginem, & ad S. Institutorem verte eloquia tua; omnésque cives cælestis Jerusalem adjura per Charitatem & unionem cum Deo, quâ fruuntur, & inter se habent, ut tibi auxilium præbeant.

Pro tertia & sexta die.

MAne surgendo aliquas Deo aspirationes emittes, sicut pristinis diebus, ut ab eo obtineas quod in tertio articulo continetur; nempè ut animosè studeas praxi amoris tui erga Deum & proximum ad perfectionem promovendæ.

Datâ Orationis horâ dispones te ad intrandum in absconditum faciei Domini, sicut jam fecisti heri & nudius tertius; & coram divino speculo omni, quâ potes, reverentiâ constituta, ad perficiendum in te amorem Dei & proximi his considerationibus te provocabis.

Prima consideratio.

AMor Dei in nos nunquam fuit otiosus; ingratitudo & infidelitas hominum illum potiùs impulerunt ad demonstrandum per facta mirabilia quid facere capax esset, quàm ad se reprimendum. Divinus ille amor, solis adinstar semper capitibus nostris imminet & lucet. Dies componit nonobstante nostra crassitie, & temporum diversitatem in animabus nostris producit, per varietatem statuum interiorum in quibus nos constituit. Ad id ita disponit, ut fructus sancti amoris ibi nascantur, & ad maturitatis perfectionem perveniant. Quid autem fieret de fructibus, nisi maturescerent?

Secunda consideratio.

REligio est Sacri Amoris Academia, in qua nos quasi scholares collocavit divina bonitas, ut illius exercitia addiscamus, sive in difficultates superando, sive in passiones domando, & sub fræno & regimine Charitatis continendo, ut sic doceantur manus nostræ ad spirituale bellum, & ad prætervolandum quicquid spiritualem profectum posset impedire. Finis ergò intentus à Deo in vocatione nostra ad statum illum, nihil aliud est, quam noster in ejus amore profectus, & hac de causa media nobis suppeditat & Magistros sub se, exempla, Regulas atque documenta subministrat. Ipse etiam astat præsens, & occultis Providentiæ suæ dispositionibus varia nostræ spiritualis palestræ exercitia assignat, animat, ac roborat, adjuvátque modo quidem invisibili, sed animabus nostris cognito.

Circa ista affectus producito, dicendo cum Davide hæc admira-

Psalm. 143. tionis verba. *Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* Eaque tibi ipsi applicando dic Deo:

Quis sum ego, aut quid merui, ut tanta à te reciperem beneficia, creationis, vocationis ad Christianissimum & exinde ad Religionem? O Deus meus, siccine nec ad momentum à beneficiis mihi concedendis destitisti, & ego in tibi placendi exercitio non proficiam? Me excolere non cessas; & ego tempus illud perdam quod mihi tantùm concessum est ad crescendum in gratia tua? Plantasti me in horto tuo, & ibi ut planta infructuosa manebo, quæ inutiliter terram occupet? O sol animæ meæ miseram terram illam calefac, & cælestibus stillicidiis irriga, ut fructum afferat dignum gutturi tuo ad potandum labiis,
Cant. c. 7. & dentibus Sponsi ad ruminandum. O Deus, meus, nisi in amore tuo crescam & proficiam transplantata in hortum deliciarum tuarum,
Luca cap. 13. fateor, me mereri ut dicas & jubeas *Succidere illam, ut quid enim terram occupat?*

O Sol pulcherrime, Sol æterne, memento me pulverem tantùm esse. Anima mea se tibi præsentat, quasi terram aridam & sitientem quæ cælestes influxus à te expectat, in te sperat, voluntatibus tuis se exponit, & confidit se fidelitatis fructum tibi daturam, te benignitatem concedente. Totum à te expectat. Nam sine te nec lumen, nec pluvia, nec germen, nec flores, nec folia, nec fructus speranda sunt, sed te præsente & adjuvante omnia crescunt; & ad perfectum statum perducentur.

Vt te incites ad amorem tuum in proximum perficiendum his considerationibus utere.

Prima consideratio.

PRoximus iste semper tecum fuit unitus in æterno Dei amore. Æternus verò ille amor se quodammodo immolare voluit in sacra Christi humanitate pro proximo tuo sicut & pro te; debes ergò illum considerare quasi fructum amoris Dei, & ideò quasi rem infiniti pretij. Debes illum tecum considerare quasi unum, idémque objectum teneritudinis amoris Dei, quasi membrum ejusdem corporis, & quasi ejusdem Patris Filium. Alio modo proximum considerare, est opus Redemptionis Filij Dei velle dividere, & sicut nos simul redemit, & pro omnibus simul soluit, non mirum esse debet, si tantoperè desideret nos esse simul per Charitatem unitos.

Secunda consideratio.

SUfficit audire verba Testamenti Christi, ut intentiones ejus innotescant nobis. Ibi legemus, quid nobis leget & quid commendet

morti vicinus. Si ultima Patris verba morte naturali morientis Filiorum corda penetrant; verba Dei hominis facti, multò amplius nos penetrare debent, qui propter nos mortem suæ immortalitati conjunxit, & morti violentæ se se tradidit.

Verba Testamenti hujus, venerabilis Soror, satis supérque nobis exhibent solum amorem fuisse qui ad moriendum pro nobis illum impulit; imò mortem intulit: cùm doloribus mortis vicinus, verba tantùm amoris tunc effunderet, & nihil aliud ardentiùs discipulis commendaret quàm amorem, inde ostendebat spiritum, & cor ejus amore tantùm occupata esse.

Extrema ergò ejus verba à divino ore prolata quasi flammas ardentis in corde Charitatis erumpentia auscultemus: attentè consideremus quid commendet, qualiter commendet, & quomodo, quod commendat, oporteat à nobis adimpleri.

Hoc est, inquit, *præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* *Ioan. c. 15.* Et posteà seipsum tradit nobis in exemplum & explicat qualiter nos dilexerit: *Majorem hac Charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic dilexit nos, & sufficit hæc dixisse ut intelligamus quo usque pertingere debeat nostra in proximum Charitas.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & statim iterum subinfert, *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem.* Ut in eorum corda mandatum illud profundiùs infigat, exponit eis proprio amore illum præventum fuisse, ut eos eligeret, ut sic provocarentur ad amorem proximo exhibendum, qui mandantis amorem imitetur; qui amare non differat usque dum ametur; sed qui proximum in Charitate præveniat.

Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum *Ioan. 17.* *sicut & nos.* Post præceptum oratione utitur, & eo usque Charitas ejus in nos pertingit, ut nihil minus petat pro nobis, quàm ut ita uniti simus inter nos, sicut cum Patre unitus est. Sic potentissimis mediis utitur, ut Charitatem inter nos constituat, exemplo nempe, præcepto, & Oratione.

Affectibus cordis laxa habenas circa illud Charitatis miraculum.

O animarum Salvator & amator, quid emolumenti tibi conferre potest mutuus hominum amor! Solus amor qui te ad moriendum pro nobis impulit, urget te ad provocandos miseros filios Adam, ut Charitatem assumant velut unicum remedium, quod possit eis pacem dare, eorum miserias solari, & vitam servare.

O Domine satis demonstrasti nobis quid possit Charitas, quanti valeat, & quos effectus producat. Omnia salvat, totum mundum convertit, & iram Dei super ingratitudines hominum incessanter placat.

O Domine Deus, siccine Charitati tuæ ingrata ero; sic extremis verbis tuis dura & insensibilis; sic præceptis amoris tui rebellis,

ut in istius Charitatis praxi non proficiam?

Audio sponsam tibi dicentem, odorem tuum esse super omnia aromata. Aromata tua, ô mi Salvator, sunt Charitatis tuæ opera, quæ fortis fuit ad omnia facienda, suavis ad omnia excusanda & dimittenda, patiens ad omnia ferenda: fortis ad moriendum pro omnibus hominibus; suavis ad orandum pro crucifixoribus; & patiens ad supportandas irrisiones, eorum etiam pro quibus moriebaris. Firmiter credo, ô Salvator animæ meæ, veram notam, quâ anima inter sponsas tuas conscripta esse dignoscitur, esse Charitatis odorem, quem ubique spargit. Signum enim est, quod ejus authoris conjunctione fruatur.

Profectus & proposita inde à te haurienda erunt.

1. INtueri proximum in sinu Salvatoris ejus & tui, ubi est quasi objectum sui amoris, & ubi cum illo jungeris.

2. Statum tuum considerare, veluti sacram Academiam, cujus Magister Christus est, & ubi teipsam exercere debes in fideli praxi Regularum tui statûs, ut sic ad perfectionem amoris ejus pervenias.

3. Assumere tibi pro exemplo Charitatis tuæ erga proximum, fortitudinem, suavitatem, & patientiam Charitatis Christi in te, & in omnes homines.

Ad Sacram Virginem, quæ Mater pulchræ dilectionis est, & Templum in quo Charitas ipsa mansionem fecit, te converte; & ad Sanctum Institutorem tuum, quem per miram ejus in proximum Charitatem adjurabis, ut tibi spiritum Charitatis obtineat, modúmque edoceat; & postea ad omnes cæli Cives, qui nunc Charitatem ipsam in suo fonte degustant; tandémque his omnibus incentivis permota me in devotis orationibus tuis Deo commendare memento, qui sit benedictus in secula. Amen.

Item de annuo secessu, et de continuo in virtute progressu.

Cuidam devotæ Moniali.

FAxit Deus, Venerabilis in Christo Soror, ut anima tua Templum gloriæ ejus efficiatur, in quod veniat, & mansionem faciat, sicut promittit his, qui eum diligunt, & per observantiam sermonum ejus, dilectionem suam probatam efficiunt. Non simpliciter dicit per observantiam præceptorum, sed sermonum, ut indicet quicquid in Evangelio continetur hanc observantiam complecti. Quandoquidem sacra illius verba omnem veritatem continent, nullúmque ibi esse sermonem,

constet cui minor reverentia debeatur, quàm aliis; quippè cùm omnes ex eodem ore prolati sint, æquum est ut omnes in praxim redigamus. Etenim si aliquem neglectui haberemus, eum quasi inutilem tractando inhonoraremus.

Hoc verbulum ad te citiùs mitto, ut in secessu te adhuc existentem reperiat, ubi video te flagrare desiderio renovandi teipsam, cujus initium, ipsummet desiderium est. Illud enim adimplere Deum delectat ut asserit David, animam suam sic provocans ad benedicendum Deo; *Qui replet*, inquit, *in bonis desiderium tuum, renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.* Cùm ergo ipse sit, qui dat desiderium, credendum est illud dari non ut maneat inutile; & sperandum fore ut ab eo repleatur veris bonis, quæ optas & quibus spiritualis homo in te renovabitur, ut vigori vegetæ juventutis restituatur. *Psalm 102.*

Corpus quod corrumpitur, quodque gestamus semper aggravat animam, & ponderi horologij simile est, quod semper ad terram tendit & singulis diebus relevari indiget; sed insuper opus est, ut identidem horologiorum opifices imitemur, qui horologij partes disjungunt & separant ad rubiginem & crassitiem emundandam, quæ ex oleo rotis admoto, ut earum axes faciliùs voluantur, contrahitur, singulas partes visitant & crassitiem ibi formatam igni tradunt, ut consumatur. Rotas postmodum industriè detergunt, quibus tandem in pristinum locum repositis, & modico oleo novo & puro inunctis, pergit horologium, ac si novum esset. Hanc ex horologio desumptam comparationem prosequamur; ad capiendum enim quod tibi suggerere intendimus, non modicum conferet.

Modicum tantùm olei horologio adhibet opifex ille, quia si abundanter poneretur, facilè in crassitiem verteretur; cùm ferro proprium sit ex se aliquid proferre quod oleum denigrat & in fæcem convertit. Novum tantùm oleum subindè, deterso vetere apponit, sed in parva quantitate, ne pulvis huic crassitiei se adjungens, horologium inordinet, aut ad sistendum adigat.

Nunc hujus similitudinis applicationem tibi faciamus. Necessitas in qua versamur quotidie nosipsos quasi pondus horologij relevandi, experimento satis dignoscitur, quo videmus inclinationum nostrarum pondus semper ad terram tendere, in qua se sisteret & quiesceret, nisi relevaretur. Necessitas etiam nos aliquandò quasi articulatim discutiendi per considerationem & examen ad evoluenda conscientiæ & habituum arcana variis etiam experimentis nobis innotescunt. Sed D. Paulus ad id bene agendum nos instruit & optimè hortatur, *Deponere nos secundùm pristinam conversationem, veterem hominem* (non secundum naturam dicit, sed secundum pristinum vivendi & desiderandi modum) *qui corrumpitur secundum desideria erroris:* & posteà subdit: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum* *Ad Ephes. 4.*

Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Et alibi dicit. *Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.*

2. Ad Corint. c. 4.

Quid sibi vult Apostolus docendo nos, ut *renovemur spiritu mentis nostræ?* nempe Patri Spirituum spiritum nostrum cum humilitate & fiducia sæpe esse referendum, & ei offerendum quasi horologium quod opifici offertur, ut artem & industriam ei inferat prout placebit & benè incedere faciat. Indicat spiritum nostrum sibi ipsi debere esse attentum, ad detegendum an aliquid ibi sit quod non benè conveniat cum notitia nobis a Deo concessa. Quid est; quid sumus; Quid ei reddere promisimus, aut tenemur, ut si quid ibi deest, reparetur, sicut horologium visitatur ad rubiginem & crassitiem inde auferendam.

Is qui intus est, inquit, *renovatur de die in diem.* Id nobis denotat quod indigeat singulis diebus relevari, sicut pondus horologij, ut possit auxilio gratiæ adjutus, atque indefesso Orationis & vigilantiæ studio, de novo incedere: illud enim est, quod pondus ejus relevat & ad motum impellit. Id etiam nos edocet fiduciam quam in Deo collocare debemus; quippe qui curam habet nos per singulos dies renovandi.

Licet is qui foris est, inquit, *noster homo corrumpatur.* His verbis denotat quantùm indigeat ea rubigine, & crassitie, quam contrahit, purgari. Corrumpitur noster homo, Ven. in Christo Soror, variis modis; & in causa est, cur etiam oleum gratiæ & consolationis spiritûs non diu puritatem suam in nobis servet, & peccatum ibi semper producat aliquid, oleum illud spirituale inquinans, sicut ferrum horologij oleum denigrat. Inde etiam ex negligentiis & relaxationibus crassities in cordibus nostris nascitur, actiones nostræ, quasi reptantes efficiuntur, & adjuncti pulveris adinstar profectum spiritualem adhuc amplius retardant. Illud est quod supremum opificem compellit ad dona sua nobis moderanda, & ad manus nobis imponendas ut purget, nósque disponat ad ea recipienda quasi oleum, quo spiritûs, ac cordis nostri motus temperentur & renoventur.

Itaque indigentiæ nostræ cognitio urgere nos debet ad correspondendum Dei proposito, & ei adlaborandum, ut interior homo noster in statu bene & absque impedimento incedendi restituatur. Secessus verò locus opportunus est ad discutiendum, purgandum, & reparandum illud spirituale horologium; statue ergò apud te ei operi strenuè incumbere in præsentia supremi Magistri, qui ob hanc causam illuc te vocat; & fac ut studium tuum & diligentia ad te cum complacentia reparandam eum attrahant.

Tres magnas rotas horologij interioris, sive hominis spiritualis quasi separatim & sigillatim assume, nempe *voluntatem*, *intellectum*, & *cor* quod est sensuum naturalium origo, illásque rotas Deo præsenta eum obnixè

obnixè rogans, ut eis manum applicet, & ostendat tibi, quid ibi purgare debeas.

Rotam intellectûs primam assume & ibi attentè respice.

1. Si ibi suiipsius opinio habitet, & proprio sensui adhæsio; si curiositatem ad res seculares, aut superfluas non nutriat. Nam ut rem benè geramus mundus & spiritus ejus subversi esse debent nobis, sicut in mari rubro submersi fuerunt Ægyptij pro liberatione filiorum Israël quos persequebantur.

Si curas inquietas & prævisiones superfluas non nutriat, negligendo in sinum Providentiæ eas rejicere, eo modo quem alibi tibi expressimus. *Vide supra pag. 158.*

Si non se occupet per reflexus superfluos, circa res quas satis cognoscit, vel quas penitiùs cognoscere non indiget, ut eos resecando praxi multùm tribuat & parùm speculationi.

Vide culpas quas in hac re commisisti; hunc pulverem excute, istam rubiginem abrade coram oculis supremi Magistri; in Charitatis ignem projice quicquid maximè usque ad peccatum pertigerit, ut ibi consumatur, ignémque illum per veræ pœnitentiæ dolorem excita, ut perfectiùs ardeat.

Exactiùs adhuc voluntatis tuæ rotam visita: quia ipsa præcipua est, quæ alias movere facit, aut stare. Ipsa est in qua crassitiei substantia formatur. At quando rota illa nitida est & bene purgata, etsi aliæ sint pulvere conspersæ, non multùm importat. Etenim illas post se trahit, & ad horas pulsandas secundum Solis æterni cursum adigit.

Attentè ergò considera istius rotæ statum & vide.

An aliquid velit præter Deum ejúsque sacram dilectionem.

An non alicui peccato, aut in perfectioni, aut creaturæ adhæreat; & in oculis cælestis Magistri idem fac quod in rota intellectûs fecisti.

Tandem cor tuum visita & considera, an in propriis affectibus complicatùm existat; an in tuis sensibus non adsit nimia vivacitas? Etenim quamvis modicùm curandum sit de ejus sensibus, quippe qui incapaces sint nos peccati reos efficiendi, nisi aliqualis adjungatur consensus; attamen mortificationis exercitium debuit illorum acumen sic hebetare, ut si pungat, non penetret. Si ergò adhuc penetret; signum est non solum animam adhuc pungi; sed etiam eam impeti & perturbari ultra congruum modum. Signum est sensus cordis tui non esse satis mortificatos. Projice ergò quicquid impurum ibi est in ignem cælestis Magistri, promittendo illi te illorum mortificationi vacaturam. Postmodum te totam in illius manus remitte, offerendo te operationibus ejus ferendis qualescumque voluerit, & his mediis te renovatam & restitutam reperies.

Sed ne mireris si cælestis ille Magister non tantum olei consolationis

intimæ & sensibilis tibi concedat, nec tam sæpè, quam velles. Novit enim ejusmodi oleo pulverem teneritudinis, & negligentiæ crassitiem facilè inhærere; & ideò illud tantùm moderatè tribuit. Hieme videmus horologia velociùs incedere quando gelu rotæ sunt siccatæ. Idem sæpè accidit piis animabus, quas Deus in siccitate relinquit. Nos ergò totos ejus regimini dimittere debemus; & credere ejus bonitatem tantùm istius olei nobis daturam, quantùm opus erit. Porrò dummodo spirituale horologium nostrum incedat, & secundum ejus placitum horas pulset, sufficere debet nobis. En idea, quam tibi trado pro secessu tuo suscipiendo. Pro reliquis verò iis uteris exercitiis, quæ alibi tibi notata sunt.

Quæstionum tuarum altera, spectat ad rem notabilem; nempè quanti momenti sit in via pefectionis non se sistere, nec ab inceptis se relaxare; ad id etiam tibi explicandum horologij similitudo nobis inserviet. Horologium ergò debet semper incedere, nec desistere donec pondus ejus deficiat. Ita anima debet semper progredi, & ostendere in suo horario indice se semper Solis sui cursum sectari, donec vita corporalis deficiat, quæ per pondus illud designatur. Quid fieret si ultra pulverem & crassitiem, quam horologium contrahit, aliquid ei injiceretur, quod illud retardaret, aut ex professo sisteret? Importunum certè ex sua inordinatione efficeretur, & opificem dehonestaret qui fecit illud, & ea tantùm ratione in bono statu posuit, ut diei ac noctis horas indicaret. Horologium illud per temporum intervalla sistendo, artificis patientia tentaretur; imò provocaretur ad proprium opus totaliter deserendum.

Qui in via perfectionis stat, idem erga Deum exequitur; ei fit importunus, illúmque inhonorat, qui dicit, *posui vos ut eatis.* At timendum ei est, ne & ipse cesset à præstando ei divinæ suæ curæ auxilio, illúmque suis inordinationibus relinquat.

Quò plus cura Dei in nos se extendet, eò ampliorem gratiam, fortitudinem, & facilitatem ad omnia agenda & ferenda recipiemus; sed è converso Deum à nostri cura repellemus juxta negligentiam nostram in proficiendo & in eum sequendo; si enim proficere negligimus, ad eum appropinquare cessamus.

Nónne imaginem Dei in anima nostra incessanter portamus? Cur ergò desistemus illum referre in moribus & operibus? At cessabimus statim atque nos relaxabimus. Ejus enim Charitas semper in nos activa est, nec eam repræsentare valemus, nisi per activitatem reciproci amoris.

Si Dei bonitas nec ad momentum cessat nobis benefacere, cur à studio ei placédi desistemus? sed si purus amor id à nobis non obtinet, ad progrediendum nos cogere debet necessitas. Experientia enim docente discimus animam periculo omnia perdendi se exponere, quæ proponit,

sinit quietè remanere in eodem statu, aut se relaxare. Nonne ægrotus qui apud se statuit unum tantummodò pharmacum adhuc sumere, vel aliquid suo gustui gratius quàm medicamenta solita seligere, sanationi suæ renunciat & vitæ periculo se exponit? In remediis autem, aut diæta positus debet in his perseverare, donec sanetur; alioquin nihil actum est. Idem est quoad animas nostras, quæ morbo spirituali longè majoris momenti, quàm corporalis est, ægrotant; & morbus ille durabit, quamdiu in hoc corporis animalis carcere remanebimus. Quid ergò nobis eveniet si à remediis, quæ Deus præparavit contra passiones, & à spirituali diæta mortificationum, quam spiritualis & cælestis ille medicus nobis instituit contra amoris privati plenitudinem cessemus? In deterius ruemus, & animæ nostræ sentient passiones in dies roborari; virtutem in majori decidendi periculo versari; vitámque spiritualem in langoribus & mortis periculis constitui.

Semper & ubique venenum concupiscentiæ nobiscum deferimus, quod quidem per Dei gratiam ita temperatur, ut nobis non noceat nisi consentiamus; imò in purgativum remedium convertetur contra conscientiæ putredinem, sicut stibium, quod mortiferum quidem venenum est, sed ex eo temperato hemeticum antidotum componitur, quo corporis corruptiones expelluntur. Sed quantulumcumque istius concupiscentiæ sollicitationibus concedamus, in via Dei non progrediendo, aut nos relaxando; quantulumcumque desistamus ab insequendo quod gratiam ad sibi complacendam, séque in nobis augendam attrahit; concupiscentia subtiliter quæret modos prævalendi, nec eos quærere desistet donec repererit, nisi promptè ejus spem per oppositi boni generosam prosecutionem sistamus. Nullum medium in concupiscentia reperitur; ad extrema mala semper feretur, si regnare sinatur. Nec ergò medium ullum esse debet, nec ulla interruptio in prosequendo bono opposito, quod ejus pravos effectus removet.

Ægrotus pomum crudum vult comedere, sed statim atque deglutiit, colicæ doloribus arripitur, movet se & quaquaversùm vertitur, nec levamen invenit; sentit verò quam carè luat rei malè appetitæ comestionem, quam tamen parvi momenti esse æstimabat. Idem sæpe accidit animæ quæ in via Dei se relaxavit; buccella comesta super cor remanet & inde dolores & timores oriuntur.

Si profecimus in ponendo homine animali sub dominio hominis spiritualis, teneamus eum ibi cautè subditum; quia ad id labore & certamine opus fuit. At quantumlibet parùm nos relaxemus & indiscretè approximaverimus his, quæ cum ejus inclinationibus benè concordant, seipsum statim reperiet & novas vires resumere tentabit. Anima id tantùm plerumque detegit, cùm vult istum animalem hominem ad se reducere; sed tunc cum dolore sentit, illum semper eumdem esse, qui prius fuit, & pueros imitari qui clamant & resistunt, cùm

quis vult eis auferre quod manibus tenent. Lucendum ergò est quod ei concessit; & se adactam videt ad novos labores subeundos, ut eum sibi subjiciat.

Cùm aliquis brachium habet recenter à fractura reparatum, non debet se movere antequam tempus ad illud consolidandum transactum fuerit. Si enim illud ante moveat, ad novos dolores, ac gemitus ei redeundum est, sicut in prima curatione. Idem evenit animæ, quæ se relaxat, vel pristinis hominis animalis usibus approximat.

Illud est quod docere nos vult Apostolus, dum dicit, *Videte ne corrumpantur sensus vestri.* Multo tempore opus est ad sensus illos sub dominio hominis spiritualis constituendos; at in brevi, hominis animalis sensus resumuntur; & ideò admonet ut caveatur.

2. Ad Corint. c. 11.

Porrò dicendum est, quod si Dei consilium decrevit concupiscentiæ insultus nobis semper relinquere, quæ militant adversum animam, vel ad bellandum semper paratæ sunt; id fit ut existamus semper in necessitate progrediendi versus eum, ut securi simus, & occasio nobis auferatur in otio, aut desidia quiescendi. Sic quiescere, non amplius esset bellum gerere; sed hostem contra se invitare ad nos spoliandum, aut surripiendum; & hoc est quod perficere circa animas in virtutis stadio se sistentes intendit.

Ad extremum audiamus, Venerabilis Soror, ultima verba D. Antonij, quæ morti vicinus Discipulis suis dixit cum affectu planè materno, ut refert D. Athanasius, *Argentum & aurum non est mihi. Sed hoc sit vobis in commune mandatum, neminem in arrepti propositi studio tepescere sed quotidie augere, quod incepit. Ego quidem, Filij charissimi, Patrum ingredior viam, ut loquitur Scriptura, & Dominus vocat me. Iam cupio videre cælestia, sed videte, ô viscera mea, ne tanti laboris fructum repentè perdatis. Hodie vos Religiosum institutum arripuisse arbitremini & cœpta voluntatis fortitudo succrescat.* Sanctus ille vir, verborum suorum teneritudine ostendit quantùm desideraret filiorum corda eorum sensu perfundi; quippe qui per tot experimenta agnoverat quanti essent momenti. Vita brevis est; sed æternitas longissima. Urget mortis accelerans hora: ad quid ergo standum? *Ut filij lucis ambulemus.* Quamdiu illucet nobis dies, & *donec hodie cognominatur.* Forsitan enim nunquam aderit nobis crastinum.

Ad Ephes. cap. 5.
Ad Hebr. cap. 3.

Si Deum Patrem nostrum appellamus, non cessemus eum sequi. *Patrem vocabis me*, inquit, *& post me ingredi non cessabis.* Quibus verbis voluntas ejus per Prophetam nobis significatur. Si id non adimpleamus, non ei ut Patri obtemperabimus. Sed timendum est, ne etiam nos tanquam filiatione sua indignos tractet. Propositum ergò nostrum proficiendi & eum sequendi correspondeat desiderio quo flagramus, ut & ubique in omnibus ostendat se esse Patrem nostrum. Hoc tibi & mihi summoperè percupio.

Ierem. c. 3.

Item in idem secessûs annui argumentum.

SIt Deus benedictus & mittat ante te Angelum qui præcedat te, inimicos tuos terreat & deducat per desertum solitudinis ad quam pergis, ut progrediaris versus terram promissionis. Possumus quærere desertum & invenire etiam in mundo. Etenim fit nobis desertum, id est derelictum, dum studemus illum plus adhuc corde, quàm corpore relinquere. Huic studio vacare te velle video per Epistolam tuam, quæ brevissima est, sed ex abundantia cordis prolata. Breviter etiam tibi respondebo, proüt desideras, modo etiam quo potero simpliciori, expressiori & ingenuo.

Itineris tui propositum forma ex istis Moysis verbis, quibus Pharaonem allocutus est: *Viam trium dierum pergemus in solitudine, & ibi sacrificabimus Domino Deo nostro.* Ad renovandum Sacrificium quod jam Deo fecisti, in desertum pergere disponis. Non in deserti ora Moyses vult Sacrificium facere. Nam ibi Ægyptus nimis vicina esset; cor & affectus adhuc nimis proximi essent rebus deserendis. Verterent se ad retrò aspiciendum, & mens nimis pungeretur acumine objectorum, quibus sauciata animam in sui Sacrificij consummatione perturbaret. Viam trium dierum in solitudinem eundem est, ut convenienti commensuratione ab his distemus. Sacrificium enim quietem, silentium, & libertatem requirit. *Exod. c. 8.*

Statue ergò, tibi ambulandum esse per tres dies in solitudine, ad quam pergis, quorum primus erit solitudo corporis; secundus mentis; tertius animæ. Iter tuum in tres illas mansiones, sive tria diaria divides? quæ considerabis veluti media, quibus pervenias ad locum ubi Deus te expectat ad te Charitatis suæ victimam efficiendam.

In prima mansione

COr tuum inspicies, & agnosces Deum pro seipso illud fecisse, & semper inquietum fore donec in eo requiescat; cúmque cor illud indigeat firmitate ad inconstantiam sustentandam, consolatione ad leniendos peregrinationis suæ labores, & repletione ad famem sedendam, nihil in creaturis nisi inconstantiam, vanitatem & vacuitatem reperire. Experimenta tua te his veritatibus convictam reddent, & toto studio incumbes ad illud solitarium efficiendum; quippe quod solius Dei sit, nullúmque aliud consortium admittere possit, quin è suo centro extrahatur. Sed quonam modo cor illud potest reddi solitarium, cùm illius affectus in continuo fere motu versentur? Hac ipsâ re juvaberis ad bonæ fidelísque solitariæ exercitium faciendum, repellendo colloquia, & occupationes superfluas, quas creaturæ cordi tuo in-

ferre vellent, nec illud in earum affectu quiescere sinendo. Sicque conservabis quietem, quam tibi quasi unam de rebus quas sacrificio tuo, ut par est, perficiendo necessarias notavimus.

Deum alloquere & illa ex intimis Davidis verba profer. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.* Fatere quàm justum sit, ut illius solius sis. Expelle è corde tuo quoscumque affectus, nugas, & occupationes, quæ ad eum non referuntur. Veniam pete; culpas examina, & coram eo propone te deinceps solitariam corde futuram. Ista cordis solitudo præcipua est.

Quævis enim alia sine hac ad modicum utilis est. At memorare semper importunos illos motus & sensus, qui identidem ad cor redibunt, non impedituros esse, quin bona solitaria sis, quamdiu voluntariè eis januam non aperies, ut illùc intrent, quiescant, & tempus inutiliter terant.

In secunda mansione

Mentem tuam considerabis. Agnosces illam valdè propensam ad ea quæ sibi per cordis affectus, & sensus offeruntur. Et experimento solitudinis cordis, disces eam multùm prodesse ad solitudinem mentis obtinendam. Perspicies mentem humanam magnam habere propensionem ad curiositatem & subtilitatem, ad varietatem & multiplicitatem. Curiositate autem dissipatur, subtilitate præoccupatur & cæcatur; varietate fit famelica, & multiplicitate opprimitur. Quid ergò agendum, ut mens illa in solitudine ponatur? Studendum est ex libertate generosæ voluntatis has quatuor consortij species, quas libenter admittit, eliminare, atque ad simplicitatem & unitatem Patris Spirituum, ac Spiritûs principalis, qui centrum illius est, revocare. Eo modo silentium internum tibi accerses, quod necessarium designavimus ad Sacrificium tuum bene perficiendum.

Loquere Deo & Spiritum tuum cum Spiritu dilecti Filij in cruce morientis in manus ejus commenda. Expone ei cogitationum tuarum evagationes, & omnibus quæ te ab illo possent dimovere, abrenuncia. Pete ab eo, ut custodiat cor tuum & intelligentias tuas à vanitate curiositatis, & à deceptione subtilitatis, ab impedimento varietatis, & ab oppressione multiplicitatis immunes. O Domine, cum simplicibus tantùm sermocinatio tua est. Qui sunt hi simplices? Hi sunt qui te solum habent, ut sis eis omnia in omnibus; qui nec affectus, nec intentiones dividunt cum aliis, quàm tecum; qui tibi adhærent, ut unus Spiritus tecum efficiantur. Culpas tuas examina, & propone deinceps esse bonam solitariam spiritu.

In tertia mansione

ANimam tuam considerabis, illámque intueberis tanquam puram & de manu Dei venientem; quæ quasi in terra aliena est; quæ semper, & ubique secum defert characteres & lineamenta similitudinis Dei; quæ nec repleri, nec satiari potest ulla re materiali, aut terrestri. Aspicies eam quasi flammam, quæ tendit ad se levandum ad æternitatem, ad immortalitatem & ad supremum bonum, à quo exivit & ad quod reverti quasi ad suum principium aspirat, quódque principium ei brachia expandit & eam in hunc mundum misit eo tantùm fine, ut ejus fidelitas in probationis exercitio poneretur; & videret, an animæ istius libertas rebus circunstantibus adhærere recusaret, eligens totam Dei esse. Hic est ubi Deus animas expectat ad se eis uniendum, & ut eas felices Charitatis suæ victimas efficiat; at opus est ut eas in perfecta solitudine constituamus, ubi desideriis nostris & voluntatibus, ratiociniis & affectibus renunciemus, sicque nudi & omnibus spoliati in conspectu Dei expositi simus, quasi nudæ victimæ, ut immolet nos ad libitum.

Cor tuum hìc effunde. Agnosce te pro certo habere, illius Charitatis intentionem eò tantùm tendere, ut nos in suâ unione consummet, & pœnitentiam age de obicibus à te ejus intentioni positis.

O Domine, optimè novi, quòd ad rem alteri uniendam necesse est, ut nihil intermedium occurrat: Manus quæ chirothecâ tegitur alteri manui non potest conjungi nisi chirotheca tollatur; alioquin non manus, sed chirotheca tantùm tangeretur. Quomodo ergò possem tibi uniri, nisi anima mea sola cum solo, & omnibus spoliata tecum inveniatur.

Propone solitudinis tuæ consummationem facere per solitudinem animæ. Ea enim est, quæ unionis & Sacrificij consummationem facit, & veram Filiorum Dei libertatem confert, quam necessariam Sacrificio Charitatis tibi adnotavimus.

Incede ergò feliciter, Venerabilis Soror, & hæc tria diaria perfice in solitudine. Primum liberabit cor tuum à divisione; secundum custodiet spiritum tuum per simplicitatem & fiduciam; & tertium te annihilabit, ut transformeris in novam Creaturam suo principio redditam & unitam. Sic animam tuam perdendo, invenies eam, juxta Domini nostri Jesu Christi effatum, qui sit benedictus in secula. Amen.



CAPUT XIII

QVAEDAM DOCVMENTA COMPLECTENS *ad instructionem & solatium fidelis animæ.*

SCRUPULIS EXAGITATÆ.

Psalm. 18. OPTO, mi Chariſſime Theotime, ut abundes ſancto illo timore Domini, qui permanet in ſeculum ſeculi.

Quid enim, ô Theotime, hujus ſanctiſſimi Timoris abundantiâ tibi convenientius? Cùm ſcrupulorum quibus graviſſimè laboras, aptiſſimum contineat remedium. Hic nempè timor amoroſus, fiducialis ac laborioſus eſt, ſicque in veri mali fugâ obfirmat animum, ut etiam edoceat, *non trepidare timore, ubi non eſt timor*, nec inaniter conturbari.

Verus, inquam, timor Domini *Sanctus* eſt, quia cum diſcretione ac tranquillitate declinare facit *à malo* & facere bonum; *permanens* utique eſt in ſeculum, cum nec inſtabilitati, nec pœnitudini obnoxius ſit, ac puriores animas, ad ſublimiorem filialis fiduciæ gradum in dies promoveat.

At verò timor, unde præcipuè ſcrupulus exoritur, minimè ſanctus eſt; cùm pacem animæ, quæ fructus ſpiritûs eſt, funditùs exturbet, eamdémque ad ſervilis ſtatûs adigit vilitatem, in quo vix, quid agar, intelligat. Nec permanet in ſeculum; perpetuò nempe anceps & anxius, ædificat & deſtruit, format propoſitum, quod pœnitudine ductus mox deſerit; ſicque animam in illo anxietatis cruciatu detinet. Timor ſanctus iſtum penitùs diſſipat; atque ita ſibi invicem contrarij ſunt, ut ubi primùm mentem unus affecerit, alium foras oporteat expelli. Sed ei ſedulâ connitendum eſt induſtriâ, ut ſervilem hunc timorem exuat, qui perfectæ Charitatis, paciſque cupidus extiterit; cùm ſecun-
1. Ioan 4 dum Apoſtolum, *Timor non ſit in Charitate, ſed perfecta Charitas foras mittat timorem.* Si igitur vis ſanus fieri, ô Theotime, collabora utique nobiſcum; ſiquidem tua res agitur; omnémque impendes operam, ne,
Pſalm. 30. ſi neglexeris, *deficiat in dolore vita tua, & anni tui in conſcientia gemitibus.*

Firmiter ſtatuas auſcultare conſilia, vímque tibi inferre, ut illa ſimpliciter ſequaris. Quâ faciliori potuero ratione, morbi tui cauſas aperiam, ô Theotime, ejuſdémque explicabo remedia, & ne ratiocinandi, vel interpretandi ullus relinquatur locus, ex rebus maximè tritis ſimilitudines aſſumam. Sæpiſſimè enim contingit animabus hoc morbo

affectis, ut in novas se se angustias conjiciant, cùm de illo cum ipsis differentes, verbis non utimur adeò claris & perspicuis, quin possint in alium sensum retorqueri.

Hinc ad rectam timoratæ animæ institutionem, eâdem penitùs ratione procedendum esse existimo, quâ inexpertum, rudémque famulum herus erudit. Primò enim nudè illi aperit ea quæ vult ut referat: dicta obligat repetere, ut videat an ea bene intellexerit, retinueritque; reiterat, atque inculcat, quod malè intellexisse deprehendit: nec illum dimittit, quin prius constet famulum quæ sibi demandata fuerunt, fideliter executurum. Communis quidem hæc est, sed tibi conveniens comparatio; cùm expertus jam didiceris, timoratam animam, rectíque cupidam, res spirituales sæpissimè perperàm accipere, útque præoccupatæ opinionis dictamen suggesserit, sibimet applicare. Non mirum igitur Magistrum ac Discipulum allucinari sæpiùs; quemadmodum Dominum ac famulum, ut plurimum, falli necesse sit, si non omnimodâ cautione adhibitâ, num quod in mandatis iste habuerit rectè intelligat, ille neglexerit explorare.

Ad institutam igitur de scrupulis quæstionem veniamus; nec pluries dicta repetere, similitudinesve pigeat adducere, ut quàm dilucidè proposita tractetur materies, nec minima, si fieri possit, dubitandi supersit occasio.

Scrupulus propriè lapillus est, qui in viatoris calceo latens, illius offendit pedem, efficítque ut qui anteà facilè, jam nonnisi difficilè valeat ambulare. Quo quidem termino ad id quod in vita spirituali *Scrupulus* appellatur exprimendum, nullus convenientior poterat adaptari. *Scrupulus etenim est de peccato non existente judicium falsum, ex imperfectâ ancipitíque cognitione procedens, quæ mentem suspensam tenet, & in corde commotionem excitat.* Quod quidem judicium rationem inter ac inferiorem animæ partem residens, quem in ambulantis calceo lapillus, eumdem omnino in animâ producit effectum. Efficit namque ut nonnisi difficilè queat incedere; in quibusdam locis pedem figere vix audeat, ac quasi claudicans solummodò in virtutis via progrediatur.

Verùm ut clariùs hujúsce anxietatis originem, indéque remedia explicemus; notandum est, inferiorem animæ partem propriæ sumptam, interiorem sensum esse, ac ipsum cor: primásque rerum apprehensiones in interiori sensu efformari, qui mediante vi æstimativâ, de objectis sibi per sensus exteriores, vel per memoriam propositis, subitaneum, imperfectúmque format judicium. Hinc pro boni, malíve, sibi per sensum interiorem propositi qualitate, fit in corde commotio, quæ mox pro mutuâ facultatum hujusmodi connexione, mentem inflammat, sicque rationem ambæ perturbant ac præveniunt, ut in hàcce primâ rerum æstimatione nihil ratio operetur.

Hoc igitur, ut intelligas, sedulò retine. Hinc etenim quâ ratione scrupuli torqueatur anxietas, facile perspicies; nec ullum in primis cogitationibus inesse peccatum, ad quas nec ratio, nec liberum arbitrium ullomodo concurrunt. At si non illud intelligas; ne anxius sollicitúsque sis. Id enim in sequentibus practicè demonstrabitur. Hæc igitur anxietas, ob quamdam naturalis timoris teneritudinem, cor afficit; menti tamen, cujus vi in æstimativam veritas apparens falsa ludit imagine, magis infigitur. Hinc utrúmque invadit peccandi timor; ac velut ad inauditum de latronibus viam occupantibus rumorem timidos homines consternari, de periculo continuè cogitare, ac nonnisi mortis imaginem animo revolvere conspicimus; sic mente concepta peccati species, scrupulosum distendit ac cruciat.

Cordis timiditate suffulta vis æstimativa, plures rationi cogitationes objicit quæ illam ex improviso occupant, ac difficultates quas enodare nequit, ipsi proponit, eo quod sufficienti careat lumine, mentémque ac cor rationi subjicere non assueverit, eóque tandem destituatur robore, quod mortificatione comparatur. Verùm cùm in hujusmodi re nullum inesse peccatum, pro innatâ sibi luce, ratio cognovit; illud menti proponere contendit. Sed vis æstimativa mille contradictionibus ei obsistit, illos homines imitando, qui vano terrore perciti, cùm ex rectæ rationis judicio, nullum eis esse metuendi locum suaseris, se tamen non sine causâ trepidare pluribus insistunt argumentis. Nec minor est cordis, quàm mentis turbatio, quod pariter timore anxiè comprimitur. In tribus igitur scrupulus consistit; nempe.

In mentis commotione.

In anxietate cordis.

Et in Rationis, quæ quasi suspensa manet, indeterminatione.

Si ratio bene sibi constaret, cessaret haud dubiè scrupulus; vel saltem paulatim evanesceret; sed cùm illius indeterminatio ex defectu luminis, viriúmque, quibus mentem, ac cor sibi subjiciat, constet procedere; hinc perspicuum est, præsentissimum scrupulorum remedium, in duobus omninò consistere.

1. Ut doctorum peritorúmque consiliis, ac documentis rationem subdas.

2. Ut salubrem tibi vim inferas, quâ sicut circa cæteras passiones; ita & circa scrupulos, mentem, ac cor mortifices, peritorúmque consiliis obsequaris.

At, inquies, quid illi erunt conscientiæ stimuli, quos non audire eisque penitùs non obsequi, religioni ducendum est. Quod ut leviori negotio valeamus dissolvere, sciendum in primis, *Synderesim* esse instinctum quemdam, divinitùs in animâ impressum, quo malum peccati aversatur, bonúmque virtutis prosequitur. Hinc quandocumque pec-

candi se se dederit occasio, hujusmodi pungitur aculeis, quibus ut à lapsu præcaveat admonetur, & admissum statim exprobratur piaculum; & è contra, si virtutis actum aliquem exerceat, consolatione perfunditur. Verùm depravatis, per peccatum, animæ facultatibus, synderesis, quæ eminenter in ratione residet, in inferiori quoque ejus parte diffunditur, ejúsque proinde tùm motus, tùm dictamina, rectæ rationis judicio subjicienda, & intrà debitos limites omnino sunt coërcenda. Unde tibi mox à me subjicienda est hæc

Instructio.

SCilicet non omnibus conscientiæ stimulis indiscriminatim esse obsequendum, sed eos ad rectæ rationis veritatísque trutinam exigendos, vel saltem, cùm eos futili nixos fundamento ratio judicaverit, quidquid adhùc reclament in contrarium, nec à proposito, nec ab actu ullomodo desistendum. Igitur si dixeris, quoties hoc vel illud ago toties gravi conscientiæ pungor aculeo: penitus igitur ab eo abstinebo; ei planè similis efficieris, qui ideò cubiculum ingredi renueret, quod absque spectrorum metu, se nunquam in illo potuisse consistere asserat. Ut igitur, ni metum illum vicerit, meticulosior in dies ac imbecillior, tandémque ridiculus, & ad sua prorsùs ineptus munia redderetur; ita cùm húnc-ce stimulum, peritorum consilio, vanum futilémque cognoveris, ni penitus illum dimittas ad multa bona infirmus, & prorsùs inhabilis efficieris.

Sed ad institutam, viatorem inter atque scrupulosum, similitudinem redeamus. Quid viatori lapillus, quem Latinè scrupulum dicimus, è calceo non ejectus affert incommodi? Dolorem ei parit, inducit lassitudinem, & præ fastidio progressum impedit. Quid in scrupulosi mente scrupulus generat? Ariditatem ex mœstitiâ & anxietate procedentem, lassitudinem, quâ ad bonum tardior efficitur, ac denique fastidium, quo & debilior, & ad lapsum redditur proclivior.

Error est igitur non ferendus, ô Theotime, eâ mente fovere scrupulum, (fovere, dico non sentire; de sensu enim posteà differemus) eâ, inquam, mente fovere scrupulum, quasi major exindè circumspectio, & ad bonum via compendiosior enascatur; cùm è contra, animæ robur hebetet, illam terroribus anxietatibúsque repleat, languore conficiat, instinctúmque, quo ad bonum liberè operandum suapte naturâ propendet, penitùs obtundat.

Non ab imaginariâ humanæ mentis industriâ, quæ scrupulos fovendo faciliùs in bono proficere speraret; sed à divinâ gratiâ, necessarium confidenter expectandum est auxilium; cujus ut motibus obsequamur, opus est omninò conscientiâ bonâ, rectâ, accuratâ & sedulâ, sed non scrupulosâ. O quantùm interest discriminis accuratam inter,

ſcrupuloſá nque conſcientiam ! id jam nunc obſervabimus.

Sed quid tandem agit viator illapſi in calceum lapilli incommodum expertus? Illum adſtringit fortiter, & diligentiùs occludit, ne rurſus irrepat; ac ſi forſan irrepſerit, calceum exuit, lapillum perquirit, ac inventum ſtatim ejicit. In virtutis viâ eâ planè ratione tibi procedendum eſt. Occludendus eſt ſcrupulis aditus omnis, quos mox ut ſenſeris, ſedulò coneris eos abjicere : enimverò ſi nimium reflectendo, in animo diſtinere ipſos volueris, eâ planè laborares inſaniâ, quâ quis, ut expeditiùs incederet, hujuſmodi lapillos in calceos immitteret, vel illapſos nollet ejicere.

At fortaſſe objicies, ut lapillum è calceo; ſic ex animo cogitationes ac metus non abjici : Fateor utique : eos tamen, tum ex voluntate, tum ex rationis judicio anima reverâ ejicit, ſi ſcrupuli cauſas diligenter effugiat; nec eum apud ſe voluntatiè foveat : ſed & aculeus mentem ac cor acriori ſenſu exſtimulans, ſic paulatim obtundetur, ut nullam ampliùs rationi afferat moleſtiam.

Verùm ut ſcrupuli remedia evidentiùs agnoſcas, ex iis quæ ſuperiùs de ipſius diximus origine, ejuſdem progreſſum ampliùs explicemus.

Quiſquis ratione prædirus eſt, exindè propendet ad ſcrupulum, quòd ſynderesis inſtinctus, ipſi à naturâ inſitus, quoties peccati, ſeu veri, ſeu apparentis, ſpecies objicitur, mentem terrore concutit. Tunc niſi verum à falſo ſecernere, vanúmque timorem noverit propulſare, labitur in errorem, ſæpiúſque ſcrupulum incurrit.

Alii aliis ſunt ſcrupulo magis obnoxij, ex interioris ſenſus naturali diſpoſitione, quâ quis acrioribus pungitur timoris aculeis, proüt in apprehendendis objectis promptior, vel in mutandis levior, vel in admittendis cordis affectibus ſuaptè naturâ facilior invenitur. Accedunt & quamplurima, quibus ejuſmodi ad ſcrupulum diſpoſitiones, non mediocriter adaugentur.

1. Error in idea quam de Deo anima ſibi effingit.

2. Animi ſuperbia, qui ſui ſenſûs tenax, eum peritorum conſiliis præferre conſueſcit.

3. Commercium cum ſcrupuloſis, quorum mens ſemper dubia, nihil certi valet decernere.

4. Mentis immoderatio, non niſi extrema judicantis, ſive de peccato, peccandíque periculo, ſive de virtute ac illius exercitio.

5. Ignorantia veritatum moralium, ac genuini ſenſus quorumdam ſacræ Scripturæ locorum, ſollicitudinem anxietatémque in mente generans; eorum quoque ignorantia, quæ in inferiorem partem poteſt, aut non poteſt ratio.

6. Sed præ cæteris, uſu parata aſſuetudo ſcrupulis obſequendi, neglectóque Rectoris ſpiritualis conſilio, ſecum ratiocinandi ſcrupulum,

obfirmat. Eâ enim ratione, ô Theotime, imaginationi, ac æstimativæ tàm altè infigitur, ut curationi vix ullus supersit locus. Indè faciliùs poterimus indicare

Quæ sint scrupulorum remedia, ac primum remota.

IN eo igitur maximè consistunt, ut quæcumque jam nunc attigimus, penitùs amandentur, habitus contrarij studiosè comparentur, oppositísque firmiter sterur sententiis, quæ cùm à rectæ veritatis fontibus manent, ab illis maximè distant, quas ex suo sensu, adhibitis scrupuli perspiciliis, animus effinxerit. Quod ut melius intelligas, quid vir timoratus, rectæque conscientiæ, cui adhærere Deo bonum est; quid è contrà scrupulosus, de hujusmodi rebus sentiant, quámque dissimili gradiantur viâ, fusiùs est explicandum.

De ideâ quam de Deo sibi fingit.

SCrupulosus Deum austerum, atque tetricum animo concipit, qui verba ex ore subripiat, ut rixarum animadversionísque detur locus; qui mercatoribus planè consimilis sit, sic lucro addictis, ut nec mercem vilissimam credant absque chirographo, quique, si ad justum accepti floreni pondus bini teruncij defuerint, virum honestum, quamlibet longè progressum, importunè revocarent: Deum, inquam, qui percutiendi solummodò atque puniendi locum quærat; vel qui venatoris animum induit, qui post vepres delitescens, in obviam prædam catapultam explosurus pervigilet: vel denique austero Domino consimilem, qui servuli adhuc subrustici defectus non sustinens, illum statim in omnibus vellet industrium, & ad inurbanitatem vel minimam, maledictis, minis atque verberibus exciperet. Atque ea fermè de Deo effingit scrupulosus, quæ vir honestus, qui urbanus humanúsque vellet haberi, sibi adscribi gravissimè ferret; quantùm illa Deo displiceant, facilè est conjicere. Sed quid indè scrupulosus consequitur? Ipse quoque servi, ad oculum tantummodò servientis, animum induit, qui cuncta agit perperam, fugam perpetuò meditatur, ac eò demùm devenit, ut divinæ mentis generoso affectui tantùm ingeneret fastidij, quantùm & sibimet gravis efficitur.

Vir rectæ conscientiæ, cum de Deo format conceptum, in quo quidquid bonum, liberale, amabile, summum, potens atque mirabile est, in supremo gradu ita continentur, ut sicut in Deo sunt inseparabilia, sic in ejus mente, ad invicem nullomodò sejungantur. Utque ad nostrum concipiendi modum rem meliùs exigamus, quidquid in Domino amore ac commendatione dignum excogitari potest congeramus: morum facilitatem, naturæ comitatem, magnificentiam singularem,

quâ & immeritos beneficiis contendat afficere; indolis generositatem quæ in cunctis æqui bonique consulat, quæ facilè condonet admissa, & ab argutiis captionibúsque sit penitùs aliena: Majestatem formidandam, sed mirâ sapientiâ, bonitatéque temperatam, quæ subditos ad debitum semper adigat obsequium; potentiam terribilem, sed quam solummodò exerat in rebelles, qui nec ejus prudentiâ, nec humanitatis illiciis potuerint edomari; sapientiam in rebus gerendis præcipuam, quæ dominari equidem, sed summâ cum moderatione noverit, quæ famulos, pro beneplacito, rebus domesticis administrandis deputet, sed eorum captum, hebetis animi tarditatem, imbecillitatémque penset; quæ defectus ferat, sed & erudiat ac corrigat. Ac tandem, ô Theotime, cum mente fingamus Dominum, qui adeò suaviter, fortiter, ac sapienter se se gerat in omnibus, quísque eâ humanitate insolescentem famulum corripiat, ac comprimat, ut nullus omninò querelarum detur locus. Addamus prætereà, quidquid Patri in filium propensioris animi suggerit affectus, quem diligit, quem erudit, cujúsque commodis amantissimè prospicit: hinc sursum erectâ mente, universa hæc in Deo, sed sublimiori quâdam ratione contemplemur, túmque quid de eo vir rectæ conscientiæ mente concipiat, penitùs assequemur. Sed ô quantum inde bonorum cumulum! Majori in dies eum veneratione prosequitur, colit submissiùs, amantiùs reveretur, eóque accuratiùs omnis ejus sedulitas ad ipsius contendit obsequium. In proximum perhumanus ac facilis, ac Charitate propensus efficitur; ac demum in filiali fiduciâ erga patrem optimum proficiens, istud sapientis ore prolatum
Sap. 1. 1. sequitur consilium, *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Quid hâc cordis simplicitate innuit? Cor nempè ad Deum bonâ fide tendens, quod regiâ gradiatur viâ, nec sibi tot mysteria, metuendi causas, circuitus ambagésque animo confingat, quasi verò cum doloso argutóque Deo res fuerit, à quo sibi, velut ab homine versipelli, foret perpetuò præcavendum. Ea est omninò mente scrupulosus, quâ quàm gravem Deo inferat injuriam, apertè intelligitur.

De superbiâ.

S*Crupulosus* accuratioris observantiæ specie, latentem sæpius fovet superbiam, quâ privati sensûs pluris justo æstimator & amator, nil nisi perfectum optimúmque concipere sibi videatur. Hinc alia procedentes viâ contemnere, hos negligentiæ remissiorísque zeli condemnare, quæcumque à suâ discrepent opinione, consilia respuere, hísque demum difficultatibus implicari, quas nec ipse valeat resolvere, nec peritiorum consiliis, quæ capere non sufficit, extricare. Undique peccata circumspicit, ejúsque liberum arbitrium veluti laqueis irreti-

tum, qua se expediat, vel ubi scrupuli, acriori mentem vulnere pungentis, levamen inveniat, penitùs ignorat.

Vir rectæ conscientiæ, se tenebris, errorique novit in omnibus obnoxium, de privato sensu penitùs diffidens, peritorum se subjicit consiliis; indè plura animo perspicit, quibus, quos incurrisset laqueos, si micantem in privato sensu, apparentis solummodò veritatis lucem secutus fuisset, evidenter intelligit. Mox non mediocrem in discretione progressum faciens, eo mentis fit habitu, ut ex peritorum consilio maximum in arduis solatium, levaménque percipiat. In sanctæ Filiorum Dei libertatis usu proficit quamplurimùm, ac intantùm ad omnia redditur idoneus, quantùm disciplinæ remediorúmque capax effectus est.

De commercio cum scrupulosis.

SCrupulosus obsonium indè sibi gratissimum parat, sed quam crudum sit, citiùs percipit. Ipsius enim animus, debiliori stomacho similis effectus, qui ingesta coquere non prævalens, dolore colico cruciatur, nauseâ laborat, &c. Quicquid quantumvis minimum de hujusmodi ferculo degustarit, non nisi diuturnioris temporis digerit intervallo. Quot quæstiones, contentiones, timores, reflexiones, inquietudinesque dissolvendæ superant, Deus bone! experti novimus.

Vir rectæ conscientiæ intimam cum scrupulosis consuetudinem malum hoc sibi inferre posse agnoscit, eodémque humilitatis affectu, quo de semetipso diffidendum esse edocetur, nec quidquid boni speciem prætendit, illico amplectendum esse intelligit. Omnia auscultat, sed háccе labe infectis prorsùs credere renuit, nisi de re propositâ ampliorem notitiam ab aliis quæsierit, quos hujusce morbi noverit immunes. Communibus, usúque receptis adhæret regulis; ac si quid ab ipsis paulisper devium est, suspectum habet, ac veritatem diligenter inquirit. Novit enimverò errorem in mente, animæ perquàm noxium esse, multis illam afficere molestiis, ad vanum sæpiùs laborem adigere, & à virtutis tramite amovere. Igitur ô Theotime, summ operè vigilandum est, ne quis error in mentem irrepat, aut tantillùm foveatur. Heu! tot in ipsâ mente pullulant intentiori operâ posteà deponendi, ut aliunde conquisitos non libeat adjicere.

De animi propensione ad extrema quæque cogitanda.

SCrupulosus, ad extrema quæque maximè propendet; argutatur enim in omnibus, dum penitùs mentem exhauriat, nec quid subtiliùs valeat invenire. Si peccatum fugere proponat, ab omnibus prorsùs abstinere sic statuit, quasi non ampliùs peccator esset futurus. Si de

regulas sic condidit, ut humanæ menti, perpetuò quæritandi, extremósque sensus consectandi, daretur occasio.

Cum homo ex Christianæ humilitatis affectu, experimentísque quamplurimis, infirmitatem suam planè cognoscat; agnoscit utique eum qui extrema quæque consectatur, eorúmque se se adstrictum observantiæ pertinaciùs æstimat, indè magis peccatorem evadere. Cum enim à dictamine, quod ipsemet pervicaciter confinxit, vivendi ratio quandoque dissideat, contra mentem agens, sæpissimè peccatum incurrit. Vir rectæ conscientiæ à peccatis sic abhorret, illáque devitat, ut quorumdam tamen, sine quibus hæc vita non ducitur, se reum quamdiù vixerit, futurum minimè dubitet. peccatorum novit inter se differentiam, quo-ve horroris gradu sunt prosequenda, & quo eluenda dolore; ejúsque libero arbitrio, hâc ratione, à scrupuli anxietate soluto, peccatum voluntarium, deliberatúmque vitare sic satagit, ut centies mori potiùs eligeret, quam hujuscemodi piaculo à Domino separari. Demum vigilat & orat, ut eorum, quæ tantùm infirmitatis sunt, numerum minuat; & admissa, tùm dolore, tùm humilitate protinus eluit. Hanc peccatorum differentiam alio tractatu fusiùs exposuimus. *Tract. de pace animæ.*

Vir rectæ conscientiæ peccandi periculum intelligit juxtà rectæ rationis in medio virtutis constitutæ Regulas; ac proüt experientiâ, peritorum consiliis, & Charitatis decentiâ perspectum illud habet. Extremum denique Charitatis erga Deum, virtutísque gradum tanquam aliquid præstantissimum, optandúmque intuetur, ardentissimè concupiscit, atque velut fructum considerat, quem gratia quando, & quâ ratione ipsa voluerit, crescere facit & ad maturitatem perducit; quæ in semetipso ejus incrementum possent præpedire, à seipso amovere constituit: verùm id obtinere per animi conceptus ad extrema tendentes non existimat, sicque ea quæ de scrupuloso mox diximus, penitùs devitat.

De ignorantiâ veritatum moralium, genuini sensûs aliquot sacræ Scripturæ locorum, & eorum quæ Rationi possibilia sunt.

SCrupulosus, eâdem semper ratione procedit, nec sibi benè fore, nisi per excessus existimar. Circà veritates morales subtiliùs argutatur, ut eas quantùm fieri potest, ad peccatum mortale redigat; quasi verò justum Deo præstare nequeat obsequium, nisi mortem, mortísve periculum ubique sparserit. Illorum opiniones quæ peccatum mortale statuunt, avidiùs amplectitur, præfertque cæteris, quasi verò ad æternam Dei legem, ejúsque placitum (cui mors in indigna-

tione, & vita in voluntate est) aliquid addere homines valerent; eorúmque opinio ad mortem propendens, ibi mortem posset statuere, ubi Deus ipse illam minimè constituit, & ubi inesse non dixit; sicut de aliis rebus asseruit quæ verè mortifera sunt. Scrupulosus denique suo modo mortifera peccata sibi fingit.

Vir rectæ conscientiæ, circa veritates morales, mentis suæ non sequitur arbitrium, sed illotum documentis, quos maximè virtute prædiros, sed & à dubiis scrupulisque novit alienos, firmiter inhæret. Rectas regulas, de quibus modò diximus, circa peccatorum differentiam sequitur. Quidquid à Deo separat, sincero animo detestatur, potiúsque mortem obire statuit, quam peccato mortifero inquinari. Declinat à malo, & ab universis quæ illius speciem præferunt, eà solùm mente,ut Deo placeat. Ac illum offendendi periculo infirmitatem suam temerè non exponit; verùm à laqueis anxietatibúsque prudenter præcavet, quas profectò incurreret, si quæ lex divina, vel communis Ecclesiæ sensus, mortifera esse non asserunt, ipse lethalia contingeret; vel se,cùm aliquid forsan admiserit, quod posteà mortiferum suspicatur, ex qualicumque dubio, incertáque cogitatione, mortalis peccati reum æstimaret.

Se hujusmodi peccati non condemnat, quin ad actum concurrant circunstantiæ, ad mortalis peccati formam inducendam necessariæ; videlicet, cognitio rei illicitæ, vel ex parte objecti, vel ex intentione, cum plenâ advertentiâ rectæ voluntatis, tale malum, sic cognitum, acceptantis. Licet enim sufficiens adesset materia, mortale tamen non esset si forma deesset, in his præcipuè qui & voluntate, & vivendi ratione ab ejusmodi peccato conantur abstinere. Veritatem diligentiùs inquirit; cúmque à peritis, in aliquà re forsan mortale peccatum, quod penitùs ignorabat, subesse cognovit, dolore afficitur: summo amoris affectu à Deo negligentiæ veniam postulat, ac deinceps ab eodem penitùs abstinet. De admisso cujus malitiam non nisi postmodùm agnovit, animo non conturbatur; nec enim subsequens cognitio, quæ in actum non ampliùs valet influere, sed præcedens solummodò atque concomitans, coram Deo reum constituunt. Hominum opiniones, quæ communes non sunt, quæque singularitatis quidpiam præferunt, non sequitur. Enimverò qui sunt illi, quâ-ve authoritate præditi, ut in foro divino leges constituant? Id equidem temerè præsumerent. Eorum tamen opiniones, peccata sæpius valent inducere; siquidem conscientia quæ alicui opinioni, quam veram existimat, semel adhæsit, toties peccat, quoties infirmitate suâ fertur ad ei contraveniendum.

En quod homo potest operari, & ex se inquantùm homo est, efficere. Quid igitur indè expectandum? *Vir rectæ conscientiæ*, se se hujusmodi opinionibus non implicat, rectæ veritati ac divinæ gratiæ in-

hæret, & circa opiniones animo suspensus, nil nisi de peritorum exequitur consilio. Peccatum mortale, velut infinitæ Dei bonitatis offensivum, super omnia detestatur; veniale verò ut Deo displicens, ipsum inhonorans, ac periculosum, vitare satagit. Hinc, ô Theotime, efficacissimum in scrupulos parat antidotum; fit enim sæpiùs, ut qui hujusmodi peccatis venialibus voluntariè inhærent, mox in scrupulos negligentiæ suæ vindices incidant.

Scrupulosus, circa confessionem Sacramentalem, de examine, peccatorúmque declaratione, hæc mente concipit, quæ in praxi vix valeat adimplere: eâ enim semetipsum anxietate discutit, quasi cuncta, è memoriâ, vi possent exprimi; ac si forsan per oblivionem quidpiam exciderit, ipsius illicò reus sit futurus. Distinctionem eorum, quæ necessariò sunt exprimenda, & eorum quæ necessaria non sunt, ferre nullatenùs potest. Se nunquam sufficienter dixisse sibi videtur; de mortali semetipsum accusare, tutiùs esse arbitratur; quasi in confessione verè ac sinceré omnia non essent exprimenda; nec infelix ille satis advertit hanc agendi rationem tùm divinæ bonitati, tùm honori Sacramenti, tùm denique sanæ doctrinæ, veritatíque non convenire.

Vir rectæ conscientiæ, inter dispositiones ad Sacramentum necessarias, quæ sunt 1. Dolor de peccatis in Deum admissis. 2. Propositum non peccandi de cætero. 3. Peccatorum confessio. Hanc ultimam minoris novit esse momenti: Conversionis animæ in Deum essentiam aliquatenùs in prioribus consistere: & hanc quidem esse necessariam; sed cum fiduciâ, proüt memoriæ vires, debito examine bonâ fide præmisso, possunt suppetere, facienda est. Quod cùm pro virili parte præstiterit, ac de cunctis peccatis nullo prorsùs excepto, doleat, in divinâ misericordiâ, in quâ universa suâ delicta absorpta esse sperat, fiducialiter conquiescit, ac pœnitentiæ Sacramento eâ ratione plus tribuit, quam qui perpetuò conscientiæ latebras perscrutari non desinit. Dolori de admissis, ac proposito non peccandi de cætero, præcipuè insistendum est, quæ cordis dispositiones in scrupuloso sæpius valdè debiles inveniuntur, dùm nugis nimis anxiè occupatur.

Vir rectæ conscientiæ, peccata venialia, sufficientem quidem Sacramenti materiam esse; sed non necessariam, intelligit. Ita ut si unum solummodò in confessione aperiat: dolorémque ad cætera coram Deo extenderit, vi Sacramenti, universorum veniam consequatur. Hócce firmissimo nixus veritatis fundamento, suaviter, fortiter, libere, ac tranquillè se se gerit. Peccata venialia seriò disquirit, quæ confessario, ex humilitatis, pœnitentiæ ac Charitatis affectu, accuratè ac liberè aperiat; sed nimiis argutiis, vanísque terroribus, semetipsum non cruciat, quibus scrupulosi mens angitur, qui ut mortifera, ità & venialia, de necessitate, contra sanæ doctrinæ placitum, existimat exprimenda.

Igitur, ô Theotime, hoc firmiter tene, dolori de peccatis amoroso humilique, ac fiduciali proposito ampliùs non peccandi, præcipuè insistendum esse. Alioqui plures hujusmodi argutulos videre est, in sacrâ confessione, multa & inani verbositate, usque ad extremos cogitationum suarum apices exprimere; sed quasi penitùs acta res sit, hærere pro foribus, ac nunquam solidæ sinceræque pietatis elementa prætergredi. Egregiè sanè hâc-ce ratione proficiunt.

Scrupulosus aliquot Scripturæ loca, prout præoccupati animi sensus suggerit, interpretatur, iisdémque, ut conceptum magis ac magis obfirmet judicium, temerè abutitur. Exempli gratiâ cùm ex Proverb. 28. audit: *Beatus homo qui semper est pavidus*: illicò concludit peccatum ubique esse metuendùm; neque sapientis consilium probè intelligi sibi fingit, quin peccandi periculum in omnibus suspicetur. Cùm hæc Psalm. 18. verba audierit. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me:* Opinioni præoccupatæ firmiùs inhæret; plura itaque peccata gravissima infert à nescientibus admitti, ac ideò nec unquam satis rigido examine actus suos pensandos atque damnandos esse. Eâ planè ratione quamplura Scripturæ loca, indiscriminatim & immoderatè ad suum sensum detorquens, majori in dies inquietudine conficitur, ac seipsum scrupulosis interpretationibus miserè cruciat.

Vir rectæ conscientiæ Scripturæ verba sic intelligit, ut quid de Dei naturâ, qui Scripturarùm est author, conceperit, simul animo revolvat, cum sibimet, nec verbis, nec factis, possit esse contrarius. Ex nimiâ obstinati animi propensione ad extrema, sibi rectè judicandi facultatem præripi non sinit, sicque genuini Scripturarum sensûs capax efficitur. Circa primum locum. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Scrupulosi errorem perspicit. Numquid eum qui semper ibi trepidat, ubi non est timor, beatum significat? Minimè. Sed divini solummodò regiminis ordinem exprimit, quo ideò veri mali hominibus timor incutitur, ut desides pungat, ne torpeant; stantésque refrænet, ne corruant; ac demum in filiis suis Pater ille optimus timorem reverentem nutrit, quo ad recurrendum ad filialem ejus fiduciam tantummodo impelluntur, ut in ea conquiescant.

Ea propter timorem hunc beatum nuncupat. Hujus aculeis, eâ planè ratione ad amantissimum Dei sinum confugere compelluntur, quâ in matris sinum puerulus pavore percitus adigitur, ubi terrore deposito, maternis fruitur amplexibus: eodem enim amoris affectu filios excipit, qui ad ipsum, velut ad patrem optimum, fiducialiter confugerint. Hæc Scripturæ verba de humili diffidentiâ sunt intelligenda, quam ideò de seipso quisque debet concipere, ut peccandi periculis se temerè non exponat: sed ibi peccatum affingendum ubi prorsùs non est, minimè innuunt.

Quod verò ad alterum locum attinet; eum omninò discernit qui

moribus depravatus peccata mortifera sicut aquam bibit, ab eo qui verè ad Deum conversus, ab illis penitùs abstinere sincerè proponit. Horum prior, cum primùm ad Deum fuerit conversus, meritò hæc verba, ad occulta, sive mortifera, seu venialia debet extendere; fieri etenim potest, ut plura nescius admiserit, ex habituali negligentiâ, quâ plura commisit vel omisit, quæ non committere, vel non omittere poterat ac debebat, & ad quæ diligentiùs attendere tenebatur. Cúmque non omnia hujusmodi peccata noverit, nec valeat exprimere, postulanda est à Deo venia, sincerúsque dolor animo concipiendus, quo Sacramenti efficacia, tam super hæc peccata occulta quæ aperiri nequeunt, quam super concessa diffundatur. Ac de illis sanè David est intelligendus cum dicebat, *ab occultis meis munda me.* Alter verò, qui à priori negligentiâ, sincerâ ad Deum conversione recessit, quíque proposito à peccatis mortiferis abstinendi firmiter insistit, de venialibus solummodò hæc Scripturæ verba debet intelligere. Nec enim fieri potest, ut anima sic affecta, mortale peccatum nisi sciens ac volens admittat. Ita sanè, Theotime, vir rectæ conscientiæ hoc firmo nititur fundamento: cùm enim mortale peccatum formam habere nequeat, nisi ex cognitione mali quod est in objecto proposito, cum plenâ advertentiâ rationis, tale malum sic cognitum liberè volentis; si hæc-ce advertentia, ac libertas minimè concurrant, hoc peccatum, formâ destitutum, mortale non erit. Jam tibi exposui quomodo se gerit, quando deprehendit in actione jam facta fuisse mortalis peccati periculum, ideóque abs re foret illud denuò repetere. Verùm ut intelligas quod sit discrimen inter mortalis peccati materiam, ac peccatum mortale formatum, duo ligna prorsùs æqualia in sculptoris officinâ tibi finge, quorum unum, altero relicto, in dæmonis efformetur simulacrum; quod superest similis quidem figuræ continet materiam, sed tamen dæmonis nunquam futurum est simulacrum, nisi formam priori similem sculptor induxerit. Eâdem penitùs ratione, peccati mortalis materia, & peccatum mortale formatum, inter se differunt; ipsi enim forma solummodò inducitur, cùm voluntas, quæ hanc formam valet inducere, rei illicitæ cum advertentiâ ac deliberatione adhæsit.

Scrupulosus semetipsum adeò conturbat, ut quid ejus ratio non possit, aut quid possit, vix valeat discernere. Sibi videtur omnia efficere: ac posse mentem quò libuerit inflectere, illiúsque motus cohibere. Cúmque secùs quidquam evenerit, anxietate conficitur, mœrore tabescit, ac nullo penitùs facto discrimine inter quæ in sua potestate non sunt, ac nequeunt sibi ad culpam imputari, ac ea quæ potest facere, plurima temerè imprudentérque proponit. Quod quidem circa tria præcipuè solet evenire, quæ sunt.

1. Distractiones quæ in oratione contingunt.

2. Ariditates.
3. Motus ac sensus quibus anima impugnatur.

Quod ad distractiones spectat; scrupulosus mente terroribus idcirco que refertâ, ad orationem accedit, distractiones eâ ratione præventurus, & cogitationum tumultus impediturus: sed secus omninò sæpius accidit: muscarum enim adinstar, quæ in cubiculum, obductis licet foribus, per rimulas intrant, indéque difficiliùs quàm si pateret ostium, expelluntur, menti importunè illæ se se ingerunt. Inde timore concepto, ejus phantasia magis excitatur; animum intendit; quasi horarum debito non satisfecerit, pluries eas repetit; ac si ejusmodi cogitationum reus esset, semetipsum anxiè fatigat; indè socordiam incurrere, & orationem aversari incipit; eâ ratione semetipsum miserè exagitat, & ad bonum quod poterat operari, tantò minus idoneus efficitur, quò in vanum consumptis viribus, quæ minimè potest, nec Deus exigit, inconsultè præstare contendit.

Vir rectæ conscientiæ coram Deo in spiritu humilitatis ac fiduciæ apparet, eâ solùm mente, ut ad ipsius beneplacitum orationi ejúsque laudibus decantandis sedulus intendat: sed & probè novit, peccatum in hominum mentes phrenesim quamdam induxisse, quâ cùm rebus maximè seriis, & a sensu alienis applicantur, phantasmatibus, variisque cogitationibus ita distrahuntur, ut hæc quidem ægritudo ex integro curari nequeat, sed solummodò cùm advertitur, aliquatenùs remitti, hujusmodi nugis nullatenùs adhærendo, ac in illas voluntariè non reflectendo.

Vir rectæ conscientiæ ex imaginationis evagatione, quam pœnam peccati, ac rebellionem in rationem esse probè novit, minimè conturbatur; sed illi non consentire firmiter statuit, animúmque sic distractum, has-ce miserias patienter in spiritu pœnitentiæ sustinens, sedare satagit.

Cùm concepto ex hâc phrenesi dolore conturbatur, illum dulci quâdam ad Deum emissâ aspiratione temperare conatur, cum Psalmistâ
Psalm. 68. dicens, *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Indè quasdam similitudines animo revolvit, quæ humanæ mentis, hâc ægritudine laborantis, statum apertè referant, ut cognoscat voluntatem suam innoxiam esse, licet tristitia qua afficitur, contrarium ei conetur persuadere. Duas tibi profero, quibus ut pote vulgatibus uti debes.

Sæpiùs ad templum canis Dominum suum comitatur, dúmque hic supplex orat, ille ipso invito elapsus, cum aliis canibus subsilit, atque discurrit; & ad Dominum quidem redit revocatus: sed illicò ad pristinum lusum revertitur, ita ut hujuscemodi latratus atque discursus, quicumque in templo orationi intendunt, vel inviti, sufferre cogantur. Id omninò humanæ mentis imbecillitas imitatur, sed præterea

dæmonis orationi intensissimi interventu, imaginationis evagatio sæpiùs adaugetur, ut hujusmodi nugis orantis animus vel à cœptis avertatur, vel lassitudine deficiat, vel mœrore dissolvatur. Verùm hæc omnia non secus ac catellorum per templum discurrentium lusum, debet contemnere.

Alteram ex muscis assumito similitudinem, quas euntes & redeuntes non magis centesimâ, quàm primâ vice miraberis. Pungunt quidem, & manu illas abigis; hinc sustines molestiam, neque propterea fugientes insequeris. Quid enim proficeres? Qui muscas vellet persequi, eum illico sisteres; eâ planè ratione distractiones insequens animus est continendus.

Vir rectæ conscientiæ sciens demùm cogitationes, animíque fœtus sui non esse arbitrij; sed posse duntaxat orare cum recta Deo placendi voluntate; distractionum seriem, cùm primum eas advertit, promptâ subitâque ad Deum conversione abrumpere, illísque voluntariè non adhærere; ne frustrà tempus absumat, super eas lineam ducit, totísque viribus, bonis operibus, mansuetudini videlicet, humilitati, Charitati, suiipsius abnegationi, patientiæ, &c. quæ cùm Divinâ gratiâ ab ipsius pendent arbitrio, intendere fortiter proponit. In his, Theotime, vir rectæ conscientiæ omnes animi vires intendit, nec perperam sistendis animi evagationibus, aut variis conciliandæ attentionis methodis, immoratur; sicque ad internæ recollectionis, ac sublimioris orationis donum à Deo impetrandum disponitur. Eximiis enim hisce virtutibus, naturalium affectionum radices resecat, quibus distractionum exacuuntur aculei, qui vehementiùs acriúsque animum configunt.

Constat sanè distractiones, pro majori, vel minori animorum vivacitate plus, minus-ve multiplicari, plurésque adeò versatili esse mente; ut per totum divini officij tempus penitùs distrahantur, nec eorum tamen voluntas, majorem indè noxam, quàm ex somniis inter dormiendum occurrentibus, contrahat. In hujuscemodi mentis evagationibus, patientia, perseverantia, fiducialis ad Deum aspiratio identidem renovata tranquillæ attentioni, coram Deo, sæpiùs præponderant.

Quantùm verò ad ariditates, quibus anima lumine viribúsque destituta, defectui proxima sibi videtur.

Scrupulosus se statim illarum authorem reputat, nec attendens mentem, ex ipsius naturæ habitu, quandoque deprimi, nec potioribus adhuc rationibus insistens, ejus intima scrutatur, ut hujusce mali causam inveniat, ac veluti manu comprehensam ejiciat.

Sed hîc præcipuè scrupulus triumphat, ac veluti spina manibus compressa, altiùs infigitur. Efficit enim ut scrupulosus, frivolum quidpiam, quod fortasse neglexit, in mentem revocet; ac gemat, doleatque; quod istud & illud Religioni non duxerit; quod reclamante conscientia hoc, vel illud admiserit: varia proposita ac desideria animo

concipiat; unde tantùm abest ut inquietudine ac mœrore eximatur, ut etiam majori, quam anteà, ariditate prematur : idque duplici de causâ, quarum prima prorsus naturalis est, inconsiderata videlicet animi defatigatio , quâ penitùs hebetatur, ac præ nimio labore, cogitationúmque, quæ adinstar maris agitantur, contradictionibus perturbatur : Altera verò quæ supernaturalis est, ex peculiari Dei dispensatione procedit; ut ipse intelligat se ipsius indigere auxilio ; debere illi subjici; mitem & tranquillum ante illum stare; & omnia denique ab ejus bonitate expectare.

Vir rectæ conscientiæ, Deum ut in rebus corporeis, ita in spirituali animarum statu, dies noctésque efficere , persuasum habet, utque aëre mutato, quandóque serenum, mox pluviam, tùm procellam exoriri conspicimus, neque tamen solem, densissimis licet nubibus obvolutum, ab incepto cursu, ac luce fundendâ desistere : ità ipsius Providentiam, quibusdam de causis, quas mirari magis quàm discutere liceat, in interiori statu animarum, ipsi adhærere volentium, vicissitudines admiscere, ut earum probet fidem, ac mediis in tenebris, ariditatúmque procellis, fiduciæ, resignationis, patientiæ, sui ipsarum contemptûs, ac sinceræ abnegationis balsamum germinent. Ut denique pateat evidentiùs, quid divinum auxilium præstet in animâ, in cujus intimo sol gratiæ residet, consuetum cursum peragit, atque de mediis ariditatum tenebris, sanctam Deo adhærendi, ipsum quærendi, illique placendi pertinaciam, ejus Majestatis oculis gratissimam , producit. Hæc gratia, Theotime, quam insipidam absconditámque possumus appellare, quibuslibet consolationum blandimentis pretiosior est.

Experimento discit, ut nive segetes ; sic has-ce virtutes ariditatibus consoveri; hísque sub tenebris Dei manum esse absconditam, quæ negligentias efficaciter corrigit, ac in virtutum omnium semitâ compendiosiùs promoveat. Rem igitur mysterio involutam intelligens, ubi primùm in hunc statum devenerit, qui timorem ac pavorem in se subitò excitat, negligentias, quæ forsitan illi occasionem dederint, coram Deo humiliter confitetur; se divini Solis lumine reputat indignum; nùm cuiquam creaturæ, vel peccato voluntariè anhæreat, tranquillè discutit, ut se corrigat, atque soli Deo adhærere connitatur. Ad illius solummodò confugit præsidium, ut fidelitatem, & ad ejus beneplacitum animi resignationem obtineat ; nec utrum hæc ariditas ex ipsius culpâ, aut ex speciali solummodò Dei dispensatione proveniat, curiosiùs perquirens, per has-ce, tenebras, in spiritu pœnitentiæ, patienter, humiliter, atque confidenter ambulare contendit, dum luce à Deo receptâ, se in cognitione & amore magnoperè profecisse intelligat; utrinsque porrò præstantiâ ac decore animatus, ad eumdem rursùs, si Dominus voluerit, subeundum laborem, efficitur robustior.

Hinc

Hinc igitur patet virum timoratum, solidæ veritati sic innixum, vanum vitare laborem, quo non solum ariditas è mente non ejicitur, sed potiùs suscitatur, & in tantum adaugetur, ut omnes animæ vires penitùs exhauriat. Scrupulosus semper agitatur, nec ullam sibi quietem concedit, donec mentis suæ intima, ac Providentiæ arcana scrutatus, mali causam quasi digito contingat, ac certò valeat asserere: hæc est. In quo sanè tùm à rectâ ratione, tùm à veritate plurimùm aberrat: sed vir rectæ conscientiæ hujusmodi ineptiis se facilè expedit, ut his duobus firmiter insistat, videlicet.

1. Culparum emendationi.

2. Et fidelitati inconcussæ, quâ ut in consolatione, ità in ariditate bonum operetur, si non cum gustu ac sensu, saltem, cum bonâ & generosâ voluntate. Inde vero multùm solatij debet percipere quod & Deo eâ ratione fiat acceptior, & amplius promereatur præmium, quàm si abundantiori luce, atque consolatione frueretur. Id certò teneas; nam ità planè se habet.

De cogitationibus, sensibus, ac motibus qui ex se se prodeunt.

SCrupulosus nihil actum existimat, nisi fugientes cogitationes quasi eas sisturus prosequatur, ac se nullatenùs eis consentire, optimis comprobet argumentis. In quo sanè non minori miseratione dignum eum existimem, quam qui equum hinnientem, calcitrantem ac saltantem, adductis rationibus continere, vel somniorum causas invenire contenderet. Hac ratione cogitationes magis ac magis inflammat, & ex nugis operosissimum sibi facessit negotium; hinc etenim tentationes sæviunt, & apum adinstar, quæ infestantes solummodo suis figunt aculeis, acriùs illum exstimulant.

Hæc omnia ex obductis, per scrupulum, rationi tenebris proveniunt, quibus obcæcata, eodem penitùs in spiritualibus, ac in corporalibus modo procedens, errat gravissimè, ac inani labore conficitur. Eò tandem devenit scrupulosus, qui in sua mala consuetudine progressus facit, ut non nisi inconcinnâ & morosâ oris conformatione, capitis exagitatione, prolixisque verbis, tentationi satis obstitisse sibi videatur.

Vir rectæ conscientiæ hoc firmo nititur fidei fundamento, nimirum se coram Deo, cogitationum, sensuum, ac motuum quorumcumque, reum esse minimè posse, quin liberè consenserit; has rebelliones, in homine, Divinæ Providentiæ dispositione, ad fidei probationem, noxarúmque expiationem relictas; neque solummodò innoxias esse; sed & eum, qui in illis legitimè certaverit, esse coronandum: non quod hujuscemodi cogitationes, motus, ac sensus penitus extinxerit; id enim

mini nè poteſt; ſed quod omninò eis non conſenſerit, nec quoties, Deo ita permittente ipſum impugnârunt, ullatenùs admiſerit.

Quantum ſit differentia inter rationem, ac inferioris partis operationes, probè novit. Hanc velut brutum animal conſiderat, in quo ad agendum pœnitentiam ratio captiva tenetur, illiúſque motus, uti beſtiales, contemnere conſueſcit. Illos quidem videt ac ſentit; verùm attentiùs inſiſtere, aut cum illis ratiocinari non dignatur. Sic ad legitimum ſpirituale certamen eruditus, ubi primùm ab hoſtibus impugnatur, ad Deum confugit, illos habet deſpectui, ac cum hujuſmodi cogitationibus, ſenſibus, ac motibus, non ſecùs ac cum ſomniis ratiocinari dedignatur: nam dæmonis aſtu, ad hunc ratiocinationis conflictum animam induci non ignorat. Naturalem animi propenſionem ad cogitationes diſcutiendas cohibet, cúmque his obortis, ſe inutiliter *pro & contra* agitari animadvertit, nil moratus, nec animum ad hunc cogitationum inter ſe pugnantium conflictum voluntariè reflectens, ad Deum protinùs convertitur. Nam catellis prætereunti oblatrantibus prorsùs conſimiles novit, qui neglecti conticeſcunt; ſed quo frequentiùs ad eos ſe convertit, eò ferventiùs illi proſequuntur.

Sic, ô Theotime, vir rectæ conſcientiæ militat ſuper terram, fortitérque, ac liberè decertans, cantat victorias; ſcrupuloſus verò depreſſus ignaviâ, vel ad umbram pavore diſſolvitur; laboris impatiens, invitus init certamen; ac eâ eſt demùm animi ſocordiâ, ut niſi mortis periculum immineret, fugam victoriæ libentiſſimè præponeret.

Ac de his quidem fuſiùs quam ſperabam diſſerui, quæ remedia nuncupavi; ſunt enim præſervativa, diſpoſitionéſque in animâ neceſſarias continent, ut ſcrupulum non incurrat, & obortum non foveat. Nunc autem dicendum.

De remediis proximis.

ID eſt quâ ratione anima ſcrupulis actu exagitata ſe habeat. Ad tria omninò rem totam exigam, quibus quaſi tribus ſimplicis medicamenti plantis, huic morbo propellendo ſalubre pharmacum componemus.

1. Ad Deum dulciter & tranquillè eſt confugiendum, & ab eo poſtulandum auxilium, ut inquietudines, erroréſque à ſcrupulo procedentes devitentur, illique ad ipſius beneplacitum, fortiter ac liberè, debitum exhibeatur obſequium; ménſque ac cor ipſi humiliter offerendâ ſunt, ipſiúſque curæ commendanda.

2. Cum animum ſcrupulis involvi animadverteris, nullatenùs ratiocinatione confligendum eſt; ſed ut vir honeſtus, inſani per plateas inſequentis clamoribus impetitus, cœpto pergit itinere, nec tantillùm oculos reflectit; ità planè cum cogitationibus ſcrupuloſi ſe habere

debent; enimverò si mentem reflectas, vel ratiocinatione contenderis, nunquam actum erit.

3. Consiliis, documentísque susceptis firmiter insistendum est, synderesísque stimulus vincendus, contrariam ejus terroribus viam ineundo, ei nullatenùs inhærendo, ac tibi vim inferendo, quâ obortum ex vanâ phantasmatis imaginatione pavorem vinceres; aut equitem imitando, qui meticulosum ac restitantem equum, ut hoc eximat vitio, adhibitis calcaribus illum cogit ea quæ formidat, supergredi. Quid enim fieret, si suo arbitrio permitteretur, nisi bestia incommoda & periculosa; ita qui scrupulis obsequitur, sibimet molestus, ac periculosius efficitur.

Quæ in actuali scrupulorum impugnatione sint præstanda, paucis hîc habes exposita, quæ insignem animæ pariunt victoriam, si his, quæ suprà fusiùs exposui documentis bene præparata, ea noverit in hostiles impetus opportunè adhibere. Nunc verò tractandum superest

De scrupuli œconomiâ.

SApienter sanè Divina Providentia, naturæ corruptæ hos stimulos inesse voluit, ut frænum utique, quo ipsius naturalis propensio cohibeatur, & ut aculeum, quo adversùs pravos mentis suæ sensus possit insurgere. Sed in hoc omninò summa rei constat, ut rectè ac scitè adhibeantur.

Omnes planè, ut suprà exposuimus, scrupulis sunt obnoxij, plus quidem, vel minùs, pro vario animorum tardiorum, acutiorum-vè discrimine, aut ex aliis dispositionibus, quæ quoad singulos determinari nequeunt; sed quas soli Deo patere sufficit; ipse enim solus novit corda filiorum hominum; ejúsque Providentia, à quâ capilli capitis nostri numerati sunt, omnia disponit, novítque singula, & absque illius ordinatione nihil penitùs evenit. Id equidem nosse sufficiat, nec altiora quærenda sunt.

Constat in hujusce adorandæ Providentiæ œconomiâ, uti cæteras tentationes, ità & scrupulum, ad filiorum Dei fidem & sedulitatem excitandam, & ad eorum probationem ac eruditionem inservire.

Tirones igitur, ac etiam quandoque provectiores, abundantiori licet cognitione præditi, scrupulis permittuntur impugnati, ut illi circumspecti ac vigilantes, hi verò humiles ac ferventes esse doceantur.

Quid igitur, inquies, agendum, cùm illis Deus utatur, ut nos efficiat meliores? Brevi respondebimus.

Quomodo circà corporis ægritudines proceditur? Nónne illarum causas quantùm in nobis est, devitamus; ac sobrios & temperantes, sanos esse ac longævos; intemperantes verò & helluones, qui nimirùm gulæ ac genio indulgent, pharmacorum tandem apothecas fieri con-

ſpicimus. Si adverſa valetudo contigerit, id Dei Providentiâ eveniſſe reputamus; dolorem, quo afflici ut ipſi offerimus, & ipſius beneplacito nos omninò ſubjicimus; attamen quæcumque morbum fovere poſſunt, reſcindimus, & quam citò propulſamus; Dei enim voluntas eſt, ut quoad fieri poteſt, proſperæ valetudini recuperandæ intendamus. Eadem omninò circa ſcrupulum præſtanda ſunt. Rationis enim probè inſtitutæ ſobrietate ac rectitudine pro viribus devitandus eſt; anxietas ex ipſo procedens, Deo offerenda, & quam citiùs fieri poteſt, morbus ipſe propellendus.

Et probi quidem ſcrupulis exagitati indè conſolationem debent percipere, quod ſecundum Apoſtolum, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* negligentes verò, quíque bibunt quaſi aquam iniquitatem, cùm ex perpetrato malo, aut illius vitandi negligentia, ſcrupulis vexantur, illos debent, ut noxarum ſuarum pœnam ſuſpicere; ſed & eis eſt inculcandum, quod quamdiù ſubjici Deo renuerint, & poſt adinventiones ſuas, ac deſideria cordis ſui ambulare voluerint, illam ſpiritus ſui anxietatem juſtè promerebuntur. Ejuſmodi ſcrupuloſi nulla planè commiſeratione digni ſunt. Imò ea illis mentis anxietas imprecanda eſt, quâ & rectis conſiliis obedire, & ſeipſos prorsùs abnegare compellantur.

Hunc tractatum, ô Theotime, quibuſdam monitis, cordi tuo altè infigendis, concludamus.

1. Hujuſce anxietatis impreſſiones, velut corporis ægritudinem conſidera. Colicus dolor ratiocinatione non ſedatur; nec ſcrupulus quoque ratiocinando propellitur; ſed cùm obſtinatè abſque ratiocinatione contemnitur, ſenſim minuitur, ac penitùs evaneſcit.

2. Mentis cogitationes ex ſe non poſſunt dare alicui rei exiſtentiam quam non habet; neque, peccata, ſicut nec ſomnia, efficere, quin voluntas prius conſenſerit; non igitur debet ratio pluris illa facere.

3. Peccati materia, à Divinâ voluntate in Scripturis ſacris expreſſâ, non à noſtrâ pendet ratiocinatione; & eam, ut ſic, cognitam ac volitam eſſe neceſſe eſt, ut peccatum grave conſtituat.

4. Nemo creditori ſe debitorem agnoſcit, quin mutuatam eſſe ab eo pecuniam certò ſciat; ſed inſaniret utique, ſi non numeratam aliquis repeteret, eò quod potuit illam ei numerare & credere. Id ſæpiùs præſtat ſcrupuloſus; ſecum ipſe de poſſibili conferens, frequentem patitur mentis aberrationem.

5. Scrupuli anxietas, nec tàm citò, nec ità omninò propellitur, ut eam ampliùs non ſentias; neque enim id magis fieri poteſt, quàm ut omni prorsùs timore ſolvaris; ſed eâdem ratione, quâ timor ſuperatur, & contracto ſenſim virtutum habitu evaneſcit.

Demùm Patrem tuum cæleſtem, qui te ad amorem ſuum, & æternam

vocat gloriam, liberè, animosè, ac cum Charitate & fiduciâ sequere. Mundum contemplare veluti picturam Topographicam iter agenti occurrentem, quæ dum tu in via progrederis, mutatur, & fugit velut umbra; & ora pro eo qui sincerè te diligit in Domino nostro Jesu Christo.

Quæ minus intellexeris, quære à me confidenter, & illicò responsum referes.

PIAE MEDITATIONIS MATERIA circa Christi Infantiam & magnitudinem Dei.

SIT Deus benedictus, ô Theotime, & hoc sacro tempore, quo Nativitatem Filij ejus celebramus gratiæ impressiones in nobis faciat, quæ pretiosum illud testimonium conscientiæ reddant, quòd sumus Filij Dei, ut loquitur D. Joannes. Testimoninm illud non tantùm suave & consolatorium est, sed etiam animam satiat, & roborat ad se super omnes creaturas levandum: rogemus eum, ut illud intimè sentiamus, nec unquam quicquam faciamus, quod sit ei oppositum, vel à cordibus nostris illud excuper. *Epist. 1. cap. 3.*

Variis occupationibus detentus hucusque optatis tuis facere satis non potui, nunc verò paulo liberior effectus, meditationem cordis mei circa Dei magnitudinem ingenuè tibi proferam; sed priùs de sacra Christi Infantia, cujus festa celebramus ne eam insalutatam pertranseamus, pauca nobis dicenda sunt.

Non tantùm Verbum Dei in puero Jesu abbreviatum reperio, sed omnia ibi mirum in modum abbreviata video, cùm intra tredecim primos dies vitæ suæ, exemplis, & sine verbis edoceat nos qualiter nostræ reparationi practicæ incumbamus. Quicquid paci nostræ oppositum est destruamus; Deo eum, quem ei debemus, amorem & fidelitatem exhibeamus, & gratum ad eum accessum habeamus.

Peccatum sublatâ nobis obedientiâ, pacem etiam cum Deo & nobiscum, quâ fruebamur, abstulit; at Angeli tanquam Filij Dei ministri, pro eo, & ipso jubente loquuntur, dum ipse in præsepio tacet. Ex parte Patris & Filij annunciant nobis reconciliationem nostram, quæ per ejus Incarnationem perficitur, magnam Deo gloriam reddere; pacem verò dare hominibus bonæ voluntatis; id est his qui ex prava voluntate obicem ei ponere noluerint. Angeli verba faciunt; sed Dominus opera exercet, & in ipsa sua Nativitate ostendit opera verbis præcellere; quippe qui Angelis verba committit, sibi verò opera reservat.

Operibus & exemplis docet nos quomodo ad pacem cum Deo, &

nobiscum pervenire debeamus: idque totum abbreviatum in suo præsepio reperitur, quod est cathedra ubi primum sermonem profert, qui in tria puncta dividitur, quibus efficaciter superbiam, rebus creatis adhærentiam, & propriam voluntatem destruit; quæ tria impedimenta sunt, ne anima cum Deo & secum pacem habeat.

Primum punctum de sacra infantia tractat, & docet quam necessarium sit, ut simus humiles, quasi parvuli. Fortiter urget nos, ut efficiamur parvuli erga Deum, qui tanto nos afficit honore, ut se Patrem nostrum dicat, verósque suos efficiat filios per adoptionem; malitiâ verò parvuli simus ergà homines, cùm Dei sapientia ad statum infantiæ se redigit, ut doceat nos bonos esse infantes.

In secundo puncto de paupertate agitur, quâ docet nos bonis terrenis nec inhiare, nec adhærere, quæ animas potiùs onerare, quàm ditare valent, eásque sibi alligare, ut secum pereant; efficacitérque suadet eorum curas superfluas rejicere, quæ ad hoc tantùm valent, ut pacem nobis auferant, aut saltem perturbent.

Tertium verò punctum ad obedientiam spectat. Volendo nasci in actuali obedientia, quam edicto etiam Regis impij exhibet, ostendit nobis necessitatem in qua versamur propriam voluntatem non amandi, & efficaciter persuadet justis Dei voluntatibus eam in omnibus esse flexibilem reddendam; alioquin propria voluntas semper impedimento erit, ne pacem gustemus. O Salvator mundi mirabilis prædicator es; cùm corda instruas & penetres absque ullo verborum adminiculo. Sermo tui præsepij potens est opere; ibi zelum Charitatis tuæ ostendis per lachrymas quas super auditorum miserias effundis, eósque doces quonam modo possint eas sanctificare, exempla eis præbendo, quæ tantummodò imitari opus habent. Tu cordium Magister & Dominus es; nostra ergò per gratiam tuam aperi, ut operibus & lacrymis tuis penetrentur, illáque sic integrè repleant, ut nihil illùc ingredi valeat, quo inhonorentur.

Pace annunciatâ, ejúsque viâ apertâ, eam servare opus est contra ea quæ possent illam minuere, aut turbare, aut exterminare. Jesus id nos compendiariò docet in sua Circumcisione, in qua nec dolori, nec sanguini, nec lachrymis, nec corpori parcit, ut ad superfluitates, & productiones cupiditatis resecandas nos efformet. Ista Circumcisio nobis demonstrat necessitatem idem faciendi in cordibus nostris, si velimus pace animæ frui; & pars corporis ubi fit, denotat nobis superflua cupiditatis desideria plus pudoris nobis inferre debere, quàm quod in corpore ex peccato tegere cogimur: quippe quæ nobis adhuc indigniora sunt.

Pace per sanctam Infantiam obtentâ, & per Circumcisionem firmatâ, ostendit nobis quod complacet sibi Deus nos attrahere ad munera sibi offerenda, ostenditque quibus præcipuè muneribus delectetur, &

id abbreviatum reperitur in mysterio Epiphaniæ, ubi stella quæ Reges magos adducit, exhibet effectus gratiæ quæ è longinquo animas errantes attrahit & ad renunciandum commodis, ac honoribus suis impellit. Modus lenis & suavis, quo divinus puer munera, S. Matre manus ejus sustentante, recipit, ostendit Deum velle gratanter à nobis recipere quod dedit nobis, illúdque æstimare, ac si aliquid de nostro ei daremus. Et tandem munerum illorum qualitas mysticè docet nos quicquid ei acceptius offerre valemus, esse, *aurum* Charitatis, *myrrham* puritatis quæ corruptionem prohibitam longe ablegèt; & *Thus* veræ devotionis, quæ ad omnia promptè pro eo facienda parata sit.

En Compendium practicum quod in tredecim primis diebus vitæ Christi reperitur, quódque synopsim facit cæterorum, quæ in vita peregit. Opus tantùm est id mente benè complecti, atque in praxim redigere, ut ad Evangelicæ perfectionis fastigium perveniatur. Sic Christus vitam inchoat: & certum est Dei Sapientiam in hac sacra Infantia absconditam id ita disposuisse, eâ tantùm de causa, ut doceret nos vitæ spiritualis initia ab hoc exemplari esse sumenda, si in viros perfectos crescere velimus.

Unum è mirabilibus suæ Incarnationis est infima summis junxisse, eáque simul concordasse, Sapientiam Divinam cum Infantia; potentiam cum infirmitate; & magnitudinem cum parvitate. Possumus ergò & nos ab Infantia ad ejus magnitudinem transire; & Infantiá ejus cum admiratione consideratâ, cum majori adhuc reverentia eum intueri

In Dei magnitudine.

SI solem fixis oculis intueri non valemus, qui manuum ejus opus tantùm est, longè minus magnitudinem illam è propinquo conspicere possumus. *Qui scrutator est Majestatis*, inquit sapiens, *opprimetur à gloria.* At, ut juvemur ad aliquid de ea concipiendum, eos imitabimur, qui ex papyro Sphæras cælestes componunt, & vastos illos cælestes globos per circulos papyraceos referre conantur. Ibi divisiones formant, ut inde animus ad eas capiendas juvetur; sic & nos magnitudinis Dei cognitionem in tres partes dividemus, quibus quasi per gradus ad eam contemplandam ducemur.

Proverb. cad. 25. v. 17.

1. Quid est?
2. Quid fecit?
3. Quid facere potest?

Quid est.

HIc in ipso limine occurrit nobis abyssus à qua nos extricare non valemus, nisi ista Prophetæ verba nobis assumpserimus. *Magnus est*, inquit, *& non habet finem excelsus & immensus.* *Baruch. 3.*

Ad sensum Prophetæ meliùs assequendum, assumenda nobis est via

negationis; quippè quæ commodior est ad noscendum Deum, quàm affirmationis. Hæc enim quando quicquid bonum & pulchrum in rebus creatis reperiri potest, aggregaverit ut ei attribuat, illum ampliùs elevare non potest; at negatio cunctis congregatis, & eis opponendo, *quid Deus est*, atque dicendo Deum non tantum id esse, sed quid infinitè sublimius, sic eum supra sensum & supra quodlibet creatum sublimat. Arbitror ergò Prophetam in suo sensu, hîc viam illam sectari voluisse; cúmque loqui ex oppositione ad mundanam magnitudinem, quà ante oculos cum suis indigentiis adductâ & consideratâ, ut quantùm valet exprimat, quid Deus est, hæc verba profert: *Magnus est & non habet finem excelsus & immensus.*

Quod homines magnitudinem existimant res permodica est, & si attentè consideretur nullius ferè momenti. Formica grano frumenti onusta graphicè eam nobis repræsentat: minusculum illud animal aliquid speciè magnum defert; at sufflatione tantùm opus est ad illud deturbandum, festucâ ad sistendum, & extremo digito ad conterendum; & quod portat magnum tantùm est, ex relatione ad corporis ejus parvitatem. Granum enim tantùm est, quod magno labore traducit. Potestatem hominum ex respectu ad Deum in hujus ideæ lance trutinemus, & videamus quantùm à Dei magnitudine superetur. Hominum magnitudinem isti grano frumenti comparemus, & altissimè suprà elevantes Dei magnitudinem per viam negationis, dicamus eam esse quid infinitè sublimius, & in eo sensu hoc Prophetæ verbum intelligamus *magnus est.*

O Domine tu solus magnus es, & quod magnum in hominibus vocamus fallaciâ tantùm, & vanitate magnum est.

Quantùm durat ista hominum magnitudo? Id nobis indicat sanctus Job. *Ducunt*, inquit, *in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.*
Iob. cap. 21. Si quid puncto minus reperire potuisset ad exprimendam durationis illius parvitatem, hoc certè usurpasset. Alium Prophetam, nempe Isaïam
Isaia c. 4. audiamus. *Omnes gentes*, inquit; *quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Experimenta quotidiana intueamur, & attentè consideremus qualiter mors, afflictiones, & casus in sceptra, in coronas, in honores, in voluptates irruunt, ut omnia ad nihilum redigant. Hæc omnia simul congeramus, & videre nobis licebit fictitiam hanc mundi magnitudinem minorem esse in sua duratione, quàm punctum respectu universi. Magnitudo Dei totaliter ei opposita est, idque nobis exprimit Propheta per secundum verbum addendo, *non habet finem.* Hanc etiam veritatem regius Propheta apprimè noverat, si núlque mundanæ magnitudinis vanitatem, dum dicebat. *Re-*
Psalm. 144. *gnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Id est in omnes generationes præteritas, præsentes, & futuras.

Quænam

Quænam est illa hominum elevatio, quâ major pars magnitudinis totum componitur? Nihil aliud quàm dispositio ad casum, & ruinam cum majori sonitu efferendam. Audiamus Regem David loquentem de regibus terræ: *Reges*, inquit, *eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Id adimpleri sæpius videmus; *memoriámque illorum perire cum sonitu*, sicut vitrum quod in confractione magnum edit strepitum, sed ejus fragmenta ad nihil valent ultra, nisi ut inter quisquilias rejiciantur. Alio item loco dicit, *vidi impium superexaltatum & elevatum sicut credos Libani. Transivi & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*: Jure & meritò de illa magnitudine, & elevatione abolita, cujus nullum restat vestigium, sic loquitur. Nihil enim ex ea superest ei, qui illam possedit. Huic ergò Propheta elevationem Dei opponit per hoc tertium verbum *excelsus*, & David ait, *quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Indicium est quicquid in mundo altum est, valde indignum esse ei proximum fieri; ejúsque Propheta omnes homines, eorúmque elevationem meritò comparat stipulæ vento raptæ, dicendo eos esse *quasi stipulam vento raptam arcui ejus.* Id est ejus vindictæ.

Psalm. 2. *Psalm. 9.* *Psalm. 137.* *Isaia cap. 41.*

Quousque extendit se ista humana magnitudo? heu hîc præcipuè demonstratur ejus miseria; non enim potest se eximere à necessitatibus, quæ ei cum cæteris communes sunt; & eidem sorti ipsa obnoxia est. Morbis, doloribus, ærumnis, morte, aliísque calamitatibus circumdatur, & ejus potestas ad sibi similes in miseriis, ad tempus tantummodò extenditur, ad fastum, & arrogantiam, quæ eam sæpe in crimen & injustitiam præcipitanr & quibus pro termino & compensatione sæpe etiam damnatio æterna constituitur. His magnitudinis mundi miseriis & arctationi Propheta opponit immensitatem Dei, ídque exprimit per quartum verbum *& immensus.* Ecce quid potuit dicere de Dei magnitudine per id quod est, nec quicquam ampliùs dicere valemus, quia non magis verbis potest exprimi, quàm mente concipi. Ab hac ergo abysso recedamus, ibi animas nostras relinquendo demersas in adoratione, in admiratione, in annihilatione; cùm ipse totum sit & nos nihil; studiúmque nostrum transferamus ad id quod nostro captui accomodatius est, considerando

Quid fecit.

SOlem quidem in sua luminosa Sphæra aspicere non valemus; sed montes quos radiis inaurat facilè intuemur. Sic si oculi nostri nimis debiles sunt ad respiciendam Dei magnitudinem in eo quod ipsa est, intueri eam valemus in his quæ fecit, quia in his, magnitudinis suæ radios tantummodò sparsit. Verba ergo & exempla in sacris Scripturis quæramus quæ meditari valeamus,

Sapientem primùm audiamus de Idolorum cultoribus ita loquentem. *Vani autem sunt homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum Stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quantò his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator eorum videri.* Creaturæ ergò sunt pulcherrimus liber in quibus Deus parva bonitatis & pulchritudinis suæ lineamenta depinxit, sed eo fine, ut eum agnoscere addiscamus. Vestigia sunt, quæ imprimit, sed ut eum sequamur, & inveniamus; nósque ad illum rectà adducerent, nisi peccatum istis creaturis uteretur ad componendas illusiones, quæ animas imprudenter stare faciunt, & ne ultra progrediantur, impediunt. Specimen est quod nobis ostendit, ut rem ipsam integram desideremus. Illicium est quo uti vult ad incitandum instinctum quærendi illum, qnem in anima posuit, & ut quasi per speculum creaturarum ad eum adorandum provocemur; sed etiam ut amoris nostri stimulus sit & probatio. Stimulus, quo urgeamur ad desiderandam & quærendam fruitionem perfectæ pulchritudinis & bonitatis, quæ nec mutari, nec finem habere potest. Probatio est, quâ dignoscatur an amor quem debemus ei, qui ex amore nos creavit, non sinet se fascinare per transitoriam illam creaturarum pulchritudinem quæ veræ pulchritudinis umbra tantùm est.

Sap. cap. 13.

Hîc paululùm pedem figamus, ô Theotime, librique istius creaturarum folia evolvamus, quandoquidem sapientis verba & experientia docent nos, ibi Creatoris magnitudinem posse à nobis dignosci.

Interrogemus Solem, & ab eo quæramus unde ei egregium illud lumen quo dies illucescit: unde ei ordinatus ille cursus, qui continuò ad eumdem revertitur gradum post varias anni tempestates peractas. Unde habeat vim illam occultam plantis vigorem subministrantem, aurum, argentum, & metalla in ipsis terræ visceribus formantem: & respondebit, lumen suum esse tantùm scintillam luminis illius qui *amictus* est *lumine, sicut vestimento*, qui *pater luminum* est, & *qui habitat lucem inaccessibilem* creaturis propter suam magnitudinem. Respondebit cursum suum sic ordinatum, tantummodò vestigium esse ordinis, Sapientiæ, & stabilitatis in regimine ejus qui fecit eum; in his vero quæ producit, se tantùm esse instrumentum illius, qui omnia replet magnitudine virtutis suæ quâ in ipso terræ sinu thesauros lapidum pretiosorum, unionum, & aliorum mirabilium creat.

Psalm. 101. S. Iacob. cap 1. 1. ad Timot. cap. 6.

Si Lunam interrogemus & petamus, unde ei lux & pulchritudo?

Respondebit uno sui creatoris præcepto se illas habere, qui semel Soli mandavit, ut eam sui luminis participem efficeret, exinde id adimplere non destitit. Dicet se in nocte lucere, ut doceat homines nullas esse tenebras pro eo qui eam creavit, cujus oculi omnia penetrant, effectúsque illos mirabiles, quos in sublunaribus corporibus producit inservire, ut demonstrent potestatem sui conditoris æqualem esse in nocte, sicut & in die, nec alicui mutationi, aut imminutioni obnoxiam esse.

Si Stellas interrogemus, respondebunt nobis se tantùm esse micantes splendores magnitudinis Dei, qui eam nocte annunciant, dum cæteræ creaturæ in tenebris involutæ sunt, suásque acies tam benè ordinatas hominibus annunciare, se componere militiam ad crimina illorum vindicanda paratam, si putent noctis tenebris uti posse ad illa tegenda. Sed de hac re Prophetam Baruch audiamus qui eas sic eleganter loquentes inducit. *Stellæ autem*, inquit, *dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt & dixerunt, adsumus: & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conversatus est.* Sic Propheta Stellas loquentes inducit ut hominibus fidelitatis incentiva ministret, quæ in his verbis poteris meditari. *Baruch. cap. 3.*

Porrò si terram quam pedibus calcamus interrogemus, & quæramus unde ei tantæ divitiæ quas in sinu recondit, ejus fœcunditas, agrorum pulchritudo, & tot animalia quæ portat; similitérque cæteras creaturas alloquamur: magnitudinem sui Creatoris, voce tubâ clariori, annunciabunt nobis, dicéntque uno ejus verbo se id totum habere: *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt*, & hæc tria documenta nobis tradent. *Psalm. 148.*

1. Specie suâ se nobis pulchritudinis sui conditoris excellentiam indicare, & magnitudinis gloriæ ejus radium demonstrare; idque esse quod tantummodò debemus in eis æstimare.

2. Per id quod pulchrum & bonum atque utile in eis reperimus, nos agnoscere debere quid sperandum & expectandum nobis sit ab eo qui eas condidit, cujus esse & qualitates omnia creata infinitè superant.

3. Per mutationem vero suam ac modicam durationem nobis significare, quòd hac tantùm de causa coram nobis apparent & pertranseunt, ut ad alia bona in æternum duratura nos invitent.

Porrò nobis dicent, nolite nobis adhærere, quia pertransimus & perimus, aut vim nobis velle inferre; operam enim & tempus perderetis, conatúsque vestri ad id tantùm valerent, ut criminis rei efficitis in eum qui tardare nos vetuit. Vult enim nos, post annunciatum vobis

hoc nuntium, resumere. Sequimini nos; transite sicut nos; quasi peregrinos in hac terra morientium vos habete, & disponite vos ad fruendum pulchritudinis & bonitatis authore in terra viventium.

Si verbum à nobis prolatum nihil fere est habita ratione nostræ existentiæ; inde facilè conjicere possumus nullam comparationem admitti posse inter id quod Deus in se est, & quod uno verbo creavit; sed si ex creaturarum consideratione infirmitas nostra potest juvari, ut ad cognitionem magnitudinis Dei assurgat, potestas qua de eis disponit, non minus adminiculum nobis est; & illius magnitudo se in omnibus operibus ejus manifestat, atque in omnibus se eamdem semper esse ostendit. Homines & maximam aliarum creaturarum partem destruit per diluvium, eâdem facilitate, quâ eas condiderat, ut paucos illos homines, quos in arca servaverat doceret, quod si magnificè per beneficia sua magnitudinem suam demonstraret, eamdem etiam in punitione criminum exhiberet, quando insolentia abutentium ejus clementiâ atque patientiâ ad id illum provocaret.

Audiamus qualiter Scriptura de eo loquatur, ubi de hominibus istis in arca inclusis agitur. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorúmque animantium, & omnium jumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram & imminutæ sunt aquæ.* Hic loquendi modus magnitudinem Dei maximè redolet. Videtur enim Noë, & cætera quæ cum illo erant tam parvi fuisse momenti, ut vix Dei memoriam occupare mererentur; ita ut mens applicari debuisset ad revocandam eorum memoriam.

Gen. 8.

Homines conantur suorum similium oculis magnitudinem sibi fabricare, & ad hoc magnam domesticorum familiam congerunt sæpe ad nihil aliud utilem, quàm ut inde aliis præcellere videantur. At si consideremus tot pulchras creaturas, quibus mundus ornatur, & quæ ad opus creatoris perfectum efficiendum tantummodò factæ sunt; facilè æstimabimus artificialem Regum terræ magnitudinem minorem esse, quàm regis apum, si cum Dei magnitudine comparetur. At si usque ad Angelos mentem elevemus, quos condidit, ut suæ domui ornamento essent, cælestis curiæ aulici, & executionis mandatorum ejus ministri; fatebimur nihil deesse huic Dei magnitudini, ut mirabilis & incomprehensibilis sit.

Aulicorum illorum cælestium numerum, prout potest S. Scriptura exprimit, *millia millium,* inquit, *ministrabant illi, & decies millies centena millia assistebant illi.* Unius ex istis spiritibus potestas omnium Creaturarum hujus infimi mundi virtutem superat. Unus Angelus una nocte centum octoginta millia hominum in exercitu Assyriorum interficit, sicque satis ostendit, quanta sit Domini sui magnitudo. Illorum subordinatio multùm eam mentibus nostris exaltat, dum in Scripturis legimus primi ordinis Angelos, Domini sui voluntates ad secundos trans-

ferre. Idem enim est, ac si Rex principibus tantùm uteretur, ad voluntates suas servis suis intimandas. At deputatio Angelorum custodum, ut saluti cujusque nostrûm invigilent ad hanc admirandam supra cætera provocare nos debet; cùm non tantùm, quia animæ nostræ ei pretiosæ sunt, id fiat; sed quia magnitudo ejus inde elucescit quod Angelis utatur ad decreta sua in creaturas exequenda. Angeli planè inutiles ei sunt, cùm ipse sit qui omnia operatur; sed ita placitum fuit ei, ratione magnitudinis suæ.

Qualiter se gerat hæc Dei magnitudo circa mundi potestates? Ranis utitur, muscis, locustis & ejusmodi aliis bestiolis ad Pharaonem humiliandum, quem quasi magnitudinis suæ ludibrium efficit, ut cæteris sit in exemplum. Permittit etiam cor ejus indurari, ut gloriæ suæ spectaculum fiat. Sinit hunc miserum nullis industriis & conatibus parcere ad rebellandum contra se, & potestatis imaginariæ furorem exercendum; sed id fit ut totis miseræ magnitudinis Pharaonis viribus adunatis, illam in maris rubri fluctibus sepeliat: illúdque celebre sepulchrum, æternum fiat magnitudinis Dei monumentum.

Intueamur Nabuchodonosor inter bestias redactum, Herodem vermibus consumptum, Antiochum & tot alios, ex quibus principes cæteríque homines discere debent, quod si puteut sibi magnitudinem fingere quæ Dei magnitudini totaliter subdita non sit, versantur in discrimine, & timendum eis est, ne in eos intuitum exerat qui imaginariam eorum magnitudinem conterendo mirabiliores effectus in eis operetur, quàm qui à fulmine producuntur, quod gladios intacta vagina confringit, aliáque efficit quæ æquè stuporem, ac timorem incutiunt.

Sed ista Dei magnitudo adhuc mirabiliorem quàm in cæteris in Redemptionis nostræ opere se se exhibuit, non tantùm quia oportuit Deum hominem fieri ad reparandam injuriam per peccatum ei illatam, aut quia in sua bonitate, in amore, & in operibus magnitudinem ostendit, quæ infinitatem redolet, sed etiam ratione medij quo uti voluit ad triumphum de mundo in ejus salvatione agendum. Cruce usa est ad eum redimendum quæ omnium rerum humanarum abjectissima est, ipsúmque mundum Crucis prædicatione salvavit.

Quaslibet mundi potestates ad se humiliandum & adorandum illud sacrum lignum compulit. Imperatores ipsos adegit ad se felices æstimandos quod Crucem in diademate portarent, ut sic publicè testentur se & sua illi esse subdita. Sic magnitudo Dei nobis per opera mirabiliter ostendit quod D. Paulus verbis explicat dicens. *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* 1. Ad Corinth. c. 1

Si sic se mirabilem Dei magnitudo in operibus misericordiæ exhibuit, se etiam terribilem in justitiæ suæ punitionibus monstravit.

De hac re exemplum in David consideremus. In adulterium incidit, quod statim alia gravissima crimina secuta sunt. Solent enim ejusmodi crimina tot capita statim proferre, quot hydra fabulosa. Misericordia Dei mittit illi Prophetam ad crimen illud ei improperandum & simul cor ejus gratiâ suâ tangit, ut de eo doleat. Actum contritionis producit, & statim Propheta ex parte Dei peccatum suum dimissum esse ei denunciat, sed id est quoad culpam, non quoad pœnam; hanc enim ferre, & luere cogitur. Magnitudo Dei quæ hoc principis piaculo justè offensa fuerat, cujus pravum exemplum longè ampliùs nocet, quàm hominis privati, & quæ volebat principes docere, eis non licitum esse liberiùs peccare, quàm cæteris, Regem illum modo ad commiserationem excitante castigat. Deus aufert ab eo puerum, qui ex illo adulterio natus erat, parvuóque temporis intervallo in silentio transacto, proprius filius contra eum inopinatè conspirat, ejus vitæ insidiatur, cúmque cogit ad deserendam domum, & pedibus in desertum fugiendo se salvare. Inimicus ejus Semeï in eum mille evomit improperia, alimentum à subditis accipere cogitur, istámque pœnitentiam humilitet peragit, dum videt regni sui sortem quasi è filo pendentem; & pro adulterij peccato in abscondito commisso, comminatur ei Deus per os Prophetæ: *Tu fecisti in abscondito, ego faciam in* 2. Regum cap. 12. *conspectu Solis*. In eo statu redigitur, ut restitutio ejus in regno a subditis pendeat. Porrò historia punitionis David quæ in sacro textu describitur duriusculis etiam cordibus infert compassionem. Sic, sic magnitudo Dei nobis demonstrat quantùm ejus brachium formidandum sit; quippe quod tam ponderosum sit his quos punire decrevit; at tota ista punitio misericordiæ ejusdem magnitudinis opus erat, quæ sic ostendit se amare David, illum in hac vita puniendo. Supplicia enim quæ pro alia reservat, post tentatam & fatigatam ejus patientiam, quam tempore clementiæ & miserationis abutentibus exhibuit, justas causas illi ministrant, eo etiam modo puniendi, qui ejus dignitati & potestati conveniens sit.

En aliud tibi profero exemplum quo penitùs terreor & ad intelligenda ista Davidis verba juvor. Psalm. 35. & 65. *Iudicia Dei abyssus multa*, & illa *terribilis in consiliis super filios hominum.* Hæc autem verba tibi explicare per transennam placet, ne ab eis turberis. In suo sensu literali, & extenso intelligenda sunt quoad pœnas temporales; Deus enim his calamitatibus indifferenter utitur; quippe quæ semper ejus gloriæ & saluti hominum adjuvante ejus gratiâ inserviant. Castigando enim purgant, & exercendo præservant, meritúmque adaugent: in hoc etiam sensu intelligenda sunt hæc alia S. Scripturæ verba. *Reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, Sapientiâ ejus ita ordinante ad bonum regimen universi, ad quod opus est exemplis ad coërcendum & instruendum validis. Sed quod ad animas pias & Christianas attinet

in suo regimine patientiâ, & auxiliis valdè amabilis est, & in consiliis tantummodò terribilis erga rebelles animas; quas aliquando in peccatis suis intercipit; ut sint aliis in exemplum, & in eas quæ malitiosè ejus gratiis abusæ sunt, ut in peccato ex prava voluntate jacerent.

Ad illud ergò exemplum accedamus, videlicet S. Regis Josiæ qui Princeps benedictionis erat, & quasi rosa è spinis exorta. Natus enim tempore quo cultus Dei per idololatriam,& omnimodas inordinationes fœdatus erat; & tùm documentis, tùm bonis exemplis destitutus, ab infantia ad Deum totaliter convertitur; Templum & cultum Divinum in pristino statu restituit, cultum idolorum extirpat, imo ipsa idololatrarum ossa in Altaribus ubi idolis sacrificaverant comburit, & plura alia mirabilia peragit quæ ipse cum majori consolatione legere potes in quarto Regum volumine, ubi etiam dicitur, *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi.* Pius ille Rex reperit librum legis in Templo, & ibi legens quæ minabatur Deus populo suo si leges ejus transgrederetur sancto Judiciorum Dei timore corripitur, & mittit ad consulendam Holdam prophetissam, ut per eam cognosceret quid facere posset ad vitandas punitiones,quas in lege scriptas reperiebat,& illa sic respôdet: *Hæc dicit Dominus Deus Israël: dicite viro qui misit vos ad me: Hæc dicit Dominus;* Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, omnia verba legis quæ legit rex Juda: quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. Regi autem Juda, qui misit vos, ut consuleretis Dominum, sic dicetis. Hæc dicit Dominus Deus Israël: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcircò colligam te ad patres tuos, & colligêris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum. "

4 Regum cap. 23.

Ibidem cap. 22. v. 15.

Sanctus ille Rex accepto isto responso non ideò destitit à proposito faciendi quicquid poterat ad iram Dei placandam; sed his nonobstantibus statim atque diem conclusit extremum exteræ nationes ad populum istum destruendum, occidendum & incendio vastandum, accesserunt, cujus rei rationem reddit Scriptura. *Factum est autem hoc,* inquit, *per verbum Domini contra Iudam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit.* Manasses ille, Rex fuerat, & jam à multis annis post peractam magnam pœnitentiam ex hac vita migraverat.

Ibidem c. 24.

Hic sisto gradum, ô Deus meus; & nolens tua investigare judicia sufficit mihi hoc verbum Davidis pronunciare magnam & indubitatam

Psalm. 118. veritatem complectens. *Iustus es Domine & rectum judicium tuum.* Quandoquidem magnitudo tua in suis beneficiis tam suavis nobis existit, & in operibus misericordiæ suæ magnifica; pro certo habere debemus, eam esse æqualiter justam in punitionibus, eámque admirando, in utro-

Ierem. cap. 10. que æqualiter etiam adorare. *Quis non timebit te, ô Rex Gentium?*

Ad tertium nunc gradum accedamus, ut propinquius magnitudinem Dei agnoscamus, considerando

Quid facere potest.

EX secundo gradu de hoc tertio conjicere nobis licet; at sicut piperem masticando ejus vis & acor vivaciùs gustum ferit, sic gradus iste minutim consideratus debilia ingenia nostra faciliùs penetrabit. Verba tantùm & exempla è sacra Scriptura desumpta tibi proferam; ratio enim nostra incapax est, quæ abyssum illam penetret, & hìc ad infantiam debet reverti. Utraque pro optima Meditationis materia tibi erunt, & inde ignem exardere faciet Deus per gratiæ suæ impressiones.

Exemplum Job solum, sufficiet ad demonstrandum nobis quid possit in bona temporalia & corporis sanitatem. Ibi intueri nobis licet principem cujus dignitatem virtus nobilitabat, qui fere absque recogitandi spatio omnes facultates per casus imprævisos se invicem consequentes amittit. Pecora ejus à Sabæis rapiuntur, ignis de cælo tactas oves earúmque custodes consumit. Chaldæi camelos traducunt, servósque occidunt, & tandem filij ejus apud fratrem primogenitum lætum diem ducentes per domûs ruïnas, quam venti impetus subvertit, suffocantur. Omnes istæ calamitates erant veluti gradus caloris quos magnitudo Dei virtuti istius S. Viri adhibebat, ut purgaretur & purior efficeretur in camino tribulationis, ubi ejus sapientia vim gratiæ suæ manifestat & auget, proüt crescit tribulatio. Videndo autem generosam illam animam ulterius posse progredi, cùm nihil eorum quæ jam acciderant à constantia eam dimovisset, in sanitatis deperditione eam probandam constituit. En à planta pedis usque ad verticem vulneribus percutitur, omni auxilio destituitur, ab omnibus relinquitur, testam tantùm habens quâ saniem radat, in sterquilinio jacens. Porrò in eo statu ponitur qui tres amicos, ad illum visitandum venientes in tantum stuporem immittit ut septem diebus in silentio transactis vix ausum ei loquendi reciperent. Ad hæc omnia sola licentia Dæmoni concessa sufficit. Quid ergò facere posset si per seipsam magnitudo Dei ageret?

O Dei magnitudo si hoc exemplum edocet nos, quid potes in bona temporalia

temporalia & in sanitatem corporis, nosque debere ea considerare quasi bona quæ nobis commodasti, & ad placitum resumis; evidentiùs adhuc nobis demonstrat quid possumus gratiæ tuæ auxilio adjuti.

Quid non potest in corpora & vitam ipsam. Rex Ochosias mittit vicissim ad Eliam Prophetam duos duces habentes singuli secum quinquaginta milites, qui sic eum ex parte Regis alloquuntur. *Homo Dei Rex præcepit ut descendas*; ad quod respondit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo & devoret te, & quinquaginta tuos.* Dictum, factum. Statimque in cinerem hominum illorum corpora redacta sunt. Accedit tertius, *Qui cum venisset curvavit genua contra Eliam & precatus est eum, & ait: homo Dei noli despicere animam meam, & animas servorum tuorum, qui mecum sunt, &c.* Hic non moritur sicut alij; sed è contra, *locutus est Angelus Domini ad Eliam dicens. Descende cum eo, ne timeas*; Illúcque pergit ad pronunciandum isti Regi mortis sententiam. Quare hic tertius non moritur, sicut alij? Quia primi arroganter loquebantur, quasi homines à Rege missi; at tertius ille multùm se humiliat, & cum ea loquitur reverentia, quæ ostendit loquentem non dubitare, idem mortis genus sibi impendere, si Elias jussisset. Propheta ille, qui in hoc casu magnitudinis Dei minister erat, ostendit nobis qualiter arrogantiam tractet, & clementiâ sic plenam esse erga humiles, ut ad eorum desideria adimplenda se inclinet. *4. Regum cap. 1.*

Arca Dei à Philistæis capitur, qui de ea quasi triumphum victoriæ facere volunt, & hujus eventûs historia prout à S. Scriptura describitur amplam materiam sublimitatem magnitudinis Dei cum consolatione meditandi subministrat. Miseri illi homines arcæ Dei honorem reddere putant illam collocando in Templo idoli sui, sed crastina die manus & pedes ejus super limen domûs abscissos reperiunt & Dagon Deum suum, quasi truncum arboris in terra jacentem. Deinde aggravatur manus Domini super populum istum quem confusione operire delectat, plagis in secretiori parte natium eum feriendo. Fit ebullitio terræ ex qua nascuntur mures; ita ut ex junctis simul istis miseriis fiat pavor mortis magnus in civitatibus eorum. Idololatræ illi arcam Dei non diutiùs apud se servare decernunt *quoniam* inquiunt, *dura est manus ejus super nos & super Dagon Deum nostrum.* Sed antea volunt adhuc circumducere arcam illam quasi per modum publicæ supplicationis, at ad communicandam ubique mortem id tantùm prodest, ut in loco Scripturæ supra citato videbis. Illis enim circumducentibus eam *fiebat manus Domini super singulas civitates interfectionis magnæ.... Fiebat pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei.* Coguntur tandem fabricare speciem quamdam munerum, quâ in derisum omnibus haberi poterant, arcámque remittere quæ populum istum interficiebat; sed duas vaccas illam portantes non lædebat; imò eas sic firmiter deducebat, ut clamores vitulorum, quos lactabant & domi *1. Regum cap. 1.* *1. Reg. cap. 5.*

retinebantur, mugitus tantùm ab eis extorquebant. *Ibant enim in directum vaccæ pergentes & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* Quia arcæ Dei obediebant, Arca illa adhuc occidit quinquaginta millia hominum apud Bethsamitas, qui fatentur & dicunt. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus, & ad quem ascendet a nobis?*

Quid erat arca illa? Ligna quæ Deus fabricare jusserat, ut legem scriptam includerent, & ejus præsentiæ signum essent. Si magnitudo ejus ista omnia peragit pro arca illa, quid pro se facere non potest, si velit?

Daniel. cap. 5. Duo adhuc loca Scripturæ tibi referamus circa ea quæ in vitam & in corpora facere in promptu ei est. Daniel prædicit Regi Balthasar eadem nocte eum esse moriturum, *Quoniam*, inquit, *vasa domus ejus allata sunt coram te, & tu, & Optimates tui, & uxores tuæ & concubinæ vinum bibistis in eis: Deos quoque aureos & argenteos, & æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt laudasti. Porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti, &c.* Sic de vita nostra loquitur, ac si de claudenda tantùm manu ageretur, ut suffocaremur; sed minoribus sumptibus id fieri posse experimento quotidiano discimus: & ideò jure, & meritò Christus stultum nominat illum qui proponebat destruere horrea sua & majora ea facere, ut multa bona in plures annos ibi congregaret, quia sic deliberabat, ac si independens esset à Dei magnitudine quæ ejus animam sequenti nocte repetere debebat, *hæc omnia*, inquit Christus, *cujus erunt?* Si nihil verius, nihílque rationi magis consentaneum est, quàm hæc Christi verba, fatendum est mundum insensatis abundare, cùm tam pauci sint, qui vitam suam considerent proüt hic docet, & maxima pars congregandis rebus laboret, ac si nunquam moriendum esset.

Lucæ cap. 12.

Quid ista Dei magnitudo non potest circa vitæ requiem? Per Isaïam sic loquitur. *Ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras faciens pacem & creans malum*; per illud malum, malum pœnæ intelligit, non malum peccati, & in eodem sensu accipi debent illa alia verba. *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit.*

Isaiæ cap. 45.

Amos c. 5.

Consideremus quonam modo bella fomentur, quibus maximè requies vitæ turbatur, eáque miseriis, & morti traditur. Injuria aliqua illata, aut jus inter principes controversum ad id sufficit. En bellum declaratum & totius populi quies immolata. Inde ergò non mirum esse debet, si quando bella ab ipsa Dei magnitudine ordinata fuerunt & jussa, sicut filiis Israël contra Chananæos, & contra filios Israël per Chaldæos, per Romanos & alios, ignis, ferrum, sanguis, trucidatio, ad extrema quæque pervenerunt; ita ut matres ad filios comedendos redactæ fuerint, & alia horrenda evenerint, quæ scripturâ narrante discimus. Sed inter cætera hîc notemus expressionem minarum, quas

per os Ezechielis Prophetæ magnitudo Dei intentat. *Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis & divides eos. Tertiam partem ignis combures in medio civitatis juxta completionem dierum obsidionis, & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus; tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.* En expressio quæ magnitudinem Dei optimè redolet. Populi isti capillis comparantur, quos novacula facilè & in magno numero dejicit; odore ignis statim consumuntur, nec insufflare opus est, & vento expositi facillimè disperguntur. Ista non sufficiunt, sed insuper gladio profligantur, & ecce qualiter magnitudo Dei agit cum hominibus illis qui apud eam capillis minores reputantur & qualiter circa rebelles qui ei cum pace subdi noluerunt, adimplet quod alibi dicit. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.* Heu Domine si te cogimus ad sic regnandum super nos, quâ requie in vita frui valemus?

Ezechiel. cap. 5.

Ibidem cap. 20.

Panis desit: Ecquid devenient homines? Ad id autem verbo Eliæ tantummodò opus est & ecce cælum clausum per tres annos, dùm populus fame moritur. De hac re minas intentat in Scripturis per verba valde convenientia, *conteram*, inquit, *in vobis baculum panis*, faciliùs enim illi est famem immittere, quàm homini baculum frangere.

Ibidem cap. 4.

Obsidio Samariæ principem & populum in tantam redigit miseriam, ut caput asini octoginta siclis argenti venundetur & quarta pars cadi stercoris columbarum quinque siclis. His adjungamus, quòd experimento accidere novimus in annis sterilitatis, ut videamus lucidiùs quid magnitudo Dei in vitæ requiem possit; inde transeamus ad res quæ sæpiùs nobis obviæ sunt. Ad mentem revocemus tempestates quæ æstate adveniunt, quarum terrore, fortiores concutiuntur per fulgura, tonitrui fragores, ventos, grandines; per turbines, qui arbores annosas eradicant, manipulos tritici ligatos quasi paleam abripiunt, domos evertunt, & tantam vim inferunt arboribus, ut in torcularis cochleæ modum tordeantur, sicut hoc anno accidit & propriis oculis conspexi. Consideremus in quo statu tunc homines versentur. Tristissimè hoc tempus ducunt; sed si per plures dies tempestates illæ cum eadem violentia durarent, aliis vita oneri esset, alij terrore enecarentur. Quid autem sunt istæ tempestates? Aër concitatus, effectus ex rerum natura enatus, annotans vestigium terroris quem incutere potest magnitudo ejus *qui dat viam procellis sonantibus*, ut loquitur Scriptura.

4. Reg. cap. 6.

Iob. cap. 18.

O Dei magnitudo! si per simplicem aëris agitationem timore trepidare facis homines, illorúmque vitam in langorem vertis & tædium; ita ut ex nulla re tunc possint delectari; facilè conjicio; quod quando ultionem à malis sumere voles, finémque eis imponere destruendo cælum & terram, tunc *ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè*

Sap. cap. 5.

curvato arcu nubium exterminabuntur. Rupibus dicent, operite vos, & montibus cadite super nos; ut sic abscondantur à facie tutoris tui.

Quid non potest Dei magnitudo in hominum mentes! Si radium luminis sui ab ea retrahat, statim se reperient involutos tenebris, Ægypti tenebris densioribus. De hac re S. Scripturam consulamus, & varia exempla inveniemus.

Pharaoni submersioni proximo in mentem venit succlamare *fugiamus*
Exod. cap. 14. *Israelem; Dominus enim pugnat pro eo.* Mortalium infelicissime serò sapis, & cæcitatem in quam malitia tua te conjecit, morte compensabis. Percundum tibi est. En exemplum edocens nos ad quem usque excessum animi obcæcatio homines deducit & dejicit quando magnitudo Dei à mentibus eorum lumen suum avertit. Meritò ergò David ardenter ora-
Psalm. 12. & 17. bat dicens. *Deus meus illumina tenebras meas. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ac si diceret, oculos habeo, sed nihil mihi prodetunt, nisi in me lumen tuum effundas; debiles sunt & fallaces, & ad umbram pro corpore accipiendam me impellent. Res tantùm cognoscam proüt sunt, quando jam nullum erit remedium, sicut Pharao. Illumina ergò oculos meos, &c.

Deus infatuavit consilium Achitophel, qui pergens domum, ibi laqueo se suspendit.

Isaia cap. 44. *Ego sum Dominus,* inquit, *faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecum, irrita faciens signa divinorum & ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum & scientiam eorum stultam faciens:* O Domine, si res ita se habet, ad lumen tuum recursum semper habeamus necesse est; nisi stultos apparere, & reipsa esse velimus.

At quando magnitudini Dei placet, ut mentes hominum decipiantur, quid evenit? Hujus rei duo terribilia exempla in sacra Scriptura habemus. Primum refertur lib. Regum 3. cap. 12. ubi videmus quod
3. Regum. cap. 12. cùm Deus permisisset Sathanæ decipere mentes Prophetarum Achab, quorum vita criminibus fœdata existens, eorum etiam visiones illusioni patebant, hunc principem sibi ipsi dimittit; illusionibus Prophetarum suorum fidem adhibet, neglectâ prædictione veri Prophetæ, qui affirmabat eum in illo bello periturum, si illud susciperet; hunc Prophetam carceri tradit pro mercede, pergit ad prælium & ibi occiditur casu qui adhuc Dei magnitudinem sublimiùs effert; miles sagittam in incertum emittit quæ incidit in principem, cúmque inter pulmonem
2. Paralip. cap. 20. & stomachum percutit & occidit.

Alterum exemplum legitur libro 2. Paralipomenon cap. 20. innumerabilis exercitus Moabitarum & Ammonitarum simul congregatorum ad debellandum Regem Josaphat & Judæam evertendam accedit. Hic Princeps se nimis debilem sentiens ad resistendum tanto exercitui, totaliter ad Deum convertitur ad postulandum ab eo auxilium, totámque spem suam in eum collocandum. Deus testatus est se etiam protectio-

rem suam ei concessurum & per Prophetam mandavit, ut rem totam ei relinqueret quasi pro eo pugnaturo; sufficere autem, si die crastinâ exercitum duceret ad locum indicatum. Paret Princeps; & Propheta ille collocat cantores in capite exercitus, ut canerent *Confitemini Domino quoniam in æternum misericordia ejus.* Quid interim operatur magnitudo Dei? Angelum ad eos exterminandos mittere non dignatur; immittit tantùm spiritum vertiginis in his qui ab isto exercitu in excubiis & insidiis positi fuerant, qui suos pro hostibus accipientes mutuis se gladiis occiderunt.

Filij vero Juda quid interim agebatur ignorantes ad locum elevatum accesserunt, unde longe, lateque prospicere poterant, certamen inire parati; at viderunt terram sic coopertam innumeris cadaveribus, ut nec unus ex tanta hominum multitudine remaneret, qui mortem effugere potuisset. O Dei magnitudo si sic exercitus propriis gladiis trucidas; quid non faceres, si proprio brachio uti velles.

Duras hominibus intentat minas, dum dicit *dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis*, indicium enim est eos eo medio & modo posse condignè puniri, atque ad eos rigidè puniendos sufficere si proprium lumen, & infirmitatem sequi sinantur. Hic mitto casus morborum qui in brevi magna ingenia invertunt, sicut quotidiano experimento innotescit. *Psalm. 80.*

Porro quid illa Dei magnitudo non potest circa animas? in hac etiam vita magna pœnarum exercitia per ignotas vias potest eis immittere; quibus sola potest levamen, & remedium apponere; nemo enim ad animas quæ puri spiritus sunt attingere potest nisi Pater Spirituum. Non hîc loquemur de pœnis quibus exercet & probat animas, quas ad sui cognitionem & amorem vult elevare per tenebras, ariditates & tentationes; id enim fit, ut purificentur, & discant ab ejus omninò se pendere auxilio, regimine, & amore; & inde etiam disponuntur ad consolationis ejus bonum suavius gustandum; sed tantùm indè conjiciemus, quas pœnas infligere potest malis, qui sic etiam bonas exercet.

Caïn occiso fratre solus ferè in terra existens securitatem à Deo petit *quia*, inquit, *omnis qui me invenerit occidet me.* Circundant eum dolores & umbræ mortis; ita ut pro ea semel fratri suo data, singulis vitæ momentis mortem ex timore patiatur. Videtur ei terra homines paritura, ut eum occidant. *Geneseos cap. 4.*

Saül post conceptam contra David invidiam, quâ ad crudelitatem & injustitiam fertur, à proprio spiritu vexatur, atque furiosus, infelix & reprobus efficitur. Si malorum hominum conscientiæ nobis paterent, eas in remorsum conscientiæ, & timorum, furorum, & desideriorum suffocatorum & rabidorum, in aversionum & desperationum suppliciis constitutas videremus quæ plus timoris nobis incuterent

quam majora supplicia criminosorum: & pœnæ istæ se tantùm esse præludia suppliciorum æternorum demonstrarent. Fatebimur Christum meritò dixisse, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, sed potius eum timete*
Matthæi cap. 10. *qui potest corpus & animam occidere & mittere in gehennam.* Audiamus tandem Ezechielem Prophetam describentem nobis in quo statu apud
Ezechiel cap. 32. inferos versentur magni illi Bellatores, subjugatores *qui dederant,* inquit, *quondam formidinem in terra viventium. Ibi Assur & omnis multitudo ejus; in circuitu illius sepulchra ejus : omnes interfecti & qui ceciderunt gladio. Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci; & facta est multitudo ejus per gyrum sepulchri ejus : universi interfecti cadentésque gladio, qui dederunt quondam formidinem in terra viventium. Ibi Ælam & omnis multitudo ejus per gyrum sepulchri sui, omnes hi interfecti cadentésque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam, qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, & portaverunt ignominiam suam... Ibi idumæa & Reges ejus, & omnes duces ejus, &c.*

Iob. cap. 12. O Dei magnitudo, meritò S. Job de te dixit *Balteum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.* Id enim probatum videmus in eorum morte, & damnatione quam Propheta describit nobis. Per totam æternitatem ab eis exigis pœnas remeritatis, quâ magnitudinem tuæ rebellem sibi fingere voluerunt, tuæque aliquid surripere attentârunt, terrorem suum, sibi similibus ultra modum incutiendo, & cum eis, aliter quam vis, agendo. Sed reflectimus ad statum magnorum illorum, quos Propheta in inferno sic sepultos vidit, & consideremus quibusnam de causis magnitudo Dei ita cum eis agere decrevit.

Sæpè videntur magni illi mortales, velle sibi gloriam privatam fabricare, & felicitatem à felicitate Dei diversam, séque à magnitudine Dei independentes efficere: sed quinam sunt illi? Id nos edocent pueruli dum paleæ in aqua sapone mixta intinctæ insufflantes, ampullas educunt quæ ad momentum in aëre volitant, sed statim evanescunt. Quis majorem emittet inter se contendunt, & qui in hac re socium superavit, magnum quid fecisse arbitratur. Magnorum mundi studium ludus puerorum tantùm erat, & gloria eorum ampulla aquæ vento gravida. Illorum arrogantia uni ex istis ampullis innixa erat, quæ aliis gravior apparebat, & in momento evanuit. Ipsi ergo actores tantùm erant, qui puerorum personam in vanitatis mundanæ theatro agebant.

Quid in vita sua egerunt? Plures forsitan ad miseriam per injustitiam & violentiam redegerunt, & quos superbiæ suæ, ac voluptatum participes efficere voluerunt, ad id tantùm elevati sunt, ut graviori casu in damnationis præcipitium ruerent. Salutis multorum rationem, & pondus in se traxerunt, & pro seipsis accumulaverunt unde in morte magnos dolores, in Dei judicio magnam confusionem, & in inferno magna ferant supplicia. Aliis vitam injustè adimere potuerunt, sed

pro se judicium mortis evadere non potuerunt. A labore hominum se subtraxerunt quantùm potuerunt, nihilque pro Deo fecerunt. At nunc nemo pro eis quicquam agere potest, nec ullum modum effugiendi justam iræ Dei punitionem invenire possunt.

Quid de illorum criminosis voluptatibus factum est? Transierunt, & sui loco horrendos & æternos dolores, qualibet consolatione, aut spe destitutos, reliquerunt. Voce Angeli in Apocalypsi super eos pronunciatur, & inde acriùs à dæmonibus cruciantur. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* *Apocalyp. cap. 18.*

Quid sibi proprium habebant, dum in hac vita essent? Vana gloriæ eorum ornamenta à terra & animalium spoliis desumpta erant, & è suo nuditatem tamtummodò sicut cæteri habebant. Eorum decor mutuò acceptus erat, sed neque pro se, neque pro aliis ullam bonitatem habebant. Omnes adulatores, qui eos laudabant, fraudis & miseriarum ministri tantùm erant, qui eos sæpius in corde oderant dum exterius eis applaudere videbantur.

Honorum & voluptatum fruitiò valde brevis, imperfecta & turbata eis fuit; sed se volendo magnos fingere, ac si in re quapiam potuissent Deo comparabiles esse, ejus magnitudo quæ eorum vitam manu tenebat, & vindictam quasi è capillo pendentem, capillum tantummodò frangere habuit ad eos conterendos & perdendos.

Si illorum ossa inter alia quæramus, à miserrimorum ossibus distingui non possunt; & Propheta animas eorum in inferno sepultas nobis demonstrat ubi in æternum agnoscentur prout sunt. Experimentum quod in se faciunt magnitudinis Dei in ejus judiciis & punitionibus, intellectum dat eis verborum illorum piissimi Regis David dicentis, *Terribili & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes Reges terræ*, Illorum enim magnitudo in Dæmonum ludibrium conversa est, ut vindicentur injuriæ quas Christus ipse in domibus magnorum mundi passus est, & earum quas probis illius servis intulerunt.

Si verum est sapientis verbum dicentis: *Per quæ peccat homo, per hæc & punitur:* credendum est illos sic puniri ad sumendam vindictam contemptuum sibi similibus exhibitorum. Magnum dedecus est ab Angelis despici; at ab ipsis Dæmonibus contemni & illudi, eisque pro mancipiis esse, suprema confusio est, summúmque opprobrium.

Attendite ergò, ô Magnates, & discite vos tantùm vanitate magnos esse, nisi ut par est, magnitudini Dei subditi sitis. *Et nunc Reges intelligite*, exclamat Rex David: *Erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via justa.* Optimum ergò consilium quod sequi debent mundi Magnates, illud est, ut quasi filios terræ & ex nihili stirpe prodeuntes, in conspectu magnitudinis Dei se se existiment. *Psalm. 2.*

Sed nos, ô Domine, quid magnitudini tuæ dicemus ad ei attestandum nostræ subditionis studium. Fatebimur eam esse quæ cælum & terram implet, & omnia solo nutu destruere valer, nósque æquè insensatos esse ac criminosos, si semper & ubique sanitatem, quietem, vitam, honorem, mentes & animas tuo regimini & misericordiæ non derelinquamus: & factâ istâ confessione coram potentiæ tuæ magnitudine. ad bonitatis, amoris & misericordiæ tuæ magnitudinem non confugiamus ad obtinendam ab ea gratiam quâ nunquam ab obsequiis magnitudini tuæ debitis, nec latum unguem recedamus, nec eam compellamus, ad nobis demonstrandum in sua vindicta qualis sit, sicut in misericordiis suis, se maximam nobis ostendit.

Nihil tibi dixi de magitudine Dei in cælo, & in beatitudine quam Sanctis suis communicat, ut spei tuæ illam meditandam integrè relinquam.

FINIS.

ERRATUM.

Pag. 71. *lig.* 9. subsequens atque concomitans *lege* Antecedens

